


BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XLII
H
22
NAPOLI



L A M P A S
SIVE FAX ARTIUM LIBERALIUM
H O C E S T
THESAURUS CRITICUS
Q U E M

Ex otiosa Bibliothecarum custodia eruit, & foras prodire jussit

J A N U S G R U T E R U S

In eo infinitis locis Theologorum, Jurisconsultorum, Medicorum, Philosophorum, Oratorum, Historicorum, Poetarum, Grammaticorum scripta supplentur, corriguntur, illustrantur, notantur.

TOMUS TERTIUS.

C O N T I N E N S

- Bar-ptolomaei Barrienti Adnotationum Sylvam.
- Antonii Bendinelli Locorum Historicorum adnotationes.
- Johannis Branti Breves Notas in Plautum.
- Domitii Calderini Observationes.
- Josephi Castalionis Varias Lectiones.

A C C E S S E R U N T H I S

Antonii Beccatelli vulgo Panhormitae Epist. Gallicarum Libri Quatuor;

Necnon Epistolarum Campanarum liber, una cum aliis sex Epistolis.

Nunc primum editis, & horum omnium additamentum

N.N. CLERICI REGULARIS TEATINI.

AD REVERENDISSIMUM, AC EXCELLENTISSIMUM PRAESULEM

ANTONIUM BRANCIFORTIUM, ET COLONNAM,

Sacrae Apostolicae Cancellariae Regentem, ex Principibus Leonfortis, & Scordiae, Marchionibus Martinorum, & Mottae Camastrae, & Baronibus Feudorum Limbricis, & Mangevaccae, Civitatis Tusae, & onerarii sui Portus Dominis, Optimatibus Hispaniarum, & utriusque Siciliae Regis a Cubiculis &c.







LUCAE Sumtibus Societatis MDCCXLVII.

REVERENDISSIMO . AC EXCELLENTISSIMO.

PRAESULI.

ANTONIO . BRANCIFORTIO.

EX.

PRINCIPIBUS . SCORDIAE . ET . LEONFORTIS.

OPTIMATIBUS . HISPANIARUM.

PATRITIO . PANHORMITANO.

SACRAE . CANCELLARIAE . APOSTOLICAE.

REGENTI.

VIRTUTE . GENERE . DIGNITATE.

NEMINI . SECUNDO.

LITTERARUM . ET . LITTERATORUM.

CULTORI . AC . FAUTORI.

HUNC.

ALTERUM . A . SECUNDO.

GRUTERIANAE . FACIS.

TOMUM.

EDITIONIS . CURATORES.

CLERICI . REGULARES . TEATINI.

MAECENATI.

AMPLISSIMO . CLARISSIMO . NOBILISSIMO.

ADDICTISSIMI . ET . OBSEQUIENTISSIMI.

D. D. D.

REVERENDISSIMO . ET . EXCELLENTISSIMO . PRAESULI.

ANTONIO . BRANCIFORTIO.

Ex Principibus Scordiae, & Leonfortis, Gruteriani
Editores, Clerici Regulares Teatini
Salutem.



NOSTRI quoad erat muneris, ac inftituti, Gruterianam collectionem denuo excudentibus, nobis ipfi vehementer gratulamur, gaudiique rationem non inviti aperimus. Ingens ex eo videlicet in animum noftrum manat laetitiae argumentum, quod Operis eruditiffimi commodo Virtus accurate profpexerit, nec illud in vulgus fit ullo modo paffa produci, quod maximo honoris ornamento, non appareret inftructum, nec graviffimo Auctoritatis praefidio firmaretur. Qua quidem in re, noftrae laudi non vertimus, quod nec effe noftrum, neque ad nos ullo veritatis jure pertinere intelligimus.

ligimus. In luce, atque oculis omnium versantur ingeniosae lucubrationes, quibus edendis ii Auctores praesertim insudarunt, quorum contentione, consilio, opera, ingenuae disciplinae, vel instauratae propemodum, vel sunt diligentissime restitutae. Quorsum itaque sive imperitiam, sive imbecillitatem virium nostrarum cum iis temere conferamus, quorum in cogitatione sollertiam, in oratione splendorem, in disputatione perspicuitatem, nullus dum est adeo illitteratus, & rudis, qui non admiretur, & praedicet? Jure sane suo agant, qui aequi sunt bonique rerum aestimatores, illorumque nomen immortalitati commendent, qui ex liberalibus facultatibus laudem, sempiternumque consequuti sunt decus, nec ipsi, qui nostrae sumus inscitiae, jamdudum nobismet conscii, tantà imprudentià, vel eà sumus audacià, ut a Virorum doctissimorum sapientia, quidquam ad nos inconsulto traducamus. Age dum in artium utilitatem, commodum, ornamentum, de tenebris eruantur, ac prodeant rursus, homines caeterorum scientissimi, optimo tuo auspicio, Praesul Reverendissime, ac Excellentissime, illustriores, magnificentiores, nitidiores. Eruditi laboris fructus plane non mediocris, existimationisque honorificentissimae, non leve futurum est incrementum Te suspicere, ac admirari Clementissimum Operis praestantissimi Patronum, in quo uno virtutis, ac dignitatis majestas ea collocavit, conjunxitque, quibus videreris ad gloriam, meritorumque famam comparatus. Quamobrem ab ineunte adolescentia in id curas potissimum, tuasque contulisti cogitationes, quo perspecta, omnibusque explorata, proferretur in medium animi, mentisque magnitudo, qua genus, indoles, ingenium, te Brancifortià Gente ortum, teque Brancifortiorum exemplis instructum ad eam vocarunt, perduxeruntque feliciter inclytam, insignemque Urbem, in qua idem penitus est manere, & immorari, ac sensim ad immortalitatem rapi, pertrahique. In idem praeterea domesticae Nobilitatis exempla te converterunt, ac in illud maxime collinearunt, ne ab ea consuetudine degenerares, quam exceperunt, probarunt, commendaverunt, hinc Hispani, inde Galli, Italique prae caeteris, penes quos germen Brancifortium, tanti est passim habitum, quanti ducenda est vera virtus cum summa Nobilitate consociata. Peculiaris animi moderatio, qua excellis, aliisque prestas, te vel invitum adducat ad Majorum opera egregia perlegenda, ac pervestiganda: injurii enim veritati esse non debemus, ubi de iis rebus luculentissime est agendum, quae per nullam unquam aetatem vel praetermittenda, vel sunt contumeliose obliteranda. Id nullà profecto ratione committemus, ut silentio injuste praetereamus, quae de Beltramo Brancifortio ornatissime circumferuntur, opitulatum nimirum esse Barcino primo Comiti Barchinonensi, per id ferme tempus, quo adversus Mauros teterrimos hostes praelium erat ineundum. Neque de illo conticescere fas est omnium fortissimo Obizio Brancifortio, qui pugna recrudescente in acie Caroli Magni, universis copiis admirationi tunc fuit, cum praecisis, amputatisque manibus, signum intulit Victor in

Castra,

Castra, unde praeclarissimae Genti, Brancifortiorum nomen est inditum, factumque Stemma. Nemo est qui non noverit vel Lanfrancum de Brancifortiis, Castro Vico Justino donatum, vel Arnoldum in militia Occidentali Antesignanum Lotharii Saxonum Ducis, Regisque Romanorum inaugurati, munificentissimo Diplomate auctum, quod una cum Arnoldo, familiam universam Brancifortiam complecteretur, opulentissimà pagorum, praediorumque ditione locupletatam. In ore, ac sermone omnium est apud Siculos florentissimas Catanensium, Platiensiumque Civitates, non sine ingenti splendoris, ac nominis fama, suis adjunxisse civibus, lectissimos Brancifortios, qui caeteroquin in Principe Siciliae Urbe Panhormo, in Primoribus fuere semper numerati, eaque gesserunt singulariter munera, quibus insignis Patritiorum dignitas emicat: Neque Fabritium Buterae Principem, & Hispaniarum Optimatem, neque complures alios ex Brancifortiis Aureo Vellere insignitos, sive Alcantarae, sive Calatravae, sive Sancti Jacobi Nobiles Milites missos faciemus, qui de Regibus, Regno, Patriaque Optime meriti, amplissima honorum, ac munerum praemia sunt deinde assequuti. Supremum Messanae Magistratum ex Brancifortiis Melchiorem Comitem Mazarini, Antonium Mirti Baronem, Leonfortisque Principem Nicolaum Placidum honorifice administrasse, nullius omnino peregrinatae sunt aures, quin etiam ad Panhormitanam Praeturam saepe numero Brancifortios evectos fuisse laudabiliter, nemo est hospes adeo, tam inscius nemo, qui non cognoscat, & videat: ad quae illa pariter accedunt, quae sunt cum Sacra Auctoritate colligata, ac Cephalaeditanos una cum Catanensibus, & Melitensibus Populis, Divinis praeceptis notant imbutos, ac eruditos per Octavium, & Ludovicum, qui eorum Pontifices renuntiati, ad Brancifortii sanguinis antiquitatem, intemeratum pietatis ardorem mirifice addiderunt; singulos autem non sine dulcissima, summaque animi nostri oblectatione eum in finem recensendos existimavimus, ne cuipiam esset ignotum, vel obscurum redderetur, quo sensu, quo consilio, quo instituto, unum te, Reverendissime, ac Excellentissime Praesul optaremus, deligeremusque Patronum, in quo Majores virtute, Religione, strenuitate designarentur, deprehenderentur, ostenderentur. Patiaris, eximià tametsi pro animi moderatione invitus, & repugnans, omnium in te oculos esse conversos, qui a Patrum honesta consuetudine non declinas, insignemque Parentem Scordiae Principem Josephum Brancifortium vultu, moribus, comitate in memoriam hominum revocas, quem Praetura urbana Patrum, Populique suffragiis conspicuum, vel ipse demiratus est Victorius Amedeus, cum primum Rex Siciliae Panhormi salutaretur, ac si illud nos aperire sinas, quod non tam splendido, quam solido nomine dicitur, neque diversà es consuetudine, seu a Nobilissimo Fratre Hercule Brancifortio Scordiae, ac Leonfortis Principe, sive a Clarissima Sorore Johanna Brancifortia, quae nupta Viro Principi Spataforae, facultatum quibus ornata est, ac praedita, generisque splendorem, ad inclytam

Spa-

Spataforiam Gentem, non fine laudis pretio cumulatissime detulit. Quid plura? Vive, Reverendissime, ac Excellentissime Praesul, ac vive famae, dignitatibusque, ad quas Romanus Maximus Pontifex, primam tibi viam stravit, cum te Sacrae Apostolicae Cancellariae Regentem esse constituit. Quod tamen tuae est humanitatis benignitatisque, nos fovere non renuas, dum Gruteriani Thesauri Tertium ex industria, Probatissimo tuo Nomini Tomum nuncupamus, illud habentes in votis, quod unice nobis est exoptandum, litterarum scilicet, ac litteratorum utilitatem. Futurum est inde, ut te Auspice, te Duce, te Patrono, qui longe alia multa Brancifortiis debemus, iis quoque per te, Reverendissime, ac Excellentissime Praesul, referamus acceptam nostram in humanis litteris curam, diligentiam, assiduitatem. Vale.


Dabamus ex AEdibus S. Josephi Panhormi ad Kalend. Jan. 1747.



BARTHOLOMÆI
BARRIENTI ILLIBERITANI
ADNOTATIONUM SYLVA

Divus Hieronymus liberatus a calumnia Laurentii Vallæ super Andromodæ Fabula.

CAPUT I.



Ivum Hieronymum Laurentius Vall. reprehendit, quod Fabulæ super Jonam oblitus fuerit, cum dixisset, ex Joppe Judeæ portu Andromedam a Perseo liberatam: Laurentio asseverante non ex Joppe, sed ex Tharsi Indiæ urbe ereptam. In quo quantum fallatur, Strabonis sic loquentis testimonio patet. Postea Joppe juxta quam Ægypti ora mirum in modum flectitur ad Aquilonem prius in Orientem extensa. Hoc in loco nonnulli Andromedam ceto expositam fabulis tradidere. Laurentius meminerat, Pomponium Melam monumentis tradidisse: in Joppe Andromedam a Perseo liberatam, quod Plinius in Paria, paulo ante Joppe Paria tota oppidum, in qua objectam belluæ Andromedam ferunt. Ipsius etiam Plinii hoc affirmantis verba sunt: Joppe Phœnicum antiquior terrarum, inundatione (ut ferunt) insidet colle præjacente saxo in quo vinculorum Andromedæ vestigium ostendunt: quem sequitur Solinus sic: Idroppadum saxum ostentat, quod vinculorum Andromedæ vestigia adhuc retinet, quam expositam belluæ, non irritus rumor circumtulit. Divum etiam Hieronymum Josephi verba defendunt, dicentis, cum ante de Joppe loqueretur, ubi etiam nunc Andromedæ catenarum signis stantibus fabulæ veteris fides ostenditur. Habet etiam Divus Hieronymus in suum patrocinium locupletissimum testem Ægesippum de Joppes excidio sic scribentem. Unde etiam Andromedam illic fuisse, cum ceto objectaretur. Plinii etiam testimonium extat, sic tradentis. Belluæ cui dicebatur exposita fuisse Andromede ossa Romæ ex oppido Judeæ portu Joppe, ostendit inter reliqua miracula ædilitate sua Marcus Scaurus, longitudine pedum quadraginta, altitudine costarum, Indicos Elephantos excedentes

Lib. 5. c. 6. Elegant.

Strab. lib. 16. Geog.

Lib. 1. c. 11.
Lib. 5. c. 31.
Lib. 5. c. 33.

Cap. 37.
Lib. 3. c. 11. de bell. Iud.

Confirmat idem Isacius Tzetzes in Lycophronis Cassandram comment. ex Aristide, Libanio, & Procopio (pag. 265.)

tes ſpinæ craſſitudine ſexquipedali. Non ſane conjectura aſſequi poſſum, tot
Lib.3.c.20. teſtimoniis viſis, aut potius ſcriptis, quibus larvis Laurentius agitatus, tan-
de Hieroſoly- ta bili in Divum Hieronymum inſurrexerit: Nimirum tam illuſtris ac erudi-
mæ excidia. ti viri pace a me dictum ſit, ipſe Ovidium non intellexit, cujus teſtimoniis
Lib.c.5. fultus, ſomniare voluit, Tharſi Indiæ urbe id eveniſſe: cum valde a veri-
tate ſit devium. Sed decipimur ſpecie recti: Laurentius enim cum vidiſſet,
Lib.3.de ar- Ovidium ſcripſiſſe:
te. *Andromeden Perſeus nigris portavit ab Indis.*
Lib. 9. non intelligens ipſam Æthiopiam ab Ovidio *Indiam* nuncupatam. Herodoti
namque teſtimonio conſtat, Æthiopes in India numerandos eſſe, & partem
illam Siriæ in Æthiopia ab antiquis numerari, opinatus eſt, id Tharſi Indiæ
accidiſſe cum etiam carmina illa notaſſet.
Ovidius in *Candida ſi non ſum, rapuit Cepheia Perſeum:*
Epiſtolis *Andromede Patriæ fuſca colore ſuæ.*
Lib.6.c.29. Sibi perſuaſit, ſuam opinionem veram eſſe: cum Plinii teſtimonio pateat.
Cepheium Æthiopum regem extitiſſe, Siriæque imperitaſſe. (a) Ægyptiorum bel-
lis attrita eſt Æthiopia, viciſſim imperitando, ſerviendoque clara, & potens
Hyg.lib.2. etiam uſque ad Trojana bella Memnone regnante, quod ex Euripidis ſenten-
Aſtronomico tia Hyginus teſtatur: Strabo quoque ſcriptum reliquit. Sunt etiam qui Æthio-
Strab.lib.1. piam in noſtram Phœnicem traducant, & res de Andromede geſtas in Joppe
Geogra. contigiſſe ajunt. Hinc Ovidius in Æthiopia hoc contigiſſe ait, ſic canens:
Lib.1. Me- *Æthiopum populos, Cephejaque conſpicit arva.*
thamorph. Quam ob rem eruditiſſimus Divus Hieronymus hos tam claros auctores ſe-
cutus, refert ex Joppe Judææ portu Adromedam liberatam. Laurentius ve-
ro nullo auctore innitens, ſed duntaxat carpendi aviditate cæcus, Divum
Hieronymum bene ſentientem, damnare voluit: cum ipſe cæcutiat atque
hallucinetur, ut ex hac mea annotat. luce meridiana clarius patet:

CA-

(a) Accedere ad hæc omnia, noſtramque ſententiam Natalis Comitis firmare poteſt auctoritas, cujus teſtimonio Cepheum Andromedæ parentem Æthiopiæ præfuiſſe compertū eſt, Andromedamque inſigni pietate uxorem, vel inde Perſeum in Seriphum una ſecum aſportaſſe, vel filia, cui *Perſen* nomen, ex illa ſuſcepta, penes Cepheum reliquiſſe, quæ Mythologi Auctores viderint; injucundum nos interea fore non arbitramur; ſi cum inſigni viro Chriſtopharo Cellario adnotarimus, quam nos Æthiopiam dicimus, in Arabia inveniri, terrāq; Chus eſſe cum Joh. Harduinus in lib. 2. Paralip. XIV. 9. *Æthiopiam in ſacris litteris Arabiam deſertam, duxerit*, ac infra *uſque ad Arabiam deſertam, quæ in ſacris litteris Æthiopia eſt*. Deſignat quoque Xenophon unam, eamdemque Arabiam cum Æthiopia fuiſſe, quod Æthiopes, Arabeſque conjungat; Si vero Deſerta Arabia, in qua Æthiopia, ad Perſicum ſinum, Euphrateſque, ac Tigris oſtia pertingat, interpretabimur non obſcure flumen Paradiſi *Gibon*, Paradiſus enim, quod multorum ſenſu perhibetur, circa Euphratem, Tigrimq; confluentes fuit, amniſque ille Terram *Chus* circuiſſe fertur, aliaque non pauca in ſacris libris hac ratione conciliabimus, ſi *Arabiæ Deſertæ*, *Chus*, *Æthiopiæque vocabulum* ad Arabiæ cū Petreæ partem Ægypto conterminam, tum deſertam Arabiam extendevimus, quæ omnia utcumque ſe habeant, maritimam Æthiopiæ oram, eamq; Orientalem ad ſinum Arabicum, Oceanumque Orientalem Africæ latus claudentem, qui in meridiem tendit eſſe liquet, eaque de cauſſa Æthiopicum Oceanum, Indicum appellatum, quod in India uſque procurrat.

De lacu Asphaltite, seu mari mortuo.

CAPUT II.

JOrdanis fluvius in monte Libano secundum aliquos oritur, ex fonte Penea- *Lib.5.c.15.*
de, & Plinius affirmat: quem sequitur Cornelius Tacitus, sic: *Præcipuum* *Lib. 21.*
montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidum-
que nivibus. Idem amnem Jordanem olit, funditque. Divus Hieronymus ex
duobus fontibus nasci, Jor, & Dam, indeque flumini inditum esse nomen
testatur. Antonius Sabellius lib. 2. Enneadis 1. ait Jordanem ex Peneade, qui
Cæsareæ mons est, oriri. Unde pro *mons*, debere legi *fons*, possumus con- *Cap.38.*
tendere: quod ex Solini verbis sic scribentis patet: *Jordanis omnis eximiæ*
suavitatis Peneade fonte dimissus, regiones præterfluit amœnissimas, mox in
Asphaltitem lacum mersus, stagno corrumpitur. Is ergo Jordanis tres lacus
ingentes facit, quos Ptolemæus ponit, quod Cornelius Tacitus affirmat, di- *Tab.4. Asiæ*
cens: *Nec Jordanis Pelago accipitur, sed unum, atque alterum lacum inte-* *Lib.21.*
ger perfluit tertio retinetur. Quos tres lacus Solinus nominat, Primum Ge-
nesarum, secundum Tiberiadis. Plinius vero de duobus tantum meminit, primum *Cap. 38.*
Genesarum vocat, de quo etiam Ptolemæus, passibus decem & sex millibus lon- *Plin. lib.*
gitudine extensus, latitudine sex millibus. In sacra Scriptura tribus nomini- *5.cap. 15.*
bus vocitatur, mare Tiberiadis, sic dictum a civitate, quæ olim Generet ap-
pellabatur, instaurata ab Herode, & Tiberias, in honorem Tiberii Cæsaris
dicta, ut Josephus tradit: de qua meminit Evangeliographus ibi. *Abiit Je-* *Lib.18. An-*
sus trans mare Galilæum, quod est Tiberiadis. Super quem locum beati Jo- *tiquitat. Ju-*
annis, Ven. Beda ita verba facit. *Primo dicendum juxta historiam, quia mare* *daic. c. 6.*
Galilææ, quod multis pro diversitate circumjacentium regionum vocabulis di-
stinguitur, illis tantum in locis Tiberiadis, ubi Tiberiadem civitatem aquis
(ut ajunt) *calidis salubrem ab Occidente præmonstrat. Siquidem interfluen-*
te Jordane duodeviginti passuum millibus in longum, & quinque extenditur in
latum. Hæc Beda. A provincia quoque Galilæa mare Galilææ appellitant ut
apud Marcum patet: *Exiens Jesus de finibus Tyri, venit per Sydonem ad* *Cap. 6.*
mare Galileæ Nuncupatur etiam Genesareth a regione, cui adjacet, sic no- *Lib.18. An-*
minata. Quod probat D. Marcus cum inquit: *Et cum transfretassent, perve-* *tiquis c. 3. &*
nerunt in terram Genesareth, & applicuerunt: A Josepho stagnum Genesar *4. & lib. 2. de*
appellatur inde ab Strabone Genesaretícus lacus dicitur. Ægesippus a voca- *bell. Judaic. c.*
bulo Græco derivari scribit: quod generans aquas significat. *Ultimus in quem* *c. 25. Ægesip.*
Jordanis influit secundum Plinium longitudine excedit centum millia passuum *lib. 3. c. ult.*
latitudine vigintiquinque millia, & alicubi in sex millia passuum coarcta-
tur. Qui clois atque aliis nominibus ab Auctoribus nuncupatur. A Ga- *Lib.5. c.16.*
leno *mare mortuum*. (non ea caussa qua Septentrionalis Oceanus; ut refert *L. 11. de sim-*
Philemon apud Plinium) vocatur a Zimbris Morimorusa, hoc est mare mor- *pl. Medic.*
tuum (quod congelatur) sed quoniam ut Plinius loco citato narrat, nullum *Facultat.*
corpus animalium recipit, Tauri, Camelique fluitant, inde fama nihil in
eo mergi, Justinus autem loquens de Judæa, plures caussas dat inquiens: *In* *Lib. 36.*
eo regione lacus est qui propter magnitudinem, & aquæ immobilitatem ma-
re mortuum dicitur: nam neque ventis movetur, resistente turbinibus bitu- *Lib. 21.*
mine, quo aqua omnis stagnatur, neque navigationis patiens est, quoniam
omnia vita carentia in profundum merguntur, neque materiam ullam susti-
net, nisi quæ a lumine illustratur. Cornelius Tacitus de hujus lacus natura *Lib. 4. c. 18.*
sic loquitur: *Locus immensa ambitu specie maris, sapore corruptior, gravi-*
tate odoris accolis pestifer, neque vento impellitur, neque pisces, aut sue-
tas aquis volucres patitur. Quod Ægesippus etiam testatur cum ait: *Denique*
neq; pisces, neq; assuetos aquis & lætas mergendi usu patitur aves. Arrianus
in India Orientali esse flumen affirmat, cui Sila nomen est, & ejus aquam eam
vim habere, ut nihil omnino substinere possit, neq; naves neq; quidquam aliud pa-

neq;

ti, ſed omnia profundo mergi. Hoc monumentis tradere libuit, ne admiremur, cum talem hujus lacus naturam ſciverimus, compertumque nobis ſit, *Cap. 19.* multis in locis naturam fœcundam ad hæc & alia gignenda eſſe. Hic lacus *Strabo fallitur.* apud ſcriptores varie nominatur. Ab aliis mara Sodomorum, quoniam ut ex Geneſi patet, ibi civitates ſubmerſæ ſunt propter libidinis averſæ peccatum. Quamvis antiqui auctores noſtræ religionis expertes, ac ignari, naturales cauſſas oſtendunt. Strabo enim ita inquit. *Ex terræmotibus, & ignis efflatu, & aquis calidis, & bituminoſis, & ſulphureis locus eruperit, & quod petræ ignifera facta ſint, & urbium aliæ abſortæ, aliæ ob iis quocumque fugere potuerunt relictæ, in quibus una dicebatur Sodoma, quæ Metropolis erat, ubi poſtquam Abraham exivit ex Ægypto Lath habitavit.* At Ethnicus fallitur Strabo. Ab aliis lacus Aſphaltites dicitur ἄσφαλτος enim bitumen Latine ſonat. A Plinio Aſphaltites nominatur. A re namque hoc nomen illi lacui inditum eſt, ex ſe bitumen emittit. Cujus uſus (ut Ægeſippus tradit) utilis ad compagium navium, & corporibus hominum ſalubris, medicamentis admiſtis. Eſt enim ad plura medicamenta utile, quæ ponit Plinius lib. 35. c. 15. *Lib. 11. de ſimp. medi. Faculta.* Habet enim vim exſiccandi, & calefaciendi ſecundum Galenum, ideoque ut affirmat Strabo, *Ægyptii ad condiendos mortuos illo bitumine utuntur*; & Ægyptii apud Plinium defunctorum corpora unguentis ungunt. Ita enim alt: *Strab. l. 16. c. 16.* *cedri pice corpora defunctorum perfundebant, ut conſervarentur*. Diodorus Siculus ſic tradit. *His peaes cadavera aſtantibus unus per ciſuram corporis in-* *Lib. 2. de Fabu. antiq. geſtit.* *teriora præter renes, & cor ducit, quæ ſingula alter vino Phœnicio ex rebus odoriferis lavat, deinde corpus totum primum ex cedro cum aliis pretioſis unguentis ungunt, dies amplius triginta myrrha deinceps, ac cynamomo,* *In Trajani vita.* *cæteriſque rebus linunt*. Hæc ille. Divites vero id myrrha, aloe, balſamo, croco factitabant, unde optima muria colligitur. Tanta eſt hujus bituminis *Lib. 1. Hiſt.* vis ſtringendi, ut calcis uſum præbeat: nam ut inquit Dion, *lateribus aut exi-* *Lib. 3. Biblioth.* *guis lapidibus interlitum, ſaxo, aut quovis ferro muros ſolidiores aut firmiores facit*; hac cauſſa Semiramis, Juſtino auctore, Babyloniæ murum co- *Lib. 21.* cto latere circumdedit, arena bitumine interſtrata: Diodorus etiam Siculus Mœnia Babiloniæ ex lateribus & aſfalto facta affirmat. Cornelius Tacitus de hoc bitumine ſcribens ait, *Ater ſuapte natura liquor, & ſparſo aceto concretus, hunc manu captum quibus ea cura, in ſumma navis trahunt*. Et ultra; *ſed gnari locorum tradunt, undantes bitumine molles pelli, manuque trahi ad litus, mox ubi vapore terræ vi ſolis inaruerit, ſecuribus, cuneiſque ut trabes, aut ſaxa diſcindi*. Appellant alii *ſtagnum* vel *lacum bituminoſum*: ut *In epiſt. ad Dardanum.* Galenus: Ab aliis *lacus Judææ*, ut a Plinio, a Divo Hieronymo *mare Salinorum* nuncupatur, ſcribente: *A meridie maris Salinarum per Sina, & Cades*. Et infra. *Ad Orientem verò per Antiochiam, & lacum Genereth, quæ nunc Tiberias appellatur, & Jordani qui mari influit Salinarum quod nunc mortuum dicitur*. *Bitumen.* Hoc bitumen quo modo ibi proveniat, ab auctoribus diverſe traditur, alii namque inquiunt (quod ridiculum eſt) bitumen illud provenire ex ſemine virorum, qui illic ſubmerſi ſunt. (*a*) Si hoc ita ſibi perſuadere vellnt, quid de bitumine aliis in partibus provenienti dicent? Adduntque ſuo errori cauſſam dicentes, niſi menſtruo mulieris dividi aut ſeparari non poſſe: *Lib. 7. c. 15.* quibus aſſentior, ceterum non ideo ex virorum ſemine provenit. Neque enim inficiot, Plinium dixiſſe, hoc bitumen non poſſe avelli ad omnem contactum adhærens?, præterquam filo quod tale virus infecerit. Idem confirmat iib.

(a) Penrapoleos urbibus, *Sodoma*, *Gomorrha*, *Adama*, *Zeboim*, igne è Cœlo delapſo ſuccenſis, una ſuperfuit *Zoara*, S. Hieronymo quæſt. in Geneſ. XIX. *Saliſſa*, quam ex 2. Reg. IV. 42., ubi *Baalſaliſſa*, Bonfrerius per metatheſin ex Belaſaliſſa factam eſſe arbitratur: ſeptuaginta interpretes pro varia litteræ y pronuntiatione exprimunt Σηγώρ, ac una cum vulgata, Idem Hieronymus Segor. Lotus ex Sodomitica ruina eo confugit, quod illi gra-

lib. 28. c. 7. Solinum quoque affirmantem invenies eamdem sententiam: *Bitumen, inquis, nascitur in Judæa, quod Asphaltites gignit lacus, adeo lentum, mollitie glutinosa, ut a se nequeat separari. Enimvero si corrumpere partem velis, universitas sequetur: scindique non potest, quoniam in quantum ducatur, extenditur, sed ubi admota fuerint cruore illo palluta fila, sponte discerpitur.* Cornelius Tacitus idem affirmans inquit. *Nec abscindere ære ferrove possis, fugit cruorem vestemque infectam sanguine, quo fœminæ per menses exolvuntur.* Ægesippus autem hæc omnia testatur, quum narrat, *vagari super aquas bituminis glebas certum est atro liquore quas scaphis appropinquantes colligunt: quibus id muneris est: hærere sibi fertur bitumen, ut ferro haud quaquam vel alia præacuta metalli specie recidatur. Sanguini sane cedit mulierum, quo menstrua solventes levari feruntur. Cujus attactu, vel urinæ* (ut allegant *quibus experiendi usus fuit*) *interrumpi proditur.* Alii illud bitumen ibi provenire ajunt ex puteis, qui quondam ante civitatum submersionem erant, qui tale bitumen ex sese mittebant. Quibus sacra pagina assentiri videtur: Geneseos enim libro sic legitur, *Vallis autem Silvestris habebat puteos multos bituminis.* Cui opinioni Eratosthenes accedit, sic inquiens. *Quod quum Regia stagnis teneretur, maxima ejus pars eruptionibus retecta sic, quemadmodum mare.* Illud bitumen secundum aliquos provenit ternis annis: secundum alios singulis, quibus adstipulatur Plinius dicens, *certo tempore anni supernatant.* Strabo autem ait, *temporibus inordinatis venire.* Cornelius Tacitus Plinium sequitur, scribens.

Soli cap. 4. *Lib. 4. c. 18.* *Cap. 14.* *Apud Strab. lib. 16. Geo.* *Lib 7. c. 15.* *Lib. 16.* *Lib. 21.*

---

gratia Dei ibi declaranda foret, non repressa tamen, aut oblitterata iræ, vi, atque ratione. Ad extremum *Lacum Asphaltitis* a meridie fuisse non dubitaveris, si lamentationes Moabitarum Esa. XVI. 5., & Jerem. XLVIII. 34. *Zoaræ* exaudiri animadverteris. *Zoaræ*, proximam Sodomam statuimus, quum tanto spatio, quantum inter Auroram, ortumque Solis intercedit, Loto a flammis servando *Zoaram* adire sit datum. Reliquarum Urbium est locus incertior, quam *Sodomæ*, ac *Zoaræ*; conjectura fretus Vir Cl. Cellarius *Gomorram Sodomæ* a septemtrione conjungit, reliquas eo ordine ponit, ut *Zeboim* sit suprema, ostioque Jordanis proprior, quam Inter, & *Gomorram* media *Adama*, quod plane indicatur Genes. x. 19., XIV. 2. 8. Deuteronom. XXIX. 23., a meridie, ut videtur, in septemtrionem enarratione facta. Decem Urbes in *Asphaltite lacu* submersas Stephanum Cotographum pronuntiasse non prætermittimus, verum injuria, quum quinque tantum *Pentapolis* vocabulo designatæ Sapient. x. 6. nominentur, quem numerum sane non excedunt, nisi minora oppida majoribus subjecta adjunxeris, *Zoara* dempta, quæ minima omnium fuit, Arabiæ Petreæ, quemadmodum cæteræ, contermina: *Equites sagittarii indigenæ Zoaræ recensentur*; Romanis imperantibus, quæ, aliaque non pauca Stephanus Byzantius, vel ejus breviator exponit, quem consulendum Lectori benevolo relinquimus; eo vero in loco, quod plurimi Auctores tradidere, planitiem Jordanis fuisse non incredibile sane arbitramur: eam quidem commemorat liber Geneseos XIII. cap., atq; ibi Lotum moratum prodit: *Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa Regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam, & Gomorram,* ac paullo infra, ubi recedentem ab Abrahamo Lothum describit: *Lot vero*, ait, *moratus est in oppidis quæ erant circa Jordanem, & habitavit in Sodomis*; Eadem autem de caussa num Jordanis ante urbium eversionem cursu fluminis impedito stagni naturam induerit, pronuntiare non audemus: Quemadmodum lacus Genesareth, ac Tiberiadis interluit, ita eo Asphaltitin lacum permeare non dubitamus, ejusmodi tamen lacus naturam ante subversas urbes non comperimus, ac siquis antea fuit, non ejus tamen rationis, qua post incensas urbes, est credendus.

bens. *Certo anni tempore bitumen igerit*. Provenit etiam multis aliis in locis
Lib.35. c.5. in Syria, juxta Sidonem oppidum maritimum, & in Apollonia Græciæ urbe, &
Justi. lib.4. in Sicilia, teste Plinio. Justinus inquit Siciliam intrinsecus stratam sulphure,
& bitumine, & inde compluribus locis nunc flammam, nunc vaporem, nunc
fumum eructara. Plinius ait, apud Corambin Civitatem Ægypti esse fontem
Lib. 23. bituminis. Ammianus Marcellinus inquit, in Syria bitumen nasci prope lacum
nomine Sisingitem, cujus alveo Tigris voratus, fluensque subterraneus per-
cursis spatiis longis emergit. Gignitur etiam in flumine Is, auctore Hero-
doto sic dicente, *A Babylone octo dierum itinere abest alia Urbs nomine Is,
ubi fluvius est haud magnus ejusdem nominis, qui se devolvit in sinum Eu-
phratis. Hic itaque fluvius Is una cum aqua per multos reddit Asphaltiti bi-
tuminis grumos, quæ Asphaltus ad murum Babylonis comportabatur*. Illud
est etiam mirandum, si hominem manibus, pedibusque ligatis in hoc mare
mortuum conjeceris, minime deorsum feretur, sed statim emergere conspicie-
tur. Quod Cornelii Taciti auctoritate confirmatur, scribentis. *Super jacta
Lib.4. c.18. ut solido feruntur, periti, imperitique nandi perinde attolluntur*. Quæ Æge-
f. Careat, sippus asseverat quum inquit. *Et quamvis demersum arte quod* vivat, diffi-
vel urinet. cile in profundo hærere*. Quod ante hos omnes Aristoteles monumentis tra-
Lib.2. cap.3. didit. Quam naturam Strabo Syrbonem lacum habere affirmat, quum inquit.
Metaurorum *Profunda, & gravissima aqua ut urinatores in ea natare non possint, verum
Strab. lib.16. qui tenus umbilico in eum procedit, mox extollitur*. Quod stagni quadam na-
Geogra. tura fieri affirmans Aristoteles inquit. *Propter gravitatem instar luti, quæ
Apud Ga- graviora sunt gestans*. Idem inquit, quod *Sarpulentum quiddam salsitudinem
lenum. lib.4. pariat*. Quod Galenus docet scribens: *Aqua maris mortui, quam cætera Ma-
ca.20.simplic. rina gravior est. Piscesque neque ibi gignuntur, nec illud mare intrant. Cum duo
med. Facul. magna flumina in id irrumpant piscibus scatentia*. Quin potius ut idem Galenus
Idem lib. 2. c. loco citato tradit: *Si captos quis in lacum iniiciat, celeriter mori conspiciuntur*.
3. Meteor. Quam rem ad ipsius lacus naturam ipsemet auctor retulit, dicens: *Omnes enim tum
homines, tum plantæ inimici sunt, amari squallidi pariter, & sicci*. Trajanus volens
Babylonem versus iter facere, visendi hujus lacus caussa, Judæam venit, ipsum
contemplatus est. Sic Dion in ejus vita: *Atque ejus lacus naturam experiri cupiens,
f. Coniiciūt. nandi ignaros in lacum* commeant, manibus, pedibusq; ligatis, qui statim emerge-
re conspecti sunt*. Sic invenies factum apud Ægesippum, quum scribit: *Vespesianum
ferunt, præcepisse nandi ignaros revinctis manibus in profundum deiici, eosque om-
nes illico supernatasse quasi spiritu quodam venti levatos, & ad superiora vi magna
repulsos, resiliisse*. Ex hoc lacu sal fit, quo in illis locis utuntur, etiam nunc accolæ: qui
ut Galenus inquit: *Subamarus est, atque ad omnia, ad quæ nos alio utimur sale, ac-
commodatissimus, vim habet eamdem quam quivis alius*. Qui nostris temporibus vi-
dere, subnigrum esse ajunt.

Plinii locus restitutus.

CAPUT III.

Codex Lugdun. 1552. legit: Numida

OMnes Pliniani codices locum illum libro 5. cap. 3. sic legunt, *Numidæ vero Nomades à permutandis papilionibus*. Qui sic in suum pristinum candorem restitui debet: *a permutandis pabulationibus*. (a) Si enim sensum penitus, & altius con-

(a) Vel supervacaneo indulsisse otio, vel aerius quam par erat, in diligentissimos Plinii interpretes animadvertisse infra Clarissimus Barrientus videtur: si enim nos Dii boni ament, quis non intelligat apposite ad morem Numidiæ denotandum nomen allatum *Papiliones* inductum esse? Cum Latinos Scriptores, tum accuratiores Lexicographos consulentem non

considerare voluerimus, Nomades cum papilionibus nihil habent: pabula namque & plaustra mutant, & non dicuntur Nomades a permutandis papilionibus, sed potius a permutandis pabulationibus *(a)* Nomas enim *pastor* est, a verbo νεμῶ, quod significat *nemus* pasco. Unde νόμος, inde νομάδες, sic Pindarus ἱππαστᾶν νομάδων appellavit αὐτούς: & Plinius hoc in loco vocabuli Etymologiam docere voluit innuens, Nomades dici a pabulorum permutatione: quum namq; pastores sint, pecorum gratia pastus mutant, & inde dici Nomades asseverat. Illud Pomponii Melæ imitari volens, lib. 2. *Vagi Nomades pecorum pabula sequuntur*, *(b)* quos sequutus est Solinus c.39. his verbis *Pabulationibus vagabundis Nomades dicti sunt*: & quum hic auctor Plinii sit simia; & mimus maximus, non dubitabo con-

vero Nomades a permutandis pabulis. Et promptuarium l. Lat. in Papilio eirat Plinii eol. ubi *pabulis* ie-girur.

In Pythia in laudibus Telesicrati.

non fugiet *Papilionem* ex Plinio vermiculum alatum, *ignarum*, *& inhonoratum, luminibus accensis advolitantem, pestiferum* &c. qui apud Græcos est ψυχὴ a Latinis Scriptoribus indiscriminatim usurpari pro *apto Tabernaculo, quod ad diuturnam moram alicubi figitur*: illud Græcis quoque fuit σκήνωμα: *Tentorii* interdum, & *Papilionis* latina voce indistincte usi sunt veteres, licet hoc servarint nonnumquam discriminis, quod *Tentoria brevi, diutius moraturis Papiliones* figendos esse arbitrarentur: quæ dum pro muneris nostri ratione sedulo adnotamus, non inficiamur *Numidas* permutasse pabulationes: id equidem in eorum more positum a veritate alienum non censemus, verum *Pabulationum immutandarum* gratia, immutationem Papilionum in Numidiam invectam ducimus. Deinde ax Gerardo Jo: Vossio lib. 2. de Origine, & Progressu Idololatriæ cap. x. significare novimus *Papilionem lecticæ cujusdam formam a figura Tentorii e pellibus, aut velis tensi a forma Insecti prælongos alas suas expandentis*, quod penes ipsum Plinio, Tertulliano, Vegetio, veterique Glossæ probatur, ut missum faciamus Lampridium in Alexandro Severo, aliosque complures, qui hujusmodi significationi latini vocabuli non injuria suffragantur, quod ad rem nostram plane facit, si Plinii verba attendantur: *Mapalia sua, hoc est domus*, ait ille de Numidis, *plaustris circumferentes*, quæ ex Vossii sententia a lecticis diversa non sunt habenda.

Cap. 39.

(a) Pleraque Græca loquutione concinnata vocabula interdum nec Græcia novit, quod ex *Nomadum* quidem nomine comperimus: Illud ex Græcis, ingeniosissime plane, hausit doctiss. Barrienr., videtur autem cum Græca origine nulla posse ratione cohærere, quod enim de Numidis apud Cellar. Isaac. Vosa., nos de Nomadibus quoque sentimus: utraque gens barbara, barbara utrique gentii Regio, *Regionique barbaræ barbarum nomen haud dubie fuit*; a Barbaris vero primum id Nomadibus impositum, non Græciam, verum consuetudinum, vocumque Græcorum studiosos viros immutasse ducimus.

(b) *Plerosque e Veteribus errasse*, ad Melam in lib. 1. cap. 8. de Nomadum vocabulo contendit Isaaceus Vossius, *quod Nomadas pro Numidis, & Nomadicum pro Numidico acceperint*, qua in re Christophorus Cellarius utitur verbis Polybii scribentis: Νομάδων Μασσυλίων καὶ Μασσαισυλίων, *Nomadum Massylorum, & Massæsyliorum*, & ex Dione Cassio lib. XLI. Jubam narrat, Hiempsalis filium Νομάδων βασιλεύοντα *Nomadum Regem* fuisse appellatum, quibus mirum ni credas, Cellario quoque assentiente, in Africa, ipsaque Numidia fuisse Nomades, idest *Populos pascendi pecoris caussa vagantes*: Cæterum iidem plane non sunt Numidæ, ac Nomades, tametsi enim Nomades sint quandoq; Numidis immixti, certa tamen gente orti non sunt, Nomadas hinc Parthos, Nomadas Scythas, Indosq; Nomadas enumerat Plinius, quo vitæ genus vocabulo, non certa quædam natio indicatur, quos nunc pariter temporis imitantur in Scythia Europæ Populi, qui nostris *Tartari*, priscis Nomades, quibus vita omnis in pascendis gregibus, & permutandis promiscue pabulis ex Plinio agebatur.

In Jugurtino.

contendere Plinium *pabulationibus* scripsisse. Sallustius etiam hoc suis scriptis mandavit: *Sæpe tentantes agros alia deinde loca petiverant: semetipsos Numidas appellavere*. Nec te moveat, modo *Numidas*, modo *Nomades* hos Arabes Afros appellitasi *Numidæ* namq; a Provincia Numidia dicuntur, hos Græci *Nomadee* vocant. Præterea quod evidentissimum argumentum est, locum esse eorruptum: *Papilio* in hac significatione Latinum non est, sed est vermiculus alatus, Hispa. marisposa dictus. Misor sane diligentissimum atque fortissimum illum Herculem in aggrediundis librariosum monstris, & expurgandis, emendandisque codicibus Ferdinandum Pintianum inclyti Prytanæi Salmaticensis utriusq; linguæ professoris in suis Plinianis observationibus locum hunc latuisse, quod, & eruditissimo Philippo Beroaldo evenit.

In sacris sæpe reperitur: & est elegans Metaphora & Æl. Spartian. in vita Severi.

Quid sit Xerolophos, l. de publicis judiciis §. Lex item Cornelia de Sicariis, & locus correctus.

CAPUT IV.

Lib.8.c.5.Lection.Antiq.

MOs erat veteribus (ut suis scriptis mandavit Cœlius Rhodiginus) sculpendi in tripodibus epigrammata. Cæterum discutere oportet, qui sunt hi tripodes, ubi epigrammata antiqui scribebant. Tripodes crateres erant a ternis pedibus sic dicti: qui in templis Deis cum inscriptionibus, ac Epigrammatis dicabantur: ut apud Aulum Gellium notum est, asseverantem, in monte Helicone ab Hesiodo poeta in quodam tripode Epigramma scriptum fuisse, quod etiam Herodotus, atque Pausanias tradiderunt. *Hos tripodes crateras esse sentit Athenæus. Tripodes etiam erant mensæ, eadem teste, in quibus antiqui epulabantur. Erant quoque & Tripodes machina tribus pedibus constans, ex qua consulentibus in Delphico oraculo auctore Diodoro Siculo, vates respondebant. Unde Adagium ex Tripode loqui, quum aliquem vera loquutum significare volumus: in quibus & signa sculpebantur: ut Tripos ille, quem Apollini Amphitruo dicavit qui Pausania referente, Herculem laurum gestantem insculptum habebat.*(a)Xerolophus (ut asseverat Antonius Nebrissensis ex Prisciani testimonio) locus erat celebris Costantinopoli, ubi multi Tripodes Epigrammatis inscripti erant: Cujus verba sunt: *Ostendunt epigrammata vetustissima, quæ & literis vetustissimis scripta in multis tripodibus legi, & maxime in tripode Apollinis, qui est Constantinopoli, in loco quem Xeralaphon vocant*, Zonaras scribit. *Arcadium in Xerolopho columnam erexisse, in qua suam statuam collocavit*. Ut ex Etymologiæ vocabulo conjecto, locus erat voluptati destinatus, ubi homines recreabantur. ξηρὸς namque *siccus* significat, λόφος *cervix*. Id est locus ubi sicca cervice homines non laborantes existunt. In quo loco erant tripodes cum his epigrammatis. Verum locus corruptus est, ut aliqui sentiunt, (b) non enim in emen-

Lib.3.c.11. Hero. lib.9. Pausf. lib.1. Lib.2. cap.7. Lib. de gestis Philippi anno 5. Pausf.lib.9. Prisc. lib.6. De hoc dicto Petr. Gyllius Topographiæ Constantinopoleos lib. 4. cap. 8. Ant. Augustinus opinionum & emendationum Iuris lib.4. c.5.

(a) Fortes viros donarunt Græci Tripodibus, quod præter Virgilium in lib. v. Æneid. habet Horat. lib. IV. od. 8.

Donarem *Tripodas* præmia fortium Grajorum.

Erunt autem hujusmodi Tripodes militares mensæ, quibus tripodas æreos, vel, quod multis placet, aureos, qui in Templo Delphici Apollinis servabantur, similitudo quædam exprimebat. Apud Homerum Iliad. v. geminos offert Priamus Tripodas Achilli, septemque Achillem tripodibus donat Iliad. IX. Agamemnon, novemque apud Maronem tripodas Ascanius Niso pollicetur, quod tanti quidem fortes viros veteres fecisse constat veteres, quanti pene Deos, æquis enim utrosque præmiis afficiabant.

(b) Summi quidem viri Barrient. Auctoritate sententiam probamus, & addimus Priscianum in Xerolopho non tantum tripodas enarrasse, verum Cochleas sexdecim, columnamque structilem addidisse. Num vero jure utatus hac voce Justinianus, num a judiciis uti adulterinam injuria explodat Alciatus, qui publicis judiciis sunt addicti, ac leges calent, viderint, nullam nos de ista re sententiam dicimus,

amendatis codicibus *Xerclapham* est sed sic: *admonent nos epigrammata in Xenophonte urbis faustissima scripta*, Καὶ τὰ βέλη ὁμῶς ... &c. idest, *& tela similiter ferebantur*, verum mihi prior lectio magis arridet.

De Dictione Columnarium, lex quædam explanata.

CAPUT V.

A Columna deduci *columnarium*, nemo non intelligit, vox *(a)* inventu rara; & non omnibus obvia: quam invenies lib 3. Belli civilis apud Cæsarem. Ubi *columnarium* est tributum, seu vectigal, quod pro qualibet columna, qua aliqua domus sustinebatur, exigebatur ab habitatoribus. *(b)* Quemadmodum quando belli necessitas imminet, per singulas, aut ternas domos militi stipendium solvitur, sic a Scipione per singulas ædium columnas, & fores ædium imperabatur civibus pecunia, quod tributi genus, quoniam inusitatum erat, ante dixerat Cæsar: multa præterea generatim ad avaritiam excogitabantur. Sic Cicero *columnarium* vocat tributum, *Lib epist. 4. ad Attic.* quod pendebatur ex columnis per agrum deductis, super quas aquæ ductus construebatur. *De aquæ ductu* (inquit) *probe fecisti, columnarium vide ne ullum debeamus*. Aquæ ductus enim per alienos fundos ducebantur: ut lib. 1. ff. De servit. rusti. Et ideo fundi domino tributum pendebatur, aut pretium quoddam pro columnatum, per quas aqua ducebatur numero. *Lib. c. 21.* Nec Cœlio assentior colonarium legenti, quod sit vectigal ex re rustica quum infra idem Cæsar dicat: *Non solum urbibus, sed pene vicis, castellisque singulis cum imperio præficiebantur*: Hujus vocis mentio etiam est in l. argento ff. De auro & argento leg. *In argento*, inquit, *potoria, utrum id dumtaxat sit, in quo bibi possit, an etiam id quod ad præparationem bibendi comparatum est, veluti columnarium, & urceoli dubitari potest*. *Laz. Baysi* Hac in lege vas esse sancio ad modum columnæ factum, ubi vinum antequam in crateras infundatur, ante prandium custoditur. Non enim libet Juris Consulto Pomponio legari, quæ sunt gustui jucunda, & voluptuosa, & quæ bibendi appetitum excitent, sed ea vasa quæ necessitas ad bibendum exigit. Nec me præterit alios * colum vivarium propter hujus vocis ignorantiam legere.

* *Colum vinarium.*

CA-

(a) Columnaria, & *Columnarii* a *Columna* eadem ferme ratione, qua *Columnarium*, ducuntur. *Columnaria* autem a Vitruvio æstuaria quædam, & spiramenta dicuntur, quod equidem illius verba VIII. VII. aperte videntur denotare: *Etiam in ventre columnaria sunt facienda, per quæ vis spiritus relevetur*; tametsi vero *Collaviaria* nonnulli apposuerint, legere tamen malumus *Columnaria*, quod in columnarum morem a solo ejusmodi spiramenta attolluntur. *Columnarii* ex Cicer. Manutio fuere vilissima capita, improbi, decoctores, obærati, qui ad columnam Maniam in jus sæpenumero vocabantur. Columnarios Tullius quoque commemorat Famil. VIII. *Nolo te putare Favonium a Columnariis præteritum esse*, quod de hominibus interpretamur, qui exigendis vectigalibus præficiebantur.

(b) Ut ab insanis ædificiorum sumptibus animos revocaret, legem tulit Julius Cæsar de *Columnario* pendendo, quo singulis columnis vectigal imposuit: id acerbum sane, ac intolerabile, eoque Romanis molestius, quod antea ad cogendas pecunias a Scipionis tyrannide Syris exagitandis fuerat crudelissime excogitatum; Ea autem lege non omnes columnæ prohibebantur, verum insana illarum licentia coercebatur, definitoque numero singulis quæ superadderentur, vectigal imponebatur; Sumptuaria est appellata, quod non columnis tantum, verum sumptui quoque modum præscriberet.

De Unionibus.

CAPUT VI.

* μαργαρίτης *Sol. cap. 56. Corn. Tac. in vita Julii Agricolæ, Pli. lib. 9. c. 35* * *delitiæ.*

DE unionibus verba facturus, pauca prius visu digna notare visum est: illudq; in primis occurrit, *unio* esse Latine, id quod Græce * *μαργαρίτην*, quamvis Arrianus ait, Indorum lingua sic appellari: Inde latina inclinatu *margarita*, & *margaritum*, ut invenies apud Solinum, & Cornelium Tacitum: Invenitur etiam *margaritis*, & *margarit*, *margaridæ*, & *margarida*, a quod Plinius docet quum ait: *Unde nomen unionum Romanæ scilicet imposuere* * *delitiæ. Nam apud Græcos non est, nec apud Barbaros, inventores ejus aliud quam margarita*. Uniones, si grandiores sint, a nobis vernaculo sermone *perlas* nuncupantur, dum candidi, & rotundi inveniantur. Si autem hujusmodi symmetriam minime servent, sed multis tuberculis impleantur, Hispane *Berruecas* nominamus, si sunt minores *aljofar* dicimus. In fluviorum marginibus sæpe numero inveniuntur, & in conchis in maris profundo piscantur. (a) Ex rore cœli generantur. Qum enim tempus concipiendi adveniat. patulæ, & hiantes roscido conceptu implentur: gravidæque factæ postea margaritas pro roris accepti qualitate pariunt. Nam si ros acceptus purus, & liquidus erat, mira claritate, & albo colore candicant: Si vero turbidus est, suffuscæ sunt, & liventes, quod ex cœli qualitate venit, præter quam cum ex igne nigri fiunt, quando eis Indi prunas admovent, ut ipsis vescantur. Si vero quando concipiunt, cœlum est nubilum, inde nubilum colorem trahunt: Si serenat, candidi uniones generantur. Si autem tunc tonuerit, inflantur, nihil intus habentes, & abortum patiuntur: Si tempestive cœlo sereno, & claro rore illo lætentur, grandiores uniones emittunt. Hæc, ex scriptoribus qua maxima brevitate, & claritate potui descripsi: Solinus vero aliter sentit, inquiens: *Denique quoties excipiunt matutini aeris semen, fit clarius margaritum: quoties vespere, fit obscurius*. Quantoque magis auxerit, tanto magis proficit lapidum magnitudo. Plinius enim affirmat, secundum cœli serenitatem, aut obscuritatem candere, aut pallere, Solinus vero secundum matutinum, aut vespertinum tempus, quem sequitur Ammianus Marcellinus quum inquit: *Idque indicium est æthereæ potius derivationis, quam sanguinis pelagi oriri, velut & vesci, quod gutta matutini roris iisdem infusa claros efficiunt lapillos, & teretes: vespertini vero flexuosos contra, & rutilos, & maculosos interdum. Minima autem, vel magna pro qualitate haustuum figurantur casibus variis, concussæ vero sæpissime metu fulgurum inanescunt, aut debilia pariunt, aut certe vitiis diffluunt abortivis*. Hæc Marcellinus.

Cap. 56.

Lib. 23.

De nominis nomenclatura varia sentiunt auctores, ajunt namque aliqui *uniones* dici, quoniam in una concha una tantum reperiatur: quam opinionem videtur loco citato sequi *Solinus* sic ducens: *Nunquam duo simul reperiuntur, unde unionibus nomen datum*. Cui refragatur Plinius, quaternos namque, & quinos vidisse affirmat. Antonius Musa ait Veneriis in una concha septem inclusos conspexisse, Idem in eodem loco scribit, Lusitanos in una concha centum triginta uniones invenisse: quod etiam in India Hispana accidere Petrus Martyr asseverat. Sed hac ra-

Sed non intellexit Plinium, Solinus

(a) *Materia*, ait Sosipatar Charisius, *in qua Margaritum nascitur est Animalis, ipse autem Calculus, qui nascitur Inanimalis est*: ea plane de caussa in duplici ordine *Unionum* generatio est collocanda, ab *Animali* enim *Inanimalis materia* longe diversa ex purioris aeris concretione in *calculi* formam effingitur, eaque sibi vindicat omnia, quæ a Plinio, aliisque non paucis de *Unionibus* hausit Barrient. Nost; *Quum Animalis materia* per ovorū fœcūdatione͂, quod saniori quidē Philosophiæ arridet, propagetur, neque a cæteris viventibus dissita, quæ ad ortum vitamque animalium pertinent, cum illis habeat suapte natura communia.

tione auctore Plinio uniones vocantur: quoniam quum multas qualitates habere debeant, ut optimi sint, candorem scilicet, magnitudinem, orbem, levorem, pondus, nunquam duo sine differentia reperiuntur. Nec unus invenitur qui omnes has qualitates obtineat. Ammianus Marcellinus sic appellari scribit, quod ejus terræ conchulæ singulas aliquoties pariunt, sed majores. (a) Margaritarum pondus semunciam non excedere, Plinius, & Solinus affirmant. Capiuntur & piscantur, ut Plinius dicit, sic: quidam tradunt, sicut apibus, ita concharum examinibus singulas magnitudine & vetustate præcipuas esse veluti duces, miræ ad cavendum solertiæ: has urinantium cura peti, illis captis cæteras pallantes retibus includi. Multo deinde obruta sale in vasis fictilibus exesa carne omni, nucleos quosdam corporum hoc est uniones decidere in ima: de qua re sic Solinus: *Piscantium insidias timent conchæ: inde est, ut aut inter scopulos, aut inter marinos canes plurimum delitescant. Gregatim natant, certa examinis dux est. Illa si capta sit, etiam quæ evaserint in plaga revertuntur*. Cornelius Tacitus de eadem re in vita Julii Agricolæ sic monumentis mandavit: *quidam artem abesse legentibus arbitrantur: nam in rubro mari viva, ac spirantia saxis avelli, in Britania prout expulsa sunt colligi*. De his autem Arrianus Megasthenem sequutus, sic tradit: *Conchas in quibus Margarita, & Uniones gignuntur, retibus capi, gregatimque multas veluti apes depasci, regemque suum habere, ac si contingat regem comprehendi a piscatoribus, eius pratinus circumfundi, nec vim effugere, fugiente rege & ipsas effugere*.

Lib. de Lapidib in examine simplic. medica.

Decad. 3. c. 10

Non sentit id Plinius:

Tanti hi Uniones vel apud Indos ipsos habebantur, ut ter tanto auri pondo æstimarentur, ut loco citato ait Arrianus. Plinius suis scriptis mandavit, Cleopatram duos qui per omne ævum maximi fuere, habuisse: taxatosque singulos centies sestertium. *Sola* factis cum Marco Antonio sponsionibus in secunda mensa lauti cœnavit. Detractum enim ex auribus alterum in vas aceti plenum immersit (hac enim vi margaritæ molliuntur) ac liquefactum absorbuit. Fecerat antehanc Clodius Æsopi tragœdi filius, solum ut experiretur, quid margaritæ saperent. Comedit etiam has Cæsar Caligula, & aceto liquefactas, ut scribit Suetonius. Oceanus Indicus has maxime mittit, & sinus Persicus. Plinius testatur reperiri solere in mari nostro, circa Bosphorum Thracium, & Acarnaniam, & in Mauritaniæ maritimis. In Britannia etiam nascuntur Auctore Marcellino, & Cornelio Tacito, sed parui & decolores. Nostro ævo maximus earum proventus in India occidentali: leguntur quoque plurimæ & maximæ in Taprobana Insula, Plinio & Solino Auctoribus. Cornelius Tacitus in Julii Agricolæ vita de Britannia loquens, sic scribit: *Gignit & Oceanus Margarita, sed suffusca & liventia*.

Plin. lib. 9 c. 45.

In vita Caligulæ c. 37.

Illud silentio minime est prætereundum, Margaritas nec gemmarum, nec lapillorum nomina contineri: (b) quod Pomponius ex Sabini sententia l. Et si non sunt §. perveniamus. ff. de auro & argento legat. his verbis asseverat: *Margaritas autem nec gemmis, nec lapillis contineri satis constitisse Sabinus ait*.

De

(a) Si a veterum opinione recesserimus, alia quoque suberit caussa, qua *Margaritis*, *Unionum* nomen impositum cognoscamus: Quid nempe dicere nus vetat a figura quam referunt, *Unionis* processisse vocabulum? quemadmodum, ait Vossius in verborum Etymologia, appellantur Elenchi, quod oblonga forma amphoris adfixi ætatē indicent vini, ita *Unio* nominatur, quod nō sit planè rutundus verum *cæparū similis*, eademque ratione, qua cæpam unius capitis vel *nuclei* rei rusticæ scriptores latine dixere *Unionem*, latino quoque nomina *Unionem* compellarunt Urinatores; nec prætereunda hoc in loco Col. sunt verba quibus sententia nostra firmari videtur: *Pompejanam, vel ascaloniam cæpam*, inquit lib. xii. cap. x; *vel etiam Marsicam simplicem, quam vocāt Unionem Rustici eligito; ea est autem quæ non fruticavit, nec habuit sobales adhærentes; Simplex* enim cæpa quæ *simplici* capite nititur, *Unio*, quæ unico contenta sit capite, *Unionem* est denotare credenda, unica concha quamplures continentem margaritas.

(b) Ad constituendum inter *Margaritas*,

ac

De Mari Rubro.

CAPUT VII.

ALiqui falso existimant Mare Rubrum tantummodo sinum Arabicum vocari: quos Cimmeriis tenebris involvi, magnoque errore trahi in præsentia probabimus. *Mare rubrum* antiqui vocarunt Oceani meridionalis partem illam a sinu Gangetico usque ad sinum Arabicum. Inde Quintus Curtius, *Gangem a Rubro mari accipi* scripsit. Unde Paulus Orosius Divi Augustini Discipulus non contemnendus Historicus sic ait: *In his finibus India est, quæ habet ab Oriente flumen Indum, qui Rubro mari accipitur.* Et cum hic fluvius in Oceanum Meridionalem evoluatur, patet mare Rubrum non tam arctis cancellis, ut aliqui putant, includi. Strabo etiam Tigrim, & Euphratem in Rubrum mare emitti testatur. Pomponius autem Mela (a) non tam longo tractu mare Rubrum terminat, sed ab sinus Persici ostio ponit principium, & finit in Arabico. Cui assentitur Plinius, principium ejus a Carmania quæ regio sita est ad sinum Persicum, collocans Orientem versus. Idem etiam auctor, Persas Rubrum mare semper accolere profitetur. Inde hujus auctoris verba illa patent *Præcipue autem laudantur circa Arabiam in Persico sinu maris Rubri.*

---

ac *Gemmas*, & *Lapillos* majus, certiusque discrimen, apponere juvat Ulpiani verba rursus in Lege XIX. de Aur. & Arg. leg. §. VI. *Gemmæ autem sunt pellucidæ materiæ; quas ut refert Sabinus libris ad Vitellium. Servius a lapillis eo distinguebat, quod Gemmæ essent perlucidæ materiæ, velati Smaragdi, Chrysolithi, Amethysti, Lapilli autem contrariæ superioribus naturæ, ut Obsiani, Vejentani; Margaritas autem, nec gemmis, nec Lapillis contineri, satis constitisse ibidem Sabinus ait, quia Concha* (nisi cum aliis malis legere in Concha) *apud Rubrū Mare, crescit, & coalescit.* In quod acriorem quidem curam dum conferimus, nobis opponent forte ffe nonnulli Græcam nominis ἐτυμολογίαν; vocabulum enim Μαργαρίτης ex Μάργαρον, latine *unio* & Λίθος, *Lapis* latine, simul conjunctis prodiit. Accedit de *Margaritis, Erythræos Lapillos* optime dici; quæ in *Gemmarum* numero *Margaritas* plane omnia collocare viderentur nisi compertū esset modo laxiore, pressiore modo significatione, sensus inspecta diversitate, quæ ad Erythræū Mare crescunt, *Lapidis* nomen usurpari, neque illos propterea nostræ sententiæ adversatos, qui *Margaritis Lapilli* vocem impropria sermonis formula affixerunt. Cæterum a *Gemmis, Lapillisque* Margaritarum diversitas a Natura indicatur, eo præsertim quod Aceto *Margaritæ*, non item *Lapilli*, ac *Gemmæ* liquescant.

(a) Mare illud, quod saniores, Geographi *Rubrum* appellavere, ab Indico Mari profectum fuit, etiam priscis Νότιον Græce, latine *Australe*: de eo videndus Pomp. Mela, qui de ut imæve illius origine in Lib III. Cap VIII *Inde post Patalenem* nempe ad *principia* inquiens *Rubri Maris pertinens jugio, atque deserta bamus*, ad Indiam intra Gangem videtur ejus Maris initia revocare: Qua parte spectat ad Arabiam nominibus variis donatur pro Regionum, quas alluit diversitate: vocatur enim cum *Arabicus Sinus* vernaculo sermone: *Mare della Mecca*, tum *Mare* Arabicum, Italice *Costa di Arabia*; quo autem loco Persidem attingit, est, *Sinus Persicus*, quod nostri intelligunt: *Golfo di Persia*. Quoad ejus nominis vim controversia suborta, num id tantum Mare quod Arabicu Sinu continetur ex Indico Oceano interfluens Arabiæ Promontorium ad Urbem *Aden*, ac inter Promontorium Africæ, atque inter Africam ad Occasum, & inter Arabiam ad Ortum procurrens, consistensque ad Isthmum Africæ *Suez*; *Rubrum* sit jure nuncupandum: an sinum quoque Persicum inter Arabiam, & Persidem ex Indico Oceano, circum Insulam *Ormuz* decurrens, ab Ortu ad Persidem, ab Occasu vergens ad Arabiam, debeamus cum *Rubro mari* conjungere, facile profecto dirimitur, si duos ejusdem maris *Sinus* vocabuli significationem-

am-

Rubri. Quem , ut solet , sequitur Solinus , inquiens: *Irrumpit, in hæc littora mare
Rubrum, idque in duos sinus scinditur.* Hincque verba illa Curtii loc.cit. manifesta Cap. 54.
sunt : *Indiam Rubro mari allui* . Herodotus , & Strabo sinum Persicum , mare Ru-
brum vocitant : quos omnes sequitur Arrianus sic loquens : *usque in sinum Persi-* Lib. 4.
cum , quem alii mare Rubrum appellant . Idem in eodem: *Sinus Persicus intror-* Stra. lib. 16.
sus recedit , quem mare Rubrum appellamus . Illorum etiam error est castigandus Lib. 8.
asseverantium , *mare Rubrum* ideo dici quoniam fert aquas rubras , cum id , teste *Unde dictum*
Curtio falsum sit. Qui ait : *mare certe quo alluitur ne colore quidem abhorret a cæ-* *mare rubrum*
teris . Sed in hanc ignorantiam & errorem multi devenerunt , quoniam secundum Lib.8.
Plinium Græci illud mare *Erythræum* vocant a Rege Erythræo , Græce namque
ἐρυθρὸς , *Ruber* significat . Inde Curtius ait , *Ab Erythræo rege inditum est no-* Lib.6. c.23.
men , propter quod igneri rubere aquas credunt . Pomponius Mela duas opiniones
sequitur , sed posteriorem sequendam censeo , ita enim loquitur , *Rubrum mare* Lib. 3. c. 7.
sive quia ejus coloris est , sive quia ibi Erithras regnavit , ἐρυθρὰν θάλασσαν , *appel-*
lant . (a) Experti Lusitani Sinum Persicum rubere affirmant , caussamque scribunt
propter copiam corallii quod subtus residet.

Plinius tamen loco citato aquas illas rubere opinatur , sic scribens , *aut ut alii solis repercussu talem reddi colorem existimantes, alii ab arena, terraque , alii aquæ ipsius natura* . Dion in Trajani vita posteriori Pomponii Melæ opinioni suffragans , atque ipsum Plinium sequens, monumentis hæc mandavit , *Sinus hic ex Oceano Indico in Arabiam profunditur , quem Erythræum mare ab Erythræo rege, qui illud tenuit , appellavere* . Quod sic Arrianus testatur : *In hac insula ajebant sepulcrum ejus stare , qui primus imperium Insulæ tenuisset, a Rubro nomen fuit , a cujus nomine mare illud Rubrum appellatur* . Quare aliorum opiniones , ut mera somnia non

---

ampliore sensu expressa maria dicamus : compertum inde erit , Rubrum *Mare Arabicum* , ac *Persicum* denominari, eaque esse inter se ratione diversa , qua *Sinus* sunt ; addendum interea ad cætera , quæ de illo duplici sensu adnotavimus , *Arabicum Sinum* ab illa quam Hydrographi *Euro-Austri* plagam definiunt ad collateralem Borealis plagæ ad Zephyrum exporrigi , contra vero ad plagam *Euro - Australem* iisdem phrasibus Hydrographorum inspectis *ad Zephyro-Borealem , Persicum Sinum* dilatari , quæ dum explanamus, ad illud in primis animum advertimus, quo ad Priscorum mentem , recentiorum sententias , meliore , quoad licet , serie , ac ordine adjungamus .

(a) Quidquid aut similitudinem veri sapiens , aut cum fabulosis narrationibus forte permixtum de Rege Erythra plerique sint commenti , sanius nos id credimus , & rectius, quod viri doctissimi tradiderunt , a veritate non abhorrere , non alium Erythram judicare , quam Esauum , vel *Edom* Isaaci filium natu majorem , Jacobi fratrem . In re dubia valde , & incerta , probabile ex significatione nominis argumentum ducimus ; Ebræa enim vox *Edom* , *Rubrum* latine , ἐρύθρας Græce redditur ; Ad hoc sententia Rabbinorum accedit , qui *Edom* Regionem ad Sinum Arabicum pertingere existimarunt , ubi dubio procul sive regnasse , ac illud quidem facilius , sive diutius fuisse commoratum Esauum liquet , & hoc quidem certius : Audiendus postremo maximus , & gravissimus Sanctæ Scripturæ Interpres Hieronymus , cum in Genes. *Idumæa regio Esau , quæ ex eo , quod ille Edom vocabatur , nomen accepit* , tum Commentar. In Ezechiel. *Sciendum , quod in Ebræa nunquam scribatur Idumæa , sed semper Edom , quam Idumæam Græca expressit translatio.* Complura præterimus duo monentes , alterum videlicet , Jacobum ex Mesopotamia redeuntem ex Genes.cap XXXII. nuntios ad Esauum in *Seir Edom* regionem legasse, atque ab illo deinde, ex Genes.cap. XXXIII. fuisse perhumaniter exceptum , alterum , Terram Idumææ , cui , *Edom* Ebræe , Græcis ἐρύθρας imperavit , in Arabiæ Petrææ ambitu contineri .

non sunt audienda : inquiunt enim dici Rubrum, quoniam in littore est fons, cujus aqua a gregibus pota, lana in colorem rubrum mutatur. Quidam recentiores ajunt a viro dignissimæ fidei, qui ab Hierosolymis ad littora usque sinus Arabici penetrarat audivisse aquam maris Rubri claram esse, si in vas funderetur, sed arenas ibi esse nonnihil rufas asseverabat. *(a)*

De Mari Congelato.

CAPUT VIII.

Certant plurimi auctoritati & rationi nimirum adversantes, probare mare Scythicum, quod ab aliis Gothicum appellatur, minime glaciari. Disarius apud Macrobium, & Taurus Philosophus apud Aulum Gellium in Herodotum
Lib.7. Historiarum scriptorem, qui dixerat, mare Bosphoricum & Scythicum gelu astrin-
Lib.7.c.8. gi, invehuntur. Asseverantes aquam marinam nullo modo contrahi, sed aquam fluviorum in illud mare confluentem. Ego vero Pontum Euxinum, & Paludem Mæoticam hyberno tempore constringi, propter aquarum multitudinem foris advenientium, non inficior. Et littora quoque Oceani Scythici, ubi ait Plinius,
Lib.7. c.17. *Haustus ipsius maris est dulcis magnitudine influentium omnium victo sale*. De interiore nunc Oceano loquor, ubi jam fluviorum aquæ assumtæ sunt. Mare vero
Lib.1. Scythicum conglaciari affirmamus, Lucani auctoritate dicentis.

Et qua bruma rigens, ac nescia vere remitti,
Astringit Scythicum glaciali frigore pontum.

Ibi namque Lucanus de Oceano Scythico intelligit, non, ut perperam putat Sulpitius Verulanus, De sinu Euxino, qui toto fere anno potest navigari, nisi cum multum frigus viget. *(b)* Idque etiam auctoritate Plinii sic loquentis, *Septentrionalis*
Lib.4. c.13. *Ocea-*

(a) Animadversione præcipua dignum censemus, quod Johannes De Castro Vir nobilis Lusitanus præ cæteris deprehendit; Quum ad oram, cui *Abex* nomen, navi, in mari Erythræo, substitisset, Vase aquam e fundo eduxit, quæ tametsi rubro antea colore suffundi videretur, albicare tamen extemplo, & liquescere cœpit; quum subinde nautæ in undas descendissent, Materiam rubro colore constratam extraxere, quæ ad Corallii naturam, & Ramos accederet, qui citrinam pellem induerent; Aliis in locis in viridem colorem effictis, quoddam albicantis Corallii genus extrahebatur, quod viridibus maculis conspersum foret; ubi vero undæ interdum albescerent, alba tantum aqua educi poterat, quo factum est, ut quo fundus colore esset, in superiore undarum parte ferme describeretur. Num singula vera sint, an falsa, non audemus affirmare; Omnia eo animo scripsimus, ut Lectorem benevolum accurata rerum disquisitione oblectaremus.

(b) Eadem Lucani carmina, quum interpretaretur Philippus Beroaldus, *Scythicum Pontum* ad universam Scythiam extendit, in qua eo esse frigora rigore affirmavit, ut, Herodoto Auctore, mare quoque ipsum glacie durissima condensetur. Quæ Orbis pars hujusmodi vel priscis fuerit, vel quæ recentioribus Auctoribus nupertime dicta, monere, difficultatis rem aleæque plenam judicamus, verum ut ingenue, quod nostri quidem est moris, & instituti, mentem nostram aperiamus; *Scbyticum Pontum cum* Lucano, tum veteribus, illum vocatum existimamus, qui in Semptemtriones procurrat, cui *Hyperboreo* nomen, nostris equidem Mare Tartariæ Moscoviticæ, & Septemtrionalis, quod ubi affirmamus, non Arctoum universum, sed Arctoi Maris partem dumtaxat aliquam denotamus, Arctoo enim Mari, vulgo *Mare del Nort*, Glaciale Mare, sive Mare Concretum subjicitur, eam respiciens regionem, quæ *Novæ Zemblæ* vocabulo

Oceanus Almacbium eum Hecatæus appellat, a Paropamiso amne qui Scythiam alluit, quod nomen ejus gentis lingua significat congelatum. Si gens Scythico mari proxima illud *mare congelatum* vocat, a nulla alia caussa accidere potest, nisi quod in glaciem contrahatur. Ipse Plinius ita tradit, *A Thyle unius diei navigatione mare* *Lib. 4. c. 16.*
Concretum, a nonnullis mare Cronium appellatur. Si a Thyle unius diei naviga- *& Soli. c.16.*
tione mare est concretum, tam longe a continenti distans, quare negatur nobis, mare minime gelu astringi? Ibi non est dicendum, propter aquas fluminum confluentes id evenire, quandoquidem tanto intervallo a terra distat, & invenitur
Concretum. Præsertim cum Pomponius Mela hæc suis scriptis mandarit: *Restat* *Lib. 3. c. 5.*
ergo pelagus, sed reliqua lateris ejusdem assiduo gelu durantur. Hipparchus apud *Lib. 1.*
Strabonem prope Thulem mare esse glaciale testatur. Cornelii etiam Taciti testi- *In vita Julii*
monio id confirmatur, scribentis, *Dispecta est & Thyle, quam hactenus nix &* *Agricolæ.*
hyems abdebat. Sed mare Pigrum, & grave remigantibus perhibent, ne ventis quidem proinde attolli. Olaus Magnus Gothus in sua Gothica descriptione, esse mare congelatum affirmat. Orontius cæterique recentiores Cosmographi huic minime refragantur.

Ratione etiam hanc opinionem veram esse convincemus: In Oceano Septentrionali ubi mare congelatum invenitur, inter circulum Arcticum & polum mundi omnibus Astrologis atque Cosmographis auctoribus per menses plures, tenebræ sunt, & perpetuæ noctes (a): in illo igitur tempore aquæ marinæ qualitas amittitur, quoniam absentia solis partes subtiliores aquæ marinæ minime levari possunt quod ejus præsentia, Aristotele auctore accidit. Ideo namque aqua marina
salsa est, (*b*) quod radii solares partes aquæ subtiliores levant & manent grossiores *Lib. 2. Meteor.*
quæ cum calore comburantur, ut in hominis urina accidit, salsus ille sapor contingit,

---

cabulo effertur; Maris insuper Arctoi pars, Mare Chronium sive Sarmaticum, & Mare Pigrum. Hac in re uberiora quærenti Geographos, Hydrographosque adire necessarium ducimus, qui ea, quæ nos delibavimus, fusius, accuratiusque persequuntur.

(a) Suspicatur, an æquo jure, an injusto, literati homines viderint, Ingeniosus antiqui Orbis explicator Christoph. Cellar. inconsulto a veritate Plinium descivisse, quod *In Thule Solstitio nullas noctes; Cancri signum Sole transeunte, nullosque contra per brumam dies*, asseverantius multo quam par erat, affirmaverit. *Si certus*, his nempe verbis Plinium carpit idem Cellarius, *ita scripsit, sensit quod res est. At unde constare ipsi potuit? Vereor ego, ne ὑπερβολικῶς loquutus fuerit prope nullam noctem, prope nullum diem certis ibi temporibus esse. Hoc Solinus, qui Plinium sublegit, adjecta vocula pæne expressit ita: Thule ultima, in qua æstiva Solstitio nox pæne nulla;* quam ea plane de caussa Auctoris gravissimi sententiam in hunc locum accurate conjecimus, ut de Barriento nostro, perpetes in Thule noctes esse rato, Sanus recte judicet Lector.

(b) Dandum est aliquid illi Philosophandi rationi, quæ Aristotelis præsidio, & auctoritate Viros gravissimos, doctissimosque diu in admirationem adduxit; Cæterum neque illam redarguimus, neque probamus: Advertimus tantum, quod ad Maris salsuginem attinet, id sanius nunc communiterque propugnari, quod a particulis salis mari admixtis, maris eamdem salsuginem reperit, quas mari ipsi coævas naturæ Opifex Maximus efformavit. Apponere libet hac quoque in re sententiam, quam Jo: Clericus lib. 11. Physic. cap. VIII. lucuientissime ornavit, cujus etiam verba, Amici Lectoris commodo, quo ad nobis integrum est, libenter studioseque servientes, subjicimus.

2. „ I. Ad salsuginem quod attinet,
„ quæritur primo quare Mare sit sal-
„ sum; deinde quare, cum tantum
„ salis pondus ex eo hauriatur quo-
„ tidie, non minuatur salsugo, cum
„ præsertim tanta dulcis aquæ co-
„ pia perpetuo ex fluviis in mare de-
„ scen-

git, & cum vapores calidi ad hujus superficiem frequentes fumant, gelu durari non potest, qui effectus in ejus absentia per tantum temporis apparere non potest, sicque aqua ad suam naturam redit, atque tunc non obstat quominus magno frigore vigente aqua fiat gelida.

Quod autem assiduo gelu durari tanti viri asseverant, minime nobis visum est, fatemur sane in illis mensibus in quibus perpetes sunt noctes constringi ac durari vigente frigore, sole vero non resistente, quoniam tunc apud Tropicum Capricorni commoratur. Quando autem Sol Tropicum Cancri visit, siquidem tunc mare illud Septemtrionale per tot menses sine ulla intermissione a Sole visitatur, non dubium est quin mare illud temittatur. (a) Nec huic meæ opinioni illud Joanter

---

,, scendat. Maris salsugo aliunde non
,, videtur oriri, quàm variorum fon-
,, tium, in quibus similis deprehen-
,, ditur sapor, & quorum aquis ex-
,, coctis Sal conficitur, ut antea di-
,, ximus. Nimirum, cum per tan-
,, tos terrarum tractus Oceani alve-
,, us porrigatur, credibile est pluri-
,, bus in locis fodinas salinas, easque
,, amplissimas ei esse subjectas. Dilu-
,, to autem ejusmodi sale, mare ejus
,, particulis impletur. Hoc tamen
,, præterea accidit, quòd in mare
,, fluvii undequaque influant; qui
,, cum aqua dulci innumeras salinas
,, particulas, ex terris quas alluunt,
,, secum deferunt; quæ quidem par-
,, ticulæ in singulis fluviis non sunt
,, ea copia, ut aquam fluviorum
,, salsam reddant, omnes tamen
,, in unum alveum collectæ unde
,, non avehuntur, saltem eadem co-
,, pia, mutare saporem aquæ eo alveo
,, contentæ possunt. Observavimus
,, autem antea salia marina in va-
,, pores non abire, unde fit ut omnia
,, quæ in Oceanum devehuntur in
,, eo maneant, dum ingens aquæ dul-
,, cis copia Solis calore hauritur. Ita-
,, que hæ etiam salinæ particulæ auge-
,, re salsuginem Oceani possunt. Con-
,, sideranda est Terra, quasi ingens
,, quædam spongia (quamvis sit com-
,, pactior) variis salibus imbuta; plu-
,, viæ verò, rores, & nebulæ instar
,, aquæ, quæ in spongiam adfundere-
,, tur; ex qua, contracta salsugine,
,, in vas subjectum effluerent. Obiter
,, quidem fluendo, tantum salis secum
,, ea aqua non deferret, quanta esset
,, salsugo aquæ vase receptæ, omnes
,, tamen guttæ aliquid ad salsuginem
,, totius aquæ conferrent. Fingamus
,, illi vasi ignem subjici; aqua dulcis
,, in vapores ibit, & quod supererit
,, salsius erit. Sed si iterum vapores
,, illi Alembico excepti in spongiam
,, injiciantur, & in vas decidant,
,, aquæ salsuginem temperabunt,
,, si modò majorem aquæ dulcis co-
,, piam, quàm salinarum particula-
,, rum contineant.

Utra eligatur opinio, id ab Aristotelicis diligenter sciscitabimur, quid videlicet in mari, ac fluminibus diversitati locum dederit: Patent solis radiis cum mare, tum flumina; utrisque tamen haud salsedo communis; nullus in eorum quidem sententia, vel difficilis saltem responsioni aditus, cui expedite ab illo satisfieri intelligemus, qui nuperrimas Philosophorum doctrinas hac in re a nobis superius allatas sequi indoctè non recusaverit.

(a) Quod ad mare Septentrionale pertinet, de ea præsertim parte, quæ Novam Zemblam attingit, ac Nassaviensis, seu Weygatii freti nomen obtinet, id equidem constat per aliquod anni tempus, tametsi non omnino remitti; nautæ autem, qui inhospitas illas regiones visitarunt, Solis non tantum radiis effectum tribuunt, quin ventis aliquid, nonnulli etiam totum, dandum esse contendunt; ea autem de caussa solaribus radiis vis non est plane referenda, quod prærupti quidam, inaccessique montes Solem ad mare usque protendi vetant, quamobrem glaciei remissæ, quæ cæteroquin non semper universa remittitur, virtus refundenda in *Mese*, vernacule *dal Greco* vehementius flante: hujusmodi montes a *Mese* Stateneilandii ad Jeniscam flumen exspatiantur, si utriusque ostia attenderis. Eorum autem, vel penes anti-

ter cl. Sacri Boschi obstat dicentis, radius solaris ibi existens debilis virtutis, magis de vaporibus elevat quam possit consumere. *Lib. 3. cap. 9. de Sphæra.*

Illud sol sub Polo Arctico efficit, Mare vero congelatum (ut diximus) est inter circulum Arcticum, & Polum Mundi: quoniam Tyle insula a Boreo circulo distat gradibus tribus teste Jacobo Stapuiensi in Sacri Bosci Commentariis, (a) & ultra mare congelatum invenitur, (b) ut Plinii testimonio probatum est. Quamobrem non bene sentit Lucanus qui dixit.

Ac nescia vere remitti.

Nec eruditissimus Hermolaus Barbarus, qui in hujus Plinii explanatione sic ait: *Bruma rigens, id est ab ea parte quæ vergit ad Septentrionem, quæ infesta rigore, & æterno premitur gelu, utpote a sole remotissima.* Erravit etiam, ut dixi, Joannes Sulpitius Verulanus Lucani interpres, qui affirmans nullum esse mare congelatum, sic locutus est: *Pontum Scythicum non Oceanum Septentrionalem, qui non congelatur, sed sinum Euxinum dicit.* Est etiam in eumdem errorem lapsus Alexius Vanegas, vir alloquio doctissimus, & reconditæ scientiæ, qui nullum es- *Lib. 2. differẽ. c. 27.*

E se

---

tiquos vel apud Recentiores Auctores quæ fuerint, quæ sint nomina, videat Lector benevolus apud Geographos; a nemine hoc unum in dubium revocari posse non inconsulto existimamus, quod solertiorum nautarum usu longiore animadvertimus, montibus ejusmodi cacumine propemodum incredibili se se in altum tollentibus ultro primævam impetus originem esse permittendam, qua in regiones ad australem Novæ Zemblæ plagam collocatas, Boreas lethaliter ferme debacchatur: Weygatianum fretum per illos menses transire non est periculosum, quibus remissam glaciem in Septem-Triones fortius Auster propellat, sæviente enim durius Borea, in amnium, quibus idem Weygatii cingitur fretum, alveo, naves consistunt, ne vigenti nimirum frigori, glacieique condensatæ fiant obnoxiæ.

(a) *Gardium* profecto *nodum* videbitur sapienter abrumpere ingeniosus noster Barrientus, siquæ hominum clarissimorum, diu torsit ingenia, controversiam absolvet, Thulemque remotissimam in certo spatio figet, ac locabit, quod cæteroquin vel male, vel ulla nunc omnino ratione præstare non est credendus, quum a Boreo Circulo tribus gradibus dumtaxat Thulem distare perhibuit; namque uno supra quartum, seu supra quintum gradu Thula dissita esse intelligitur; non est tamen inde compertum illa quæ sit, ubive constituta: in mira sententiarum varietate, ne benevolum lectorem fatigare dicamur, quod, certum est tantum proponimus, nempe ejus regionem fuisse naturæ, qua penes antiquos Terrarum ultima haberetur, illamque sub Romanorum ditionem primus redegisse Vespasianus memoratur; quæque de cætero dicantur, monemus auctore Strabone, *Thules Historiam nimis obscuram esse.*

(b) Ubicumque Terrarum jaceat *Thule*, de qua, sicuti mox adnotavimus, lis adhuc sub Judice, illam plerisque Auctoribus inter Orcades numerantibus, cui opinioni Plinius assentitur, multis inter Hetlandicas Insulas recensentibus, cujus rei vestigium ex eo colligit Camdenus, quod *Thylensel* Hetlandicis insulis apud Nautas quum sit nomen, *Thule* indicari videtur, Ora Septentrionali Scotiæ a nonnullis pro *Thule* accepta, id habemus pro comperto, illam a nobis adeo non distare, ut *Maris Glacialis* supremus esse finis censeatur; Prætergreditur ejus terminos glacie concretum Pelagus, nec Doct. Barrient. nost. qui ultra mare congelatum ipsam Plinio Duce collocavit, nulla sententia alia præter illam, quæ rationi haud obstat, ultra videlicet congelati maris initium, perpetua glacie circumseptam, obsitamque frigoribus assiduis, *Thulem* inveniri. Quorum Regum imperio pareat *Thule*, qui mores Incolarum, quæ regionis magnitudo, unde illi cum apud Veteres, tum novissime penes Recentiores, nominis significatio, melius docebunt, uberiusque Geographi.

fe mare congelatum probare vult. Ego autem sic sentio; in aliquibus anni mensibus congelatum esse, in aliis vero non. Cornelius enim Nepos apud Pomponium Melam inquit; *Metellum Galliæ Proconsulem Indos a Suevorum Rege dono accepisse ab eisq. requisivit, unde in eas terras devenissent: cognovisse vi tempestatum ex Indicis æquoribus advectos in Germaniæ littora exivisse* (*a*). Si Oceani illa pars esset (ut pluribus placet) concreta, neutiquam Indi illi ad Germaniæ littora appulissent. Quamvis dicere possumus mare illud concretum in interiori Oceano intelligi, non vero in mari tam littori Scythico proximo.

Si nostra opinio aliquibus minus probabilis videbitur, sibi persuadeant certius, ac securius esse mare congelatum antiquissimorum testimonia sequentes fateri, quam nullum esse testari. Ego vero sententiam non mutabo, quoad usque recte aut ex illius loci accolis aut navigantibus, aut quovis alio modo compertum sit, mare illic toto anni tempore semper rigere, & continuo premi gelu (*b*).

De colorum quorumdam vocibus apud Jurisconsultum in l. quæsitum. §. fortassis. Aliquis de legatis 3.

CAPUT IX.

ILlud in primis monandum est legem illam sic debere corrigi, si quis illius sensum exacte percipere voluerit, *coracinum aut byssinum* (*c*). *Coracinus* est color ve-

(*a*) Barrienti nostri credulitatem mirari satis non possumus, qui ea in re, quæ naturæ legibus adversatur, ultro Plinio fidem habendam est arbitratus: *Quidni*, ait Reiskius Cluverium de navigatione Oceani differentem fusius explanaturus; *Quidni, explodamus Indos ab Rege Suevico ad Q. Metellum Celerem dono missos, & tempestatibus ad mare Germanicum abreptos, nisi enim naturæ, historicæque veritati inferenda sit vis, nulla ad littus Germanicum per tempestatem navis Indicæ propulsio*, per ætatem ullam, *valebit*.

(*b*) Quod ex novissimis accuratiorum nautarum observationibus deprehendimus, illud est, angustis limitibus, quemadmodum penes antiquos, Oceani navigationem non esse coercendam: magis nostris patet mare, quam veteribus, ac navigatione septemplici, qua Itali, Hispani, cæteræque Gentes illud percurrerunt, ejus pleræque oræ, obscuræ antea detectæ, Moschi præ aliis in Septem-Trionali pelago latius progressi, non tamen inde perspicuum Glaciem in unaquaque illius parte remitti; in oppositam potius nos declinare sententiam ferme adigit publicarum Epistolarum fama, quæ dum ista conscribimus, detulit Anglos quosdam liberius mari Glaciali peragrato, demum compulsos ad reditum, quod essent membrorum algore correpti, quin plerique morbis ac morte consumpti; decem, & octo mensibus navigarunt, ac ad novam navigationem se nunc comparare pronuntiant. In re autem nimis dubia, lectoris judicium expectamus, quem Geographos adire, pro virili parte hortamur.

(*c*) Κοράκινος Græcis, latina significatione redditur *Corvinus*, & *niger*; *Coracinus* nonnunquam dicitur Κοράκινος, quod hac voce sive ater ejusmodi color, sive quidpiam atrum colorem attingens denoteretur; factum est inde Ægyptios cæterarum gentium longe superstitiosissimos, Ritus solemnes, quibus nigrantibus Corvis sacrificiorum honores indixerant, vocavisse *Coracina sacra*, quorum, declaraturus Apostoli verba ad Romanos: *Et mutaverunt Gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum*, & *Serpentium*; meminit Hilarius Romanus Diaconus, cui Lucifera-

venit namque a Dictione Græca Κόραξ (a), quæ significat *corvus*, inde eadem Dictio Κοράκινος, ου. id est, *corvinus*. Ex etymologiæ igitur ratione dicendum *coracinum* cum *c*. non cum *t*. ut aliqui codices habent Loco *insignum* nos *Hyginum* emen-

---

riani χίσματος sub Damasi Pontificis Maximi tempora acerrimo propugnatori, lucubrationes in Epistolas Beati Paulli, antea perperam adjudicatas Ambrosio, tribuit apud Jo. Doulatium Emus vir Bellarminus, eamdem quoque probante sententiam, modo nonnulla demantur capita, videlicet decem priora Epistolæ ad Hebræos conscriptæ, Guilielmo Cave; visum autem illi neque Hilarium, neque alium quempiam Latinorum ejus ætatis, quidquam in eam Epistolam conscripsisse, falsiloquique propterea cujusdam hominis opera, partim ex Chrysostomo, contexta partim ex Hieronymo Commentaris in lucem emissa; quod ad Ambrosium pertinet; *Scripsit quidem*, ait idem Cave, *in Apostolum Ambrosius, sed opus istud interiit*. Verumtamen, ut ad propositum, unde benevolum Lectorem multiplici rerum varietate oblectaturi, liberius fortasse quam par erat, sumus digressi, tandem revertamur; quæ de *Coracinis* facta, quorum penes Auctorem sit fides, Hilarius Diaconus enarrat in allatum Epistolæ ad Romanos locum, sub capitis primi finem ipsius verbis exponamus: *Ægyptii autem colebant quadrupedem, quem dicebant Apim in similitudinem Vaccæ, quod malum imitatus est Hieroboam, Vaccas instituens in Samaria, quibus sacrificarent Judæi, & volucres, quia Coracina sacra habent Pagani* Cæterum istius multo, quam atri coloris natura patitur, *Coracini* significatio est pervagata: Coracinus, piscis fuit Nilo valde familiaris: Oppianus inter Græcos Piscat. lib. xxii. Capite v. & Martialis in Xeniis Epigr. 85. eum commemorat.

Princeps Niliaci raperis, Coracine, Macelli,
Pellææ prior est gloria nulla gulæ:

Princeps inter cibos habebatur Alexandriæ, Græcis vero erat vilissimus. Amphis.

Quicumque Coracinum *vorat maritimum,*
Glauco præsente, non habet cerebrum.

Quædam illi cum Corvo fuit ἀναλογία ex nigri coloris qualitate, ex qua nominis ἐτυμολογίαν, non proprietatem naturæ hausit *Coracinus*.

(a) Grammaticorum tantum sententiam prodiisse, ait Voss. in Etymol. a nigri coloris natura Corvum, qui Græcis Κόραξ, fuit appellatus, quum tamen confessa sit res, ac manifesta, vel ex Hebræorum hominum sermone, *clamare mare Corvorum* hausisse significationẽ, quod Angelus Caninius monuit, vel ex soni proprietate esse concinnatum, quod vocem *Corvus*, cui Græcum vocabulum Κόραξ, præcesserat, expendens Isidor. lib. xii. cap. vii. credidit: *Corvitare* fluxit a *Corvo*, quod in Plaut. Caf. iv. 1. legimus.

Novi ego illas ambas estrices; *Corvitant* ubi
Comesse possunt.

Nisi contra vetusti Codicis manu exarati fidem malimus apponere.

. . . . *Corbitam cibi*,
Comesse possunt. . . . .

quod Lambino placuit, ac Turnebo, probavitque, consulto, necne, non dixerimus, Joh. Fridericus Gronovius ex Salmasii auctoritate, num *Corbitam*, aut *Corvitam*, quæ navis oneraria fuit, sive frumentaria, conscripserit Plautus, haud definiens. Pronuntiatum quoque Græcorum ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὰς Κόρας ab assiduo pupillæ motu, Cœl. Teste lib. vii. cap. v. tulit, εἰς κόρακας, ad Corvos videlicet, innuit & penes Græcos locum supplicii in Thessalia, nec non illud Aristophanis.

οὐκ ἐς κόρακας ἀποφθερεῖ

Non abibis in perniciem?

Latine redditur. Cur Procl. de Sphæra Κόραξ fuerit *signum cœleste*; cur in

Lib. 21. c. 26. emendamus. Prima vox nihil significat. *Hysginum* esse colorem flavum, (*a*) Hispan. *roxa* Plinii testimonio probatur, dicentis, *Hyacinthus in Gallia maxime provenit, hoc ibi pro cocco hysginum tingitur*. *Lib. 38. c. 6.* Idem, *Unde pretiosissimæ purpuræ causa est, quod hysgino maxime inficitur rubrum quod cogitur sorbere*. *Melinum* (*b*) color est luteus Hispan. *amarillo*, hoc in loco. Nec me præterit, ab aliquibus etiam accipi pro colore candido & gilvo, Lege Cœlium Rhodiginum lib. 23. c. 32.

Infinitivum oratorio modo poni pro Præt. imperfecto Indicantis modi.

CAPUT X.

INfinitivum poni pro Præterito imperfecto indicativi modi apud Poetas, & Historicos omnibus in confesso est: inveniri autem apud Oratores id multi Grammatici negant: qui quantum a veritate aberrent, vel ex his testimoniis a me citatis conlectare licet. *In Panegy.* Plinius iunior, *Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes*. *Lib. 3. ep. 5.* Cicero, *studia eorum mihi placere*. *In eodem.* Idem, *Consilium tatum videri minime necessarium*. *Act. 4. in Verrem. l. 3.* Idem: *Ridere conviva, machinari ipse*. Idem: *Stomachari Caninius, sed quid faceret?* *Offic. lib. 1. de ora. l. 4. ep. 3. ad Attic.* Idem: *Galba autem alludens varie & copiose multas similitudines afferre, multaq. pro æquitate juris dicere*. Idem: *Ille vehemens furore post hunc vero furorem nihil nisi cædem inimicorum cogitare, vicatim ambire, servis aperte spem libertatis ostendere*. Idem: *Hærere homo, aversari, rubere*.

Illud

in vocibus Vitruvianis *Corvus* arti architectonicæ sit accomodandus, ut Bernardinus Baldus docet, benevolus lector inquirat, unum hoc muneris nostri censemus, eo, quod obscurius, quam par erat Barrientus, fusius declarato, legentium judicio acquiescere.

(*a*) Nimium videtur sibi fidere noster Barrientus, qui pro *hysgino* flavum colorem interpretatur. Qui Plinium perpenderit, intelliget profecto *hysgino* purpureum colorem denotari, idque compertum ex prima ipsius Græci vocabuli significatione arbitramur; ex Græco nomine *υσγη*, quo Galatæ utuntur, cæteris Græcorum *κόκκος* factus est *hysginus*, latino nomine *purpureus* color, id quoque colligere possumus ex Tertulliano, qui *Coccum Galaticum* nonnumquam, *Galaticum ruborem* interdum maxima afficit laude, quod nempe *rubor hysginus, cocco alibi nato*, præferendus censeatur.

(*b*) Non tam *Luteo*, quam *Flavo* nomen est *Melino* colori; illi videlicet, qui Græco sensu *μήλινος* Ilius ferme naturæ est, qui in maturis malis deprehenditur: qui ejusmodi colorem cum *gilvo* confundi posse existimaverit, Servius est, Isidorusque cum illo, qui jux. Voss. cæteroquin *helvum* dicere debuerat pro *Gilvo*. *Melinum candidum & ipsum optimum esse in Melo insula*, Plinius docuit, a *Terra Melia*, sive *Melino Pigmento*, quod effoderetur in *Melo* maris Cretici insula *omnium insularum*, ex Plinio, *rotundissima*: De Apelle, aliisque Pictoribus antiquis idem differens Plinius: *quatuor coloribus*, ait, *solis, immortalia illa opera fecere, ex albis melino, ex silaceis attico, ex rubris sinopide Pontica, ex nigris atramento*; *Melinum*, & ipse inquit, *Terram fuisse albam* contra Dioscoridis sententiam, qui *cinericiam* fuisse est arbitratus; quas opiniones Vossius deinde conciliat, in Melo *duo genera terræ* commemorans, alterum *cinericium*, postremumque *candidum*, quo veteres usos fuisse Pictores credi non immerito potest.

Illud advertendum, quod optime annotavit *Policarius*, interdum infinitivum capi pro Præterito perfecto. Terentius: *In Verrem act. 6.*

Ille contra hæc omnia, ruri agere vitam, *Lib. 1. de rect.*
Semper parce ac duriter se habere. *& ord. cõp.*

Pro eo quod est, *In Adelph.*
Egit, habuit. *act. 1. Sc. 1.*

Nam sequitur, *In his omnib.*
Uxorem duxit, nati filii *teste Fabio*
Duo. Inde ego hunc majorem adoptavi mihi. *exauditur cæ-*

Idem: *pit, vel simile.*

Ita ne tandem uxorem duxit Antipha injussu meo?
Nec meum imperium, age mitto imperium, non simultatem meam
Revereri saltem? Non pudere?

Pro *Reveritus est, puditum est (a).*

Contumeliam facere afficere contumelia, Latine dici.

CAPUT XI.

Cicero ait, *Facere contumeliam*, genus est obscurum loquendi, cum ait: *Quid est porro facere contumeliam: Quis sic loquitur?* Postea subdit: *Nonne satius est mutum esse, quam quod nemo intelligat dicere?* Quintilianus vero, *Et contumeliam* inquit *fecit, quod a Cicerone reprehendi notum est (b).* Quam locutionem non refugiam, quod enim auctoribus locupletissimis probatur, non potest refelli & a nemine contradici. Plautus Latinorum Latinissimus sic loquitur. *Philipp. 3.* *Lib. 9. c. 13.* *Inst. Orator.*

Tu contumeliam alteri facias. *In Asinar. act. 2. Sc. ult.*

Et Terentius:

Novo ei modo quin faceres contumelias. *In Phorm. act. 5. Sce. vii.*

F Sic

(a) Cum sanioribus Grammaticis Barrient. Nostr. sentire non dixerimus, qui Infinitivo Modo vim, quæ non est plane tribuenda, concedat; neminem quidem, cui ad veritatem loqui placuerit, credere putamus, Modum, qui alieno quodammodo, auxilio firmatur, ad cæterorum tempora traduci posse promiscue; consultius itaque ducendum Grammaticalis figuræ venustate, pro sensus opportunitate, verba, *cœpit, solebat*, aut similia Infinitivi Modi phrasibus adjungenda, ejusmodique figuram aliam ab *Ellypsi* non esse, ne supervacaneo Grammaticalium figurarum generi studere censeamur; quam veram, veteremque sententiam deprompsimus ex Grammaticis Institutionibus, quæ Gallico primum sermone conscriptæ *Par Messieurs de Port-Roial*, Italice postea redditæ, Nobiles Adolescentulos optimis disciplinis hoc in Collegio Borbonico imbuendos, ad latinæ linguæ nitorem facilius informant, ac brevius.

(b) *Facere Contumeliam* eo fere sensu, quo *Contumeliam pati*, ut *facere jacturam* aliquis nonnumquam dicit pro *pati jacturam*, displicere non debuerat Barrient. Nostr. quod in Triumviro Antonio Tullius perstrinxisset, veluti obscurius dictum: frequens per id tempus ejusmodi phrasis usus nondum invaluerat, nec admirationi propterea locus, eo quod Cicero foret sciscitatus: *Quid est porro facere contumeliam? Quis sic loquitur?* Cæterum Plauto, Terentioque satisfacit eleganter Taubman; qui in aliarum Plauti locum, formulam, inquit, *reprehendit Cicero, non tamquam nemo unquam sic loquutus fuerit,*

Declam 5.
Declam. 9.

Sic locutus Quintilianus declamator pro patre contra filium, quæ aliter *De agro redempto*, inscribitur: *Non faciam banc rerum natura, non faciam contumeliam legi*. Idem pro filio contra patrem, aut, *pro gladiatore*: *Nonne contumeliam fortune tua facis, si hanc adisti*.

Differentiam inter Urbs & civitas, quæ a Grammaticis assignatur, non semper custodiri.

Vera est differentia sed tritum est capi continens pro contento & contra ut su ex Quintil. citas.
In Florib.
In somn. Scip.
Lib. 1. de Rep. & Ph. 11.
Lib. 3. ep. 4. ad Q. Fra.
Pro Ligaria.
In Proœ. lib. 1. Inst. orat.
Lib. 1. Æn.
Lib. 8. c. 6.
Lib. 1.
In Catili or. 3.
Ibidem.
Satyr. 11.
Lib. 2.
Lib. 2. c. 11.
Phil. 2.
Phil. 1.
Phil. 13.
L. 6. bell. pu.
L. 3. bell. pun.
Lib. 4. c. 3. de Pyrrbo.

CAPUT XII.

MAncinellus ait, *Civitas est hominum sed mænia dicimus Urbem*. Docent omnes Grammatici Urbs, esse domicilia conjuncta. Civitas autem, concilium cœtusque hominum. Quam differentiam assignat Cicero, in Somnio Scipionis, & in Philippicis, *Cum ne vestigium quidem Asiæ Civitatum atque Urbium relinquatur*. Invenies tamen hoc ab auctoribus non plene servatum. Cicero, *Reus dixit si in Civitate licuisset sibi esse*. i. *in Urbe*. *Idem*, *aut tres legati in Civitate retinendi sunt, aut tres ex Civitate exterminandi*. Urbs pro Civitate ponitur a Quintiliano: *Qui regere consiliis Urbes fundare legibus, emendare judicium possit*, Virgilius,

Invadunt Urbem vino somnaque sepultam.

Quintilianus, ait, continens pro contento per metonymiam dictum. Lucanus,

Ancipites discordes urbe tribuni.

Cicero, *Præcipueque banc urbem Deorum immortalium ope atq; potestate administrari*. Idem; *Multosque fortes viros, partim ejecit ex civitate, partim interemit*. Ita dictum a Juvenale: *Mæsto urbi attonitaque & urbs trepida*, a Lucano. Quintilianus, *Urbium ipsarum vires, jura, mores*. Cicero: *Quæ perturbatio totius urbis*. Idem: *Quæ tamen mihi urbe conjunctissima plus una nocte cupiens retinere non potuit*. Idem: *Moveri sedibus huic urbi melius est, atque in alias si fieri possit, terras demigrare*. Titus Livius, *Cursus hominum affugentium vana auditis totam urbem consederat*. Idem: *Magonem regionis ejus urbes aut deficientes a Romanis accipere, aut detrectantes cogere ad defectionem jubet*. Idem, *Cum ex eo pavor trepidatio totam urbem pervasisset*. Valerius Maximus: *Haud scio majore cum gloria hujus urbis*, &c. (a)

Lex,

---

rit, sed quod tunc ita nemo loqueretur. Quintiliani autem, Barrientique sententia posthabita, Tullio libentius adhæremus, lectoremque nostrum, qui plura de hoc loquendi genere a nobis requirat, Gronovii lib. 3. observ. VIII. pervolvere debere judicabimus.

(a) Tametsi religiosum semper æque non sit, inter hæc duo vocabula *Urbem*, ac *Civitatem* diversitatem per Grammaticos invectam custodire, *aliud enim*, lib. 1. cap. VI. ait Quintilian. *Est Grammatice, aliud latine loqui*, interdum tamen res postulet, ut *Urbi Civitas*, *nullo modo* valeat accomodari, quod videlicet diversus utroque vocabulo sensus exprimatur: *Civitatem* aliquando, si jus Civium interpretemur, ad Urbem non satis apte referimus; ex Cicerone hinc dicimus, *Civitate donare*, *in Civitatem recipere*, *Civitatem consequi*, hisque similia; *ab urbo*, sive *urvo*, Idest *circumdo*, *Urbs*, scribit Var. lib. IV. de L. L; a *coeundo Civis*, & *Civitas* prodierunt, inquit Isidor. lib. IX. cap. IV. Verum non aliunde dissimilitudo dignoscenda, quam ex sententiarum perspicuo discrimine.

Lex, qui penum . ff. de Penu leg. correcta, & in pristinum candorem restituta.

CAPUT XIII.

AMurca fæx olei est, quæ in serobibus antequam in dolia immittatur, oleum
supernatat Hisp. *alpechin*. Alterum fæcis ex oleo genus est, quod in cupis
seu cadis post oleum conditum etiam apparet, & *fraces* dicuntur. Unde Pli- *Lib.15.c.6.*
nius: *Et e cortinis in labro fundendam ut fraces & amurca liqueatur* (*a*). Amurca
enim & fraces sunt carnes olivarum, & inde fæces fiunt. Amurca in cibo usos
fuisse antiquos ex Ulpiano in l. Qui penum. ff. de pen. leg. coniici posse videtur,
cum inquit, *Ut puta ea* (*b*) *in quibus* (*c*) *esse solemus, oleum forte, garum, amurca,
mel*. Cæterum amurcam in esculentis addi apud aliquem auctorem non legitur,
quare ansa fuit Jurisconsultis data, ut locum corruptum cum eruditissimo Ne-
brissensi putarent. *Muriaque* legendum esse contendant ut in omnibus recentio-
ribus codicibus est videre (*d*). Locum ego corruptum minime puto, nec legen-
dum *muria* sed *amurca* ut codices antiqui asseverant. His potissimum de caussis;
antiqui amurcæ aspersione vestiaria & vestimentorum arcas atque ipsa horrea, a
tinearum, curgulionum & cariei noxa incorrupta servabant, & quoniam hæc
esui & vestitui conducebant, Jurisconsultus in penu legato *amurcam* addidit.
Quod hæc veteres illi actitarunt testis est, M. Cato, & aliis in locis, Plinius. *Cap.97.98.99.*
Præterea favet huic meæ opinioni mos ille apud Romanos servatus, qui ligna *Plin. lib. 15.*
fumum non facientia adolebant, quæ aspersa amurca non fumant, cum edulia *cap.6. infra*
illis condirent & eorum igne calefierent, sub penu legata proculdubio continebi- *cap.45.*
tur amurca, quoniam victus genus est, & l. verborum victus. ff. de verb. sig.
Continentur quæ esui & potui, cultui quoque corporis, quæque ad vivendum
homini necessaria sunt, & l. sequenti. Præterea ex Aristonis opinione, non est
amurca esui nec potui, sed numerat eam inter illa in quibus solemus condire:
ad ignem enim quando vescimur, vestimur & edulia condiuntur. Nec in eadem
l. in

(*a*) Emendavit Plinianam loquutionem, gravissimus Interpres Dalechampius, apposuitque *fæces*, non *fraces*, auctoritate quidem Codicis Chiffletiani manu exarati, nec non *linquantur* pro *liquentur* conscripsit, eaque de caussa legendum in Plinio: *Et e cortinis in labro fundendum, ut fæces linquantur*. In hac lectionum diversitate, num Dalechamp. num Barrient. fidendum, eruditus lector decernat.

(*b*) *In quibus*, interpretatur Glossa *Cum quibus*; usurpata particula Conjunctiva, qua videlicet ea, quæ diversa erant, ac dissimilia, substantiæ tantum natura inspecta, in eadem cibi serie, quadam veluti affinitate inter se mutuo conjungeret.

(*c*) *Esse*; quod *comedere* explicavit Accursius; innuit ille propterea ejusmodi explanatione aperte legis sensu denotari, non illa, quæ *Epulas tantum condirent*, sed quæ in *Epularum* numerum absolute referrentur: sive autem ea potum, sive esum sint complexa, illud parvi refert; satis superque habet lex, quod singula, quæ supra recensuit, in epulis fuerint numerata.

(*d*) Pandectæ Florentinæ *Muriam* quoque legunt, non vero *Amurcam*, quæ sensui quidem videtur lectio consentanea: *Garum*, quod in allatæ legis sententia Ulpianus assumit, quadam conjunctione cum reliquis cibis a lege commemoratis debet cohærere, rogatur enim illa, agitque de iis, quæ esui, potuique conveniunt, ejusque generis sunt, quo *Oleum*, *Garum*, cujusmodi *Muria* esse non absque ratione præcipue judicatur: Sane, ut ab antiquorum consuetudine recedere non dicamur,
in

l. in v. Lacertas (*a*) adderet cum *muria* contineri, si supra dixisset muriam legato contineri. Quare in Bætica & Iberia aliisque locis oliviferis si testator victum, aut penum alicui legaret, jure optimo Judex & amurcam dare juberet.

Quid est Cucuma in l. 1. ff. ad l. Cornel. de Sicariis.

CAPUT XIV.

Lib. 10. CUcuma, æ, tugurium est apud Martialem,

Cucumam fecit Otacilius.

Hisp. *chopa*, est & genus vasis in modum cucumeris (*b*), Hisp. *caço*. Unde diminutivum cucumella. Ut l. si quando, ff. si servitus vend. Martianus in l. 1. ff. ad l. de Sicariis accepit in secunda significatione: *Si enim* (inquit juris prudens) *casu inter aliquos oborto, quis alterum cucuma, id est, vase aliquo æneo sive ferreo occi-*

in eo ordine a veteribus, quo *Garum*, *Muria* est collocata, ac quemadmodum *Gari* vocabulum ex intestinis piscium sale maceratis liquamen præseferebat, ita *Muriæ* nomine liquor ex resolutis piscibus fluens indicabatur, illo tantum servato discrimine, quod *Garum* olim Scombris dumtaxat tribueretur, ac ditiorum cibus foret, *Muria* hauriretur solum ex Thynnis, & pauperes foveret; utriusque meminit in Xeniis Martialis, lib. 13. *Gari* quidem Epigr. LXXXII.

Ebria Bajano veni modo concha Lucrino,
Nobile nunc sitio luxuriosa *Garum*.

Muriæ vero ejusdem lib. Epigr. CIII.

Antipolitani fateor sum filia Thynni,
Essem si Scombri, non tibi missa forem.

Garum ex Isidor. lib. XX. cap. 3. *quod olim ex pisce, quem Græci γάρον vocabant, confectum, tametsi nomen pristinum retinuerit, a quo sumsit initium, factum tamen est postea ex infinito piscium genere*, sicut ad plura, quæ antea non indicabat, subinde sensus extendit, ita *Muriatica*, quibus nomen ex *Muria*, latiore significatione usurpans Scaliger, illa omnia continere est ratus, quæ Septentrionales populi *Stockvisch* appellant, quem merito hac in re audiendum non existimat Voss. in Etymol. quod *Muriatica* sint, quæ *Muria* condiantur, *Stockvisch* autem vento arefiat.

(*a*) *Lacertas* esse *Briscos Mellis* pronunciavit Accursius, quod equidem in significatione longe diversa, suapte antea natura latinum, incultæ postea, ac rudis ætatis vitio, Jurisconsultorum ingeniis ad *Barbariem* vergentibus, corruptum fuit, depravatumque.

(*b*) Martialis locum consulenti in lib. X. Epigr. LXXIX. Interpretes saniores *Cucumæ* sensum explicabunt, quo *Balneolum*, *Cucumæ* nomine videtur indicari: Hæc nempe sunt Poetæ carmina

Torquatus nitidas vario de marmore *Thermas*
Exstruxit: *Cucumam* fecit Otacilius.

magnificentiam ditissimi hominis Torquati, summamque Otacilii pauperis inopiam descriptam ibi venuste, eleganterque unusquisque deprehendit, compertumque est inquirenti, quid sentiendum de *Cucumo*; postquam Thermas cognovit. Cæterum Jurisconsultorum, qui de Cucuma sunt loquuti, mentem, aperit præ aliis Wesembecius in Pandectas, qui: *Sed si*, inquit, *clavi percusserit*, de homicida quidem apposite ad rem nostram differens, *aut* Cucuma, *hoc est ligone ferramentis præmunito, quamvis ferro percusserit, tamen quia hæc instrumenta ad alios usus, quam ad cædem, & vulnera sunt facta, aptaque, non videbitur animo*

occiderit, quamvis ferro percusserit, tamen non accidendi animo, leniendam esse pœnam. Idem erit si plumbeo atramentario, aut grandi clave ferrea, aliquis occisus fuerit, vel quovis instrumento, ut vase aureo vel argenteo aut figlino sive poculo fictili. Antonius Nebrissensis pro genere quodam verberis ait accipi hoc in loco: quem bene tu vide. Cœlius Rhodiginius aliorum opinione hæc venalia ornamenta esse dicit. Angelus Politianus voluit vocabulum interpretari quantumque profecerit tu sis testis. *Cent.1.c.30.*

Quid sit Gynæcium, ubi aliqua auctorum loca declarantur.

CAPUT XV.

G*Ynæcium* (a) seu *Gynæceum* vox Græca γυναικεῖον conclave est, & penitissima domus pars, quam fœminæ tantum habitant, Hispane, *aposento de mugeres*. Quod verum esse Terentii locus ostendit, *In Phor.ac.5. Sc.6.*

Ubi in Gynæceum ire occipio, puer ad me accurrit Mida,
Pone apprehendit pallio, resupinat, respicio, roga,
Quam ob rem retineat me, ait esse vetitum, intro ad heram accedere.

Est etiam officina ubi ars lanifica & textrina & quæ ad lanificium exercendum attinebant, curabantur. Hispan. *tienda o retrete de casa do hazen pannos*. Lanas enim ibi vel colo vel torno nebant, carpebant, pectine tergebant pannique nodos forfice tam fœminæ quam viri auferebant. Quæ omnia potius mulierum quam hominum munia sunt. Ut l. Ingenuæ mulieres, quæ se Gynæciariis sociaverunt. C. de murilegulis, &c. Homines hæc tractantes ad bellum non eligendos esse, Vegetius scribit: *Omnesque* (ait) *qui aliquid tractasse videntur, ad Gynæcia pertinent*. Quæ universa patent per Galeni verba dicentis, *Ut qui sub patre male lauat carpente in Gynæcia sit altus*. Habebant Imperatores Valentinus & Valans multa Gynæcia ubi res textrinæ curabantur. Ut l. Qui aliquem ex familiis Gynæcii in latebris habere comperti sunt. Codice de murilegulis. Gynæcium appellatur textrinum ab iisdem Imperatoribus in eodem titulo, lego. *Qui textrini nostri mancipia celaverint*. Inde *præpositus Gynæcio*, est qui curam hujus loci gerit. Ut l. Unusquisque Codice ad legem Juliam reperundarum. *Unusquisque* (ait) *procurator, præpositus Gynæcia, tabularius, susceptor calonus* &, Codice titulus est, *de Murilegulis & Gynæciariis & procuratoribus Gynæcii*. Inde *Gynæciarius*, qui ea quæ ad lanificium attinent curat. Ut qui panni tu- *Lib.xi.cap.7.* *In Thessalum lib.1.c.2. Methodi medēdi.*

G ber-

animo accidendi percussisse. De Cucuma est sermo in Actis SS. Juliani, & Basilissæ cap. v. *Dii vestri, aut ærei sunt, aut lapidei: Si ærei sunt, meliores sunt illis Cucumæ, quæ ad usus hominum ex ipso metallo fiunt*; & in Vita S. Agnetis Sanctus Ambrosius: *Dii autem tui ærei sunt, ex quibus Cucumæ melius fiunt ad usus hominum*, quæ ea de caussa hoc in loco in unum congessimus, ut unam non tantum esse *Cucumæ* significationem Lector Amicus intelligat, licet communius *Cucuma vas æneum, in quo aqua calefit, vel quidpiam maceratur, lato ventre instar cucumeris*, ex peritiorum lexicographorum sensu complectatur, quod egregie Barrient. Nost. adnotavit.

(a) Penitissimam non tantum domus partem esse Γυναικεῖον Jurisconsultorum auctoritate docemur, verum locum, ubi *Mater - familias cum lanificis sedeat*, ducta significatione a Græcis vocabulis Γυνὴ *Mulier*, & Οἰκῶ *habito*: si vero de *Textrino loco pannis conficiendis destinato* Γυναικεῖον loqui dixerimus, ἐτυμολογίαν quoque hauriemus a Græco nomine Γυμνοὶ, *Nudus* latine, quod nudi sint, qui pannis vestiantur. Loco ejusmodi, quo ea curarentur, quæ

berculos forfice tollit. Hisp. *Desmoiador*. Et qui eas tingunt, Hisp. *Tintoreros*. Et alii hujusmodi. Est & locus ubi hæc fiunt. Hispan. *Obrador*, ut l. Auratas Cod. de vestibus holoberis (a) & auratis, *Et in Gynæciariis* (inquit) *tantummodo nostris fieri præcipimus* (b).

Quid sit ligna cocta apud Jurisconsultos.

CAPUT XVI.

Ligna cocta Hispan. *Lenna cozida* quorum meminit Ulpianus in l. carbonum appellatione, ff. de ver. sig. & l. ligni appellatione, ff. de legatis, 3. Romanorum delitiæ hoc etiam expostulabant ut ars humana excogitaret quo pacto lignorum fumus oculos minime infestaret, nulliusque fumi tædio arderent, hac
Cap. 130. de caussa invenerunt quomodo ligna bene arderent & sine fumo. Id auctore Catone libro de re rustica, sic factitabant. Ligna amurca cruda aspergebant, postea
Lib. 15. c. 8. sole torrefacta neque fumosa erant, & bene ardebant. idque Plinius testatur inquiens, *Postremo ligna macerata amurca nullius fumi tædio ardere. Ligna Acapna*

quæ ad Texturam spectarent, vir præpositus fuit, qui *pannos texeret, sericæque texturæ aurum intexeret*, sive ex Budæo in Pandectas; *Qui pannos curaret, vel adhuc rudes tergeret, vel forfice incideret*, opus quidem, & ex Barrient. Nostr. *Mulieribus in primis familiare*. Γυναικιάριος Græcis, Latinis vocatus est *Gynæciarius*, barbara dubio procul vox, quam, collapsa jam latinitate, Jurisperiti, ut eorum passim docent volumina, ad multa significanda traduxerunt. Γυναικείων *Procuratores*, quorum cura, non solum Regum vestibus, verum & copiarum, & classium splendori consuleretur, qui videlicet cum vestes militares, tum navium vela servarent, aliaque ad instruendam classem necessaria. *Gynæciarii* barbare dici poterant, latine *Vestispicæ*, aut ex Nonii mente *Vestispici* in Plauti Trin. Act. 11. Sc. 1.

Vestispicæ, unctor, auri custos, flabellifere, sandaligerulæ,
Cantrices, cistellatrices, nuncii renuncii, raptores panis, & peni.

(a) Vestes *Haloveras*, sive, quod plerisque placuit, *Holoberos*, esse *Holosericas* Zonaras tradidit, aliique post illum: Ista vero conjectura legum sententiæ non videtur convenire, quod inter *Holoberæ*, ac *Haloserica* vestis splendorem multum discriminis intercedat, idque innuitur ex Codicis apertissima significatione, quod promiscuum *Holoserici* usum permittit, *Holoveram* autem vestem privatis hominibus interdicit: *Nec pallia, tunicasque domi quis serica contexat*, inquit lex Theodosiana, *aut faciat, quæ tincta conchylia nullius alterius permixtione subtexta sunt, proferantur ex ædibus, tradanturque, aut pallia ex omni parte texturæ infecta conchylio*: Quam ea de caussa legem attulimus, ut *Holovera* illa esse cognoscantur, quæ purpura tota sint tincta, penitusque propterea ex vero colore: *Haloserica*, quæ serica tantum essent, nulla alia materia accedente.

(b) Valentinian. Valens, & Gratit. legem tulerunt, qua cautum erat, ne *auratas, & sericas paragaudas viriles privatis usibus contexerent conficerentq;* Indumenti splendidum quoddam genus ad lætitiam accomodatum, quod, tametsi fascias sive aureas, sive sericas, ex se tantum primo significet, per Synecdochen tamen pro veste ejusmodi fasciis distincta, insignitaq; interdum sumitur. *Holosericis* primum usum liquet ex antiquis Scriptorib. Heliogabalum, ideoque post illum invectum liquet in Imperium *Paraguadarum* splendorem.

pus vocat Martialis, ἄκαπνος namque Græce *sine fumo* est, Ut interpretatur Galenus, *Vel arida* (inquit) *ligna quæ quod fumum non emittant*, ἄκαπνα, vocant (a). Lib. 13. Lib. 1. de An. 1. do. c. 8.

Quid sit majuma, titulo de Majuma, Cod.

CAPUT XVII.

SUidas in dictione μαιουμᾶς tradidit, Romanos solitos esse, in mense Majo festum quoddam juxta Hostiam urbem celebrare, in quo aquis marinis inter se certabant, atque eas invicem in obvios incularentur, hæc est *Tyberina* illa *decursio* (b) Ciceronis. Hoc lætitiæ genus usque in hodiernum diem durat apud Hispanos. Nominaturque ab eis, *Pasar las aguas a las mayas*. Quod festi genus Anastasius abstulit: Arcadius autem & Honorius in suis provincialibus concesserunt ut patet l. Clementiæ nostræ, Cod. de Majuma, 7ς. μαιουμᾶς. Lib. 5. de finibus.

Quid sint plumbatæ, apud sacros Scriptores & Jurisconsultos.

CAPUT XVIII.

P*Lumbatæ* pilæ plumbeæ erant, quæ corio consutæ eis carnifices maximo cruciatu mortales afficiebant, quibus pro flagellis quondam in Martyres utebantur, ut in eorum historiis leges sic, l. Nemo, Cod. de exactoribus tributorum,

---

(a) *Sed & Titiones*, ait Ulpian. ad Sabinum lib. xxv. *& alia ligna cocta, ne fumum faciant, utrum ligno, an carboni, an suo generi adnumerabimus? Et magis est, ut proprium genus habeatur*: neque illud aliud, *quam Titionum*, Accursius explicavit, ipsoque ita docente, Jurisconsultorum sensus quis sit, intelligere possumus absque difficultate.

(b) Magnas interpretum turbas excitavit *Tiberina decursio* Ciceronis; visum plerisq; depravatum, ac mancum fuisse vocabulum: emendarunt nonnulli *descensio*, alii *discensia*, multique *dissinsia*: quamplurimi phrasis sensum rimati, sibi plus æquo fortasse indulgentes, diu excogitarunt quæ vera non forent; Ovid. Carminib. lib. vi. Fastorum

Ite, Deam læti fortes celebrate Quirites,
In Tiberis ripa munera regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba,
Nec pudeat potos inde redire domum.

sacratam a Servio regem *Fortunam fortem* Romanos ex veteri instituto coluisse, commemorarunt aliqui, meminere non pauci *ludorum Piscatoriorum*, cum nostro Barrient. conveniunt cæteri, atque a Tullio commemoratos ludos Μαιυμα, affirmant, quorum penes Suidam est mentio: Judicio, in sententiarum varietate, nos temperamus, ac malumus erudito Lectori, quam nobis-met fidere; Epigramma quoddam dumtaxat in medium proferimus, quod Virgilii nomine circumfertur, ex cujus versibus turpes, obscænæque voluptates prope Tiberim excerceri solitæ ab antiquo Scriptore exponuntur.

Non me vocabis pulchra per Cotyttia
Ad feriatos fascinos:
Nec dein movere lumbos in rotulum
Prensis videbo altaribus
Flavum prope Tiberim, & olentis nauticum
Vocare; ubi adpulsæ rates
Stant in vadis, cæno retentæ sordido,
Macraque luctantes aqua.

rum, *Nemo* (inquit) *carcerem plumbatarumque verbera aut pondera, aliaque ab insolentia judicum reperta supplicia in debitorum solutionibus vel a perversis vel ab iratis judicibus expavescat*. Unde illius legis sensus patet. *Verum & ab judicibus ordinariis plumbatarum ictibus subjiciatur*, l. Quilibet, Cod. de decurionibus & filiis eorum. Erat aliud tormenti genus: nam multarum plumbatarum pondere sontes torquebant ita ut corpus eis ex pedibus aliisque corporis partibus suspensis homines debilitarent & infringerent. Inde clarus sensus l. Superioris. Ubi ait, *Plumbatarumque verbere aut pondere*. Verberabatur tergum, & cervix plumbatarum ictibus, ut ex Prudentio patet (*a*).

De septuaginta Interpretibus.

CAPUT XIX.

PTolomæus Lagi (*b*) cum Alexandriæ bibliothecam septuaginta voluminum millia continentem instruxisset, ut Ammianus Marcellinus refert, eamq; omni librorum genere exornare cupiens, a Pontifice Hierosolymitano petiit; ut viros legis peritos mitteret qui in Græcam linguam Hebræorum scripturas transferrent: veritus ne si conjuncti id efficerent, versione sua scripturarum veritatem celarent & supprimerent, sejunctos omnes libros describere jussit (*c*). Postea vero coram

---

(*a*) Non contemnendo ejusdem Prudentii testimonio docemur Περὶ στεφ. num. 107. Plumbatarum supplicio affectos viros cum genere, tum dignitate præstantes, hominesque obscuro genere, equuleo.

Incensus his Asclepiades jusserat
Eviscerandum corpus *Equuleo* eminus
Pendere, & uncis, vinculisque crescere.
Apparitores sed furenti suggerunt,
Illum vetusta nobilem prosapia,
Meritisque multis esse primum Civium.
Jubet amoveri noxialem stipitem,
Plebeja clarum pœna ne damnet virum.
Tundatur.........
Persona quæque competenter plectitur,
Magnique refert vilis, an sit nobilis.

quæ videtur auctoritas præferenda Baronio, ex Cæsarum legibus ad Martyrolog. Rom. ad XI. Jun. diem existimantis plumbatis ignobilium tantum fuisse corpora, contumeliose, contusa.

(*b*) In summam nos admirationem traducit Barrient. Nost. quod illi de ea re certum sit, quæ penes Auctores gravissimos in controversia versatur. Obscuritate omnia sunt involuta, diuturna tamen observatione notatum est, Græcam sacrorum librorum versionem, cui *septuaginta* vulgo nomen, sive Irenæo, Clementi Alexandrino, ac Theodoreto, sive Bocharto, & Usserio, sive demum Salmeroni adhibenda sit fides, non ferri adornatam sub tempora Ptolomæi Lagi, verum, vel ad Ptolomæum I. Lagi filium, Ptolomæique Philadelphi Patrem, vel ad Philadelphum ipsum, vel demum ad Ptolomæi Philometoris ætatem, quinti a Philadelpho Regis, revocari. In disputatione concertationum plena, Lectoris malumus judicio stare, quam nostrum interponere.

(*c*) *Nescio*, ait S. Hieronymus Præfatione in Pentateuchum, *qui primus Auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit*; id autem nosse ultro nos fatemur, ut conciliaretur editioni reverentia, inventum, quo mirabilius nullum, fuisse excogitatum: diu multumque in eam sententiam est disputatum, In qua præter Judæum Philonem, nonnullosque Patres, S. Justinus Martyr primus facile est habendus, qui domuncularum vestigia se vidisse affirmavit apud Insulam Pharum, quum Ale-

ram Ptolomæo versionibus collatis eadem verba & locutiones in omnibus fuerunt inventa. Sic tradit Nicephorus. Hinc patent quæ dicta sunt a Justiniano, Constitutione 146. de Hebræis, quomodo oporteat scripturas legere, dicente: *Enim vera qui Græca lingua legunt utentur interpretatione septuaginta, quæ omnibus exactior est & præter cæteras multo continet accusa: præsertim vero propter id quod interpretando accidit, nam cum semper bini seorsim conclusi essent, & diversis locis interpretarentur, unam tamen omnes compositionem ediderunt. Ad hæc quis non illud in his viris admiretur quod cum longo tempore salutarem apparitionem magni Dei & servatoris nostri Jesu Christi præcesserint, tamen illam futuram quasi præsentibus cernentes oculis, prophetica quodammodo gratia ipsos circumfulgente, sacrorum illi librorum interpretationem accommodarunt.* Hæc Justinianus loco citato. Divus autem Hieronymus aliter sentit in Prologo galeato (*a*). *Lib.4.c.14.*

Ingratitudo non est vox Ciceroniana.

CAPUT XX.

Cicero lib. 9. Ep. 6. ad Atticum hanc vocem fugit, atque Græca dictione uti maluit. *Sed ita meruisse* (inquit) *illum de me puto, ut ἀχαριστίας crimen subire non audeam.* Non legi apud hunc auctorem (quod meminerim) nomen *Ingratitudo*, sed pro eo *ingratus animus*: ut lib. 9. ep. 2. ad Atticum, *sed quia ingrati animi crimen horreo.* Philosophis & Theologis sæpissime occurrit (*b*). *Ex Budæo.*

H In-

Alexandriæ moraretur. Mentem, ac verba tanti viri exponit Natalis Alexander in sæculo 2. Hist. Ecclesiast. Dissertat. XI. quæst. 2. art. 1. ratus & ipse innixam in probabiliore sensu opinionem, quæ *septuaginta Interpretes versionem suam in singulis cellulis inclusos edidisse* perhibeat. Veremur summorum hominum auctoritatem, illa autem adduci non possumus, ut a S. Hieronymi mente recedamus, præsertim quod & Josephum, & Catholicos Doctores in hac communi esse sententia novetimus; quod si liberius fortasse, quam par est, dictum Lector amicus existimet, veritatis studio abreptis ignoscat.

(*a*) Sanctus idem Hieronymus Præfatione in quatuor Evangelistas, versionem Græcam *septuaginta* valde commendat; *Post septuaginta enim*, ait, *nihil in sacris literis potest immutari, vel præverti, quin eorum translatione omnis fraus, & dolus patefiat.* Cæterum sacrorum librorum, qui Græce redditi sunt, *septuaginta*, quin, ut universim creditur, duorum supra septuaginta virorum labore, operosam controversiam attigit nimis breviter Barrient. Nost. Quamplurima in illa, nec levem quidem pariunt difficultatem, quæ videlicet sit ejusmodi Versionis auctoritas, quamdiu in *Ecclesia* ejus usus invaluerit, quinam sacræ Script. libri ex Hebræo Græcis literis sint traditi, versionis Historia quo Auctore prodierit, nec non alia permulta fuerant expendenda, quæ ne Lectorem benevolum, majore, quam instituti nostri ratio exigat, molestia afficiamus, operæ pretium facturos nos esse ducemus, si viro doctissimo Augustino Calmeto, penes quem universa videre licet, fidem præstandam pro rei veritate, non lojutia decernamus.

(*b*) Hac voce *Ingratitudo* usum non esse Ciceronem sapienter advertit nost. Barrient. unum, quem illam sciamus usurpasse, Julius Firmicus fuit sub ætatis æneæ tempora, quod & de vocabulo *Gratitudo* censemus: quamobrem accurate corrigentur Codd. Val. Max. in Cap. 2. & 3. lib. V. si quod mendose nonnulli scripsere *Gratitudo*, & *Ingratitudo* legatur diligentius, ac magis latine *de Gratis*, & *Ingratis*.

Incorporeus non est Latinum.

CAPUT XXI.

INcorporeus, pro *incorporalis*, inventum ac fictum fuit ad hujus vocabuli interpretationem ἀσώματος, Aulo Gellio lib. 5. cap. 15. teste. Quintilianus, *Jus quod sit incorporale, apprehendi manu non posse*. Seneca epist. 91. *Deinde se a corporeis ad incorporalia transtulit*. Macrobius lib. 7. c. 14. *Cum sint incorporea*, dixit (a).



AN-

(a) Negotium, nec leve quidem, facessit Expositoribus illud quod legitur in cap. xiv. lib. 3. de finib. Auctore Tullio: *Omnis ista rerum incorporearum æstimatio*: a vett. lib. exscripserat Scalig. *Incorporearum*, puriore latini sermonis nitore reclamante, expunxit tamen extemplo, subjecitque *in* abjecto σωμάτων, *in capite borum* alii legerunt, duo ex Codd. Palat. *Incorporearum* scripsere; reliqui, fortasse communius *in corpore sitarum*, nobis, ut Grutero assentiamur, tantum otii non est, ut rem penitus excutiamus, omnia ex eodem Grutero in allatum Cicer. locum ex editione Verburgii adnotavimus ea mente, ac sententia, ut compertum fiat adversus Barrient. Nostr. non carere Patronis, qui illud latinitate donaverint, Ciceronique tribuerint, nomen hoc *Incorporeus*.

ANTONII

BENDINELLII LUCENSIS

LOCORUM HISTORICORUM ADNOTATIO.

Plutarchi lapsus notatus.

LOCUS I.

Plutarchus in vita L. Æmilii Pauli, ubi de filiis ejus loquitur, sic scriptum reliquit, *τὸν μὲν πρεσβύτερον εἰς Μαξίμου Φαβίου τοῦ πεντάκις ὑπατεύσαντος, ὁ δὲ νεώτερον ἀφρικανοῦ Σκηπίωνος υἱὸς ἀνεψιὸν ὄντα θέμενος Σκηπίωνα προσηγόρευσεν*, id est, *major quidem natu a Fabio maximo quinquies Cos. minor autem a Scipionis Africani filio, cui sanguine conjunctus erat, adoptatus, Scipio est appellatus*. Hic nescio qua ratione fieri possit, ut major Æmilii filius a Q. Fabio Maximo Cunctatore potuerit adoptari. Nam Plutarchus ipse in Fabii vita scribit, Fabium e vita demigrasse antequam Africanus major in Africa cum Annibale prælio decretavisset; quod fuit anno U. C. 552. vel ut Plinio placet 553. urbis anno usque 585. quo anno Æmilius iterum Cos. fuit, & filius ejus erat admodum adolescens, ut ait Livius lib. 45. (a) & Plutarchus in vita Paulli, reperies 34. annos, cum adolescentia non provehatur ultra trigesimum annum, auctore Varrone (b). Ni magis placet ætatis sequi divisionem Servii Julii Regis, qua a de-

(a) Semel, iterumque ex Liv. lib. XLIV. & XLV. Consul Æmil. Paullus: Anno videlicet Urb. Cond. DLXXI., habuitque Soc. Bæb. Tamphilum; & ab Urb. Cond. Anno deinde DLXXXV. & C. Licinio Crasso conjunctus fuit: a priore ad II. Consulatum anni tantum XIV. sunt numerandi, ac propterea irrepsisse credendus est error in Codicib. Livian. in lib. XLIV. in quibus de L. Æmilio Paullo legitur: *Consules creati; L. Æmilius Paullus iterum, septimodecimo anno postquam primo Consul fuerat, & C. Licinius Crassus*; Quamobrem pro *septimodecimo*, XIV. est apponendum.

(b) Illud non immerito existimamus Servium in divisione ætatis spectasse, quod virium natura postulare videtur: missis, quæ ex varia, ac promiscua vocabuli *Adolescens* usurpatione, pro eo quod est *crescere*, ac *Juvenem esse* gignuntur, non decipiemur equidem, si putemus ad sex tantum lustra, Varronis auctoritate, protrahi adolescentiam, ut demus locum sententiæ, quæ censet firmo per id tempus corpus robore consistere, ac ad difficilia quæq; peragenda facile comparari: Partiemur inde secto ordine ætatis spatia in *Pueritiam*, *Adolescentiam*, *Virilitatem*, *viridem Senectutem*, *affectamque Senectam*: Qui vero Servius ab anno septimodecimo adolescentiæ exordia desumpsit, & ad sextum supra quadragesimum produxit, in id præsertim totus incubuit, quo idoneos exercitibus tirones, ac milites legeret, quod ex plerisque Romanæ historiæ scriptoribus asseritur: ex Gell. præsertim lib. X. cap. XXVIII. *C. Tubero Historiar. I. scripsit Servium Tullium Regem Pop. Rom. cum illas quinque classes juniorum census faciendi gratia institueret, pueros esse existimasse qui minores essent annis septemdecim: atque inde ab anno septimo-decimo, quod idoneos jam esse* Rei-

decimo septimo anno usque ad quadragesimum sextum provehi potest. Quare dicendum est, a Q. Fabii Cunctatoris filio, illo, qui apud Livium in Patris locum inauguratus fuit, adoptatum fuisse (*a*).

LOCUS II.

Satis negligenter, ne dicam imprudenter, in eodem Plutarchi loco labitur Leonardus Aretinus, qui eam vitam e Græco in Latinum convertit. Ubi enim Plutarchus dicit, *Minorem Æmilii filium a Scipionis Africani majoris filio adoptatum, ipse reddidit*, ab Africano Majore adoptatus Scipio est appellatus (*b*). In eodem versatur errore Cornel. Nepos vel Plinius, vel quicumque ille fuit, in libello de Viris illustribus inscripto (*c*). Sed sexcenta ego probatissimorum scriptorum possem adferre exempla, quibus comprobarem, non ab Africano majore, sed ab ejus filio valetudinario adoptatum fuisse: sed verba Plutarchi satis sint, qui a filio Africani adoptatum fuisse dicit. Non sine suspicione etiam ignorantiæ prætermisit Leonardus Græcum verbum ἀνεψιὸν, quod fortasse ignorabat, Scipionem Afri-

---

Reipublicæ arbitrarentur, milites scripsisse, eosque ad annum quadragesimum sextum juniores, supraque eum annum seniores appellasse, & Dionys. lib. IV. censum secundæ classis a Tullio institutum describens: *Ex his*, ait, *decem centurias elegit, eosque qui quadragesimum quintum annum jam excessissent, divisit ab iis qui militari adhuc ætate erant*, postremoque, ac clarius Polyb. lib. VI. *Civibus plane est necessum stipendia facere intra annum ætatis quadragesimum sextum*; De hac ætate, quæ *Militaris* apud Romanos, quum Servius cogitaverit, Varroni malumus stare, ne a sana annorum dividendorum serie injuste recedamus.

(*c*) In eadem Bendinel. Nostr. sententia accuratiores sunt Romanarum rerum scriptores fere omnes, quorum auctoritate docemur ex binis *Cunctatoris* filiis, *Quinto* videlicet, & *Marco* duplicem adoptionis caussa prodiisse familiam: ex Æmilia Gente alter, nempe *Quintus natu major*, in *Fabiam* adoptavit *Q. Fabium Æmilianum*, L. Æmilii Paulli filiorum vetustissimum, cui ex Liv. lib. XLIV. cap. XXXV. Edit. in usum Serenis. Delphini, *Fabio Maxima* nomen fuit: ex alterius, hoc est, *Marci*, qui vivo etiam Patre decessit, natu minoris obitu *Q. Fabius*, ex *Serviliorum* familia *Servilianus* in *Fabiorum* stirpe est numeratus: liquet inde nonnullos in errore versatos, qui adoptatum a Q. Fabio Maximo Labeone Cunctatoris nepote *Æmilianum* scripsere.

(*b*) Nupsit Scipioni Africano, vulgo *Majori*, Æmilia L. Paulli, qui ad Cannas cecidit, filia, ex qua natus Publius Scipio, *Minor*, qui liberis quum careret adoptavit in familiam Publium Scipionem, cui a Patre, qui Perseum vicit, L. Paullo Æmilio, *Æmiliana* cognomen fuit: secundus hic erat inter ejusdem Paulli filios, qui ex adoptatis cognomento Publius Cornelius Æmilianus, Scipio deinde minor est appellatus, quamobrem locus facile datus errori apud Aretinum, & qui dicendus fuerat in adoptionem datus Cornelio Scipioni Africani *Majoris* filio, ab ipso *Majore* Africano creditus est adoptari, eumque propterea adversatum historicæ veritati juste Bendinel. Nost. reprehendit, emendatque.

(*c*) De illustribus Viris complura multis in libris conscripsisse Cornelium Nepotem testatur Joh. Fabricius in Biblioth. Latina lib. I. cap. sexto, quorum undecimum, decimumquintum, ac decimumsextum ex ipso quoque Fabric. Sosipat. Charis. commemorat: in his numerari visæ sunt eidem Fabric. *Vitæ Regum*, Græcorum, aliorumque, nec non illustrium Romanorum, quas se composuisse *in Dione* Nepos enarrat, singula vero temporis vetustate sunt deperdita; quemadmodum & aliaquam-

Africanum majorem uxorem duxisse sororem L. Æmilii Pauli hujus nostri Africani minoris patris: icciteo Plutarch. dixit ἀνεψιὸν, id est, consobrinum, nos vero sanguine conjunctum vertimus (*a*).

LOCUS III.

NEc ab eadem impudentia discessit Alexander Braccius Florentinus, qui Appianum Alexandrinum e Latina in vernaculam linguam vertit. Nam in primo lib. bellorum civilium, ubi agitur de morte Africani Minoris, illa duo inferuit verba (*sua Conforella*) Latini codicis hæc sunt verba, (*b*) *sive Corneliæ Grocchi lex dissolveretur* (*c*) ipse optimus vertendi magister sic inquit. *Di questa sua improvisa morte furon fatti molti commenti; alcuni indicarono*

quamplurima, quæ Nepos ipse protulerat *De illustribus Historicis, Poetis, Oratoribus*, non absimili ratione perierunt: Non inviti assentimur idcirco Bendin. Nostr. Doctiss. qui *Opus*, quod extat adhuc *de Viris illustribus* adulterinum esse Nepotis Cornelii fœtum jure est suspicatus.

(*a*) Ἀνεψιά, ᾶς, Græce, *Consobrina, Patruelis*, a Budæo latine redditur, cujus ex sententia quod in Solon. Plutarch. habet, ἀνεψιὰ μητρὸς, *Matris Consobrina* latino sermone explicatur, ejusdemque auctoritate Plutarchi phrasem in Problem. ἀνεψιὰς γαμεῖν πᾶσιν ἐξεῖναι latine dici monemur: *Consobrinas in matrimonium accipere omnibus licere*, tametsi *Neptes*, pro *Consobrinas* Plutarchi ipsius interpres apposuerit; ceterum Ἀνεψιὸς ab Ἀνάπτω idem ferme latinis, quod *religo*, vel *connecto*, vel ab ἔπω, *colloquium*, inter familiares valde commune, quum manarit, ea ratione Ἀνεψιὸς, *sanguine conjunctus* a Bendinel. Nostr. haud injuria, veril posse censemus.

(*b*) Græco-Latinus ejusdem Appiani Codex, qui anno 1592. prodiit ex Officina Henrici Stephani in allato Bellorum civilium lib. hæc habet verba. *Sive insidiis Corneliæ Gracchorum Matris, veritæ, ne abrogaretur lex Agraria*: Ea inde depromta ex fol. 60. hoc in loco icciteo reponimus, ut mutilæ, Librariorum vitio sane, ac incuria, obscuræque sententiæ, candor, & lumen accedat; illud quoque melius, diligentiusque præstituri, quæ illic de inopino, miseroque Scipionis obitu copiose, gravissimeque narrantur, non inutiliter ex ipso Appiano perscribimus. „ Tandem, quum Scipio vespere in cubiculum se recepisset, tabellas secum ferens, in quibus noctu meditaretur, quæ pararat pro concione dicere, repertus est mortuus sine vulnere, *sive insidiis Corneliæ Gracchorum Matris veritæ, ne abrogaretur lex Agraria*, adjuvante eam Sempronia quoque Filia, quæ Scipioni nupta ob deformitatem, ac sterilitatem, nec amabatur, nec amabat, sive, ut nonnulli putant, sibimet ipse mortem conscivit, quod videret se non posse præstare pollicita, nec desunt, qui dicant, servos in tormentis fassos, noctu, per posticum intromissos quosdam ignotos illum suffocasse, se vero ideo rem prodere veritos, quod scirent infensum ipsi Populum gaudere ejus interitu. Sic mortuus est vir imperio Romano utilissimus, nec funeratus quidem publice, tanto plus valuit præsens indignatio, quam gratia præterita, atque hoc fuit Agrariarum seditionum quoddam quasi Auctarium.

(*c*) Agrariam legem, cujus non raro meminere veteres Rom. Historiæ Scriptores, quæ nonnullis etiam *Frumentaria*, quo consilio, quave ratione Anno Urb. Cond. DCXVIII. M. Plautio Hypseo, M. Fulvio Flacco Coss. a C. Sempronio Gracchus fuerit rogata in eodem civil. Bellor. libro studiose persequitur laud. Appian. Alexandr. „ Confestim, = ait nempe, = *cæpit dolor* =, *Cajus Gracchus* videlicet,

„ Se-

morisse per insidie di Cornelia sua sorella madre de' due Gracchi. (*a*)
Cum Cotneila fuerit Africani Majoris filia; (*b*) soror vero ejus, qui hunc minotem adoptavit.

LOCUS IV.

Livius 45. de triumpho & duobus filiis L. Æmilii Pauli loquens hæc narrat: *Nam duobus e filiis, quos duobus datis in adoptionem, solos nominis sacrarum familiæque heredes retinuerat domi, minor ferme XII. annos natus quinque die-*

,, Senatui nectere lege lata De fru-
,, mento Menstruo, plebi viritim di-
,, videndo ex publico, quod num-
,, quam ante factum est, atque ita
,, uno instituto plebe sibi celeriter de-
,, vincta, in sequentem quoque an-
,, num Tribunus refectus est, jam
,, enim lex lata fuerat; *Si Tribunus opus habeat ad præstanda pollicita, ejus potissimum rationem habendam proximis Comitiis*; Inde civilia bella, periculosæque seditiones exarserunt, quod ex Plutarcho. *Pro commodo plebis, & ad opprimendum Senatum frumentariam legem Gracchus tulisset*.

(*a*) Quod hujusmodi versionem Italicam Appiani a Braccio exaratam nobis legere non contigerit, fidem dubiæ rei facere non audemus, num scilicet vernaculo sermone verba hunc in locum relata erroris censenda sint expertia, an indigeant correctione: In re apud nos incerta, & obscura, eruditi Lectoris judicio haud ægre auscultabimus.

(*b*) A Corneliorum in Semproniam familiam connubii jure Cornelia est adducta, per id fortasse tempus, quo Tiberius Gracchus plebis Tribunus, antea Scipionum hostis, Scipionem Asiaticum peculatus insimulatum, damnatumque, mox propterea in vincula conjiciendum, libertate donatum, & incolumem abire jussit; id Livius exponit lib. XXVIII. cap. LVIII. Edit. ad usum Delphinis = Huic Graccho = de *Tiberio* sermo est = minorem ex duabus *filiis* = nisi legerit aliquis, Grammaticorum de more, *filiabus* = , . . . nuptam fuisse convenit, illud
,, parum constat, utrum post mor-
,, tem Patris desponsa sit, & nupse-
,, rit: an veræ illæ opiniones sint,
,, Gracchum = non alium quidem, præter *Tiberium* = quum L. Scipio in
,, vincula duceretur, nec quisquam
,, Collegarum auxilio esset, jurasse:
,, *Sibi inimicitias cum Scipionibus,*
,, *quæ fuissent, manere, nec se gra-*
,, *tiæ quærendæ caussa quicquam face-*
,, *re; sed in quem carcerem Reges,*
,, *& Impp. hostium ducentem vidisset*
,, *P. Africanum, in eum se fratrem*
,, *ejus duci non passurum*. Senatum,
,, eo die forte cœnantem in Capito-
,, lio, consurrexisse, & petisse, ut in-
,, ter epulas Graccho filiam Africanus
,, desponderet, quibus ita inter pu-
,, blicum solemne sponsalibus rite fa-
,, ctis, quum se domum recepisset,
,, Scipionem Æmiliæ uxori dixisse,
,, filiam se minorem despondisse,
,, quum illa muliebriter indignabun-
,, da, nihil de communi filia secum
,, consultatum, adjecisset, non, si
,, Tib. Graccho daret, expertem con-
,, silii debuisse Matrem esse; lætum
,, Scipionem tam concordi judicio,
,, ipsi desponsam respondisse. Hæc
,, de tanto viro, quamquam & opi-
,, nionibus, & monumentis litera-
,, rum variarent proponenda erant.
= Qua in varietate sententiarum, ipsius etiam satis ad rem nostram est, illud haberi pro certo, quod in supplementis Livianis, præsertim LVIII. deprehendimus, videlicet *sub Matre Cornelia prioris Africani filia Tiberium Gracchum exegisse adolescentiam*, ipsiusque, nec non C. Gracchi Fratris ex Scipionum cognatione, impudentiam ex populi potentia abundasse, quod in iisdem Livianis supplementis, præter LVIII. Lib. LIX. ac LX. late persequitur Jo. Freinshem: ab anno Urb. Cond. DCXX. ad annum DCXXVIII.

diebus ante triumphum, major quatuordecim annorum triduum post triumphum decessit. (a) Diversa nonnihil scribit ab his Plutarchus in vita Æmilii: alterum scribit quinque diebus ante triumphum annos quatuordecim natum, alterum vero triduo post triumphum, cum esset annorum duodecim e vita discessisse. Nos Livium secuti sumus; Plutarchus enim (ut ipse fatetur) sero litteras latinas attigit, ut nil mirum sit aliquando a vero aberrare: sed hic quoque Interpretis Leonardi major Græcarum litterarum cognitio desiderari posset, quod non animadvertit Xistus Lentulejus Augustanus, neque Martialis Bogerius in suis commentariis in lib. de amicitia. Nam ea Plutarchi verba ὧν ὁ μὲν ἡμέρας πέντε πρὸ τοῦ θριάμβου τὸν αἰῶνα ἐτελεύτησε τεσσαρεσκαιδεκέτης sic vertit: *Horum alter quinque diebus ante triumphum mortuus est, sexdecim annorum ætate* cum τεσσαρεσκαιδεκέτης decimum quartum annum significet. (b)

LOCUS V.

VAlerius Maximus lib. 2. c. 5. de Africano minore hæc loquitur: *Nec filii quidem tui* (de Paulo enim antea locutus fuerat) *Scipionis Æmiliani, quem in adoptionem dando duarum familiarum ornamentum esse voluisti, majestati parum honoris tributum est. Cum enim adolescentem admodum petendi auxilii gratia, &c.* Non videtur satis recte perpendisse Valerius, qua ætate tum erat Scipio, cum in Africam missus fuit. Quatuor enim & triginta habuisse annos, ex Galeriani Cronologia confirmari potest. L. enim Æmilius Paulus iterum Cos. fuit (ut diximus) C.U. 585. Lucullus autem 602. Si igitur recte numeres a Consulatu Æmilii ad Consulatum Luculli, erunt anni 17. adde alios 17. quos habebat tum Scipio, ut Livius ait l. 44. quando pater ejus fuit iterum Consul, & efficies 34. annos.

At probatissimi auctores dicere solent *admodum adolescentem*, (c) de eo, qui quam-

(a) *Paucis post diebus*, ait Livius, a Triumpho, Urb. Cond. ann. DLXXXVI. Q. Ælio Poeto, & M. Junio Coss. *data a M. Antonio Tribuno plebis concione, quum de suis rebus gestis more cæterorum Imperatorum disseruisset, in ejus Oratione, quæ memorabilis, & digna Romano Principe fuit*, hoc est viro inter Romanos primario, mortem filiorum Æmilius ipse declaravit iisdem verbis: *Et quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint non ignorare vos, Quirites, arbitror*; a qua lectione nonnihil recedere Gronovius videtur, *Et quæ duo fulmina* scribens.

(b) Æmilii Paulli duo filii, quorum uterque occubuisse hic narratur, alter paullo ante Patris de Perseo Macedonum Rege triumphum, alter paucis post diebus, non ex uxore, ex qua Q. Fabium Maximum Æmilianum, ac P. Cornelium Scipionem Æmilianum susceperat, orti feruntur, geniti vero sunt ab Æmilio jam sene; duas enim Paullus Æmilius duxit uxores, ex quarum prima duo ei nati sunt filii, totidemque filiæ, eaque tempestate erat ille adhuc juvenis, ex altera duos tantum filios genuit, illoque jam tempore consenuerat.

(c) *Admodum adolescentes* eos, qui vel duos supra vig. an. explevere, quum appellare veteres scriptores consueverint, ultro concedendum est Nepotem, Eumenem, qui annos plusquam viginti natus erat appellasse *Per adolescentulum*, quod nonnulli cæteroquin apud Voss. in Etymol. tametsi falso, erroris tamen insimulaverant; *Juvenes* inde prisco sermone novimus, vel eos, qui ad annum XXX. jam pervenissent, quemadmodum Ciceroni vocatus eum in Epistolarum libris Curio non minor annis XXX., tum eadem ætate Sulpitius, *Juvenis*, ex ipso Tullio pro Muræna, vel illos, qui XXXV. annum attigissent, sicuti hanc agens ætatem dictus est *Adolescentulus* Sallust. Cæsar quo an. Pontificatum Maximum est adeptus, quin & penes Plautum in Menæchmis Peniculus Parasitus, qui se plusquam XXX. annos natum fatetur, vocatur nonnumquam *Adolescens*; ac Livius lib. IX. Alexandrum Magnum commemorans: *Adolescens in incremento rerum*

quamvis ex pueris excesserit, duobus tamen, & viginti annis natu major sit, cujus quidem rei fidem facit Cicero in Bruto loquens de L. Crasso: *Accusavit*, inquit, *Carbonem eloquentissimum hominem admodum adolescens*.) Idem in 3. de Orat. Crass. de se ipsum loquentem faciens ostendit qua ætate tum esset: *Quippe, quod*, inquit, *omnium maturrime ad publicas caussas accesserim, annosque natus unum & viginti nobilissimum hominem, & eloquentissimum in judicium vocarim*. Contra Cornelium Tacitum qui in dialogo de Oratoribus Crassum nonodecimo ætatis anno Carbonem accusasse scribit. Natus autem est (ut planiorem rem faciam) Crassus, ut legitur in Bruto Ciceronis C. Lælio & Q. Servii io Cæpione Coss. anno U. C. 613. Accusavit Carbonem anno 636.

LOCUS VI.

FLorus Epit. 48. dicit *Scipionem Tribunum militum Barbarum interfecisse in Hispania ex provocatione*. *Legatum*, fortasse melius. Nam in Africa postea, ut Appianus in Libyco, & Cicero in somnio affirmant, Tribunus fuit. Quod etiam confirmat Cornelius Nepos. (*a*) Huc accedit, quod ex Hispania in Africam a Lucullo ad Masinissam missus fuit. Quod munus legatorum est proprium.

LOCUS VII.

PLinius lib. 22. cap. 6. Æmilianum inquit: *Scipionem, Varro auctor est, donatum obsidionali corona in Africa Manilo Coss. tribus cohortibus servatis, totidemque ad servandos eduxit* (*b*). Florus Epit. 40. duas dicit, Appianus in Lybico quatuor Cornelius Nepos octo. Cui igitur ex his magis credendum?

LO-

---

rerum, ait, *nondum alteram fortunam expertus, decessit*, qui tamen annos XXIII. natus, occubuisse narratur; ea autem in re, ne inconsultius quam par est eruditum Lectorem detinere videamur, monemus ex Censorino *De die Natal. cap.* XIV. a veteribus ab anno XV. ad XXX. & amplius *Adolescentes* nominatos esse, licet ex Varronis quidem sententia, quod paullo antea adnotavimus, minus proprie, non alia plane ratione, præter illam, quæ minores a majoribus natu discerneret, ut videre est apud Plautum in Pseud. Terentiumq. in Phorm. quos una cum aliis pluribus si Bendinel. Nost. audierit, quod & se facere libenter declarat, mirari desinet Scipionem Æmilianum, quum quatuor supra triginta annos implevisset, a Valerio Maximo *admodum adolescentem* fuisse appellatum.

(*a*) In lib. de reb. præclare gestis Viror. Illustr. Roman. qui non tantum Corn. Nep. verum Plin. quoque I. tribuitur, legimus singulari certamine apud Intercatiam victum a Scipione, profligatumque barbarum hostem; *Lucullo in Hispaniam legatus* (Æmilianus Scipio Africanus) *apud Intercatiam Oppidum provocatorem singulari prælio vicit*; qua etiam in Regione non unum idem Scipio præstantissimum edidit virtutis, ac disciplinæ militaris exemplum; superato enim provocatore, prostratoque, ejus *ibi denuo magnifica virtus enituit, nam irrumpentibus in Urbem Militibus, ipse primus omnium conscensis mœnibus aperuit viam*, quod ad ann. DCII. ab Urb. Cond. gestum ait in supplemento Liviano XLVIII. Joh. Freinshem; L. Licinio Lucullo, qui bellum Intercatientibus intulerat, & A. Posthum. Albino Coss.

(*b*) *Coronarum* varietate, quæ diverso triumphorum generi penes Romanos olim respondit, ne doctum Lectorem inutiliter moremur, ex eodem, quicumque feratur esse, de Viris Illustribus Auctore, Æmilianum Scipionem comperimus, *Tribunum in Africa Manilio Imperatore cohortes octo obsidione vallatas consilio, & virtute servasse, a quibus corona aurea obsidionali donatus est*; quod & fusius persecutus Appian. Alexandr. *Scipio vero*, in-

LOCUS VIII.

NOn possum comprobare ea, quæ apud Florum leguntur epit. 50. *Scipionem legibus solutum*, (a) *& consulem creatum, cum per decem annos consulem fieri minime liceret*. Legendum puto, *per quinque annos*. Neque A. Gellio assentior, qui in suarum Noctium Atticarum lib. 3. cap. 4. scriptum reliquit, *Africanum post priorem consulatum & gestam censuram fuisse minorem annorum XL.* trigesimum enim & octavum agebat annum Scipio, ut sedulus lector ex iis, quæ adhuc de ejus ætate diximus, colligere potest. Et Paterculus volumine priore mendo non vacat, dicit enim eum *triginta sex annos natum consulem factum*: legendum *triginta octo* (b). Sed nil mirum, cum hi auctores sint curruptissimi, præsertim in numeris,

K LO-

inquit, qui paullo post *Carthagine capta cognomen Africani meruit, tunc Tribunus se continuit, & suos divisos in Centurias per intervalla muro admovit, non passus in Urbem descendere, tantum eos, qui repellebantur a Poenis undique irruentibus recipiebat, servabatque, quod ejus factum primum comparavit illi gloriam visa plusquam Consul sapere*, quod strenue ab illo actum An. Urb. Cond. DCIV. L. Marcio Censorino, & M. Manilio Nep. Coss. quo ferme tempore III. Punicum bellum cœperat.

(a) Comitia qui tunc temporis habebat Sp. Postus Albinus, cæterique cum illo Patres, *solvit legibus, salvaque dignitate Civitatis*, obfirmate negabant, *rationem Scipionis haberi posse*; quod autem Punicum bellum semel, ac iterum ancipiti Marte commissum, sævius recrudesceret, Africani exercitus votis, plebisque universæ, cujus maxima in Scipiones benevolentia, suffragio, Consul expetitus Æmilianus Scipio, vulgo Minor, gestarum nuper in Africa rerum gloria omnium in sui admirationem mentibus oculisque non ægre perductis, exitiosi, periculosique belli terrorem amoturus, obnitentibus contra Optimatibus, Livio Druso Collega Consulatum obtinuit ab Urb. cond. ann. DCVI.

(b) *Ædilitatem quum maxime petebat*, in L. Supplem. Liv. inquit laud. antea Freinshem; *nam a majoribus Magistratibus ætas eum, & annales leges arcebant .... præter morem, & contra jus in Civitate receptum .... ad Romuli, Tulliique leges populo provocante* = Sibi Comitiorum potestate iis data = *unoque de Collegia Tribunorum Consulis* indicente = Se jus Comitiorum ademturum, nisi voluntati populi cessisset = lato solvendis annalibus legibus privilegio, *unus adolescens universis est prælabitus*, & XIV. post L. Licinium Lucullum anno Consul est renuntiatus: Lucullo itaque Consule, annum IV. supra XXX. quum Æmilianus Scipio injisset, ut superius erudite sensit, ingenioseque firmavit Nost. Bendinel. a quacumque erroris nota, & suspicione illa opinio est vindicanda, quæ Scipionem annum natum trigesimum octavum Consulem pronunciat; fidenterque propterea per id tempus, quo Consul idem Scipio est designatus, ejus ætas ab ætate Consulari quinquennio distasse censebitur: Tertio enim, & quadragesimo anno tantum Consulatum Romanis gerere posse licebat, quod liquet ex Tullio v. Philipp. 17. *Quid Macedo Alexander? Quum ob ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, nonne tertio, & trigesimo anno mortem obiit? quæ est ætas nostris legibus decem annis minor, quam Consularis*; qua in re id quoque animadvertendum, incipiente anno XLII. justè Romanos XLIII. anno Consulatum administrandum petiisse, nec legibus adversatos, qui intra sui Consulatus annum, quinto dumtaxat mense, vel sexto, XLIII. annum cœpissent; Hac, præter Æmilianum Scipionem, soluti sunt lege illustres alii quidam viri, inter quos ann. ab Urbe Cond. DCLXXXIII. Cn. Pompejus Magn. XXXV. annum agens

LOCUS IX.

VAlerius Maximus lib. 5. cap. 1. Ea minori Africano adscribit; quæ & dicta, & facta a Majore fuerunt. *Huic facta par ejusdem viri humanitas: a Quæstore sua hasta subjectos captivos (a) vendente puer eximiæ formæ, & liberalis habitus missus est: de quo cum explorasset Numidam esse, orbum relictum a patre; educatum apud avunculum Masinissam, eo ignorante immaturam adversus Romanos ingressum militiam: & errori illius veniam dandam & amicitia Regis fidelissimi Populi Romani debitam venerationem tribuendam existimavit. Itaque puerum annulo, fibulaque aurea, & Tunica (b) laticlavia, Hispanaque sagulo, &* or-

---

agens de Rom. Republica benemeritus, ut illos mittamus, qui per vim, & contra legum instituta ante constitutum tempus consulatum invaluerunt, cujusmodi juniorem C. Marium, & Cæsarem Octavianum, qui minores ann. xx. eum Magistratum occuparunt, fuisse arbitrantur Panvin; & Lipsius.

(a) Q. Fabio Maximo, cui vulgo *Verrucoso* cognomen, ac Q. Fulvio Flacco Coss. Urb. Cond. anno DXLIV. postquam prope Urbem Bæculam Aldrubalis copiæ a Scipione i. luni prostratæ, id ex Liv. lib. XXVII. Cap. XVIII. gestum accurate monet Bendinel. Noster, quod perperam de Min. Africano tradidit Valerius Max. eo autem mirabilior ex Livio res acta a Scipione, quod ille „ quum asservari Numi„ dam jussisset, quæ pro Tribunali „ agenda erant, peragit. Inde quum „ se in Prætorium recepisset, voca„ tum eum interrogat, velletne ad „ Masinissam reverti? Quum effusis „ gaudio lacrymis, *cupere vera dice*„ *ret*, tum puero annulum aureum, „ tunicam Lato - Clavo cum Hispano „ Sagulo, & aurea fibula, equum„ que ornatum donat, jussisque pro„ sequi, quoad vellet Equitibus di„ misit. Ex hoc memorabilior evasit expeditio Scipionis a Romanis facta, post cæptum ab Annibale Punicum Secundum bellum, ex superata Urbe Saguntina, Civibusque Romanorum sociis internecione deletis ann. Urb. Cond. DXXXV. P. Corn. Scipione, nec non T. Sempronio Longo consulatum gerentibus.

(b) Solemne Romanis fuit honoris insigne Tunica laticlavia, cui hujusmodi propterea nominis ratio, quod plagulis Romano sermone *Clavis*, quæ Togis Senatorum insuebantur, & ab humeris in pectus dimittebantur, distincta conspiceretur. Usi vero præter Senatores Romæ *Clavis* & Equites, illo tamen discrimine, quo alteri secernerentur ab alteris; Latioribus quidem *Clavis* erat consuta Tunica cum in *Senatore*, tum *in ejusdem liberis Senatoris honori destinatis*, in *Equitibus* autem erant *Clavi* angustiores; priorem equidem morem indicat Sueton. In August. *Liberis Senatorum quo celerius Reipublicæ assuescerent, protinus a virili Toga* Latum - Clavum *induere, & Curiæ interesse permisit*; postremum ostendit Vellejus Paterculus de Mæcenate scribens, qui Equestri dignitate contentus erat: *Maecenas non minus Agrippæ Cæsari carus, sed minus honoratus, quippe vixit,* Angusto - Clavo *pene contentus*, magisque perspicue Lamprid. in Alexandr. *Tum satis esse constituit, ut Equites Romani a Senatoribus* Clavi *qualitate discernerentur.* Amplissimi Ordinis nota singulari castra quoque Romanorum enituere, discrimenque servatum inter Tribunos militum fuit ex eo, quod alii *Angusti - Clavii* dicerentur, ab *angusto* videlicet *Clavo* desumpto nomine: *Angusti* enim *Clavi* iis tantum usus, alii vocarentur *Lati - Clavii*, significatione accepta a *Lato-Clavo*, namque *Latum - Clavum* usurpabant ex majoris, minorisve potestatis splendore, ac majestate, quod, ut cæteros mittamus, declarat, exornatque latissime Adrian. Turneb. cum Adversar. lib. 3. cap. 2. tum IV. cap. lib. XII. Ex quorum omnium animadver-

ornato equo donatum, *datis*, *qui eum prosequerentur equitibus ad Masinissam admisit*, hæc de Africano Minore loquitur, ut ex his, quæ superius dicit, patet, sed a Scipione Majore facta, ac dicta facile cognoscet, qui librum 27. Livii leget, ubi eadem fere inveniet verba. Eadem & Plutarchus in vita Scipionis refert. Errat præterea Valerius, ubi dicit, *& amicitiæ Regis fidissimi P. R. debitam venerationem dandam*, si auxilio Carthaginiensibus venerat, quomodo amicus & fidissimus Populos Romanos erat? imo hac Scipionis humanitate, ut Livius lib 28. narrat (a), permotus ad Romanos transilit, quibus ex eo tempore adeo fidus amicus, & utilis fuit, ut huic victum Annibalem, huic captum Syphacem, huic Carthaginem deletam adscribi possit.

LOCUS X.

NEc Jacobus Strebæus in suis commentariis in tres libros Ciceronis de Oratore adeo diligens fuit, quin in hoc ipso Scipione laberetur, ea & ipse Majori attribuens, quæ Minor. sunt. Verba Ciceronis hæc sunt. *Et certe non tulit ullas hæc Civitas, aut gloria clariores, aut auctoritate graviores aut humanitate politio-*

---

versione lux accedit Ovidian. Versibus Elegiæ extremæ lib. IV. Trist.

Curia restabat, *Clavi* mensura coacta est;
Majus erat nostris viribus illud onus.

Ne interea docto Lectori rem attente, diligenterque perpendenti negotium fortasse quidpiam facessere valeat, illum de eo monemus, quod hujusmodi in re fuitcum viris fœminis etiam commune: Et illæ *Clavo* pro vestis suæ conditione sunt donatæ; verum quem viri *Latum-Clavum* vocavere, Patagium fœminæ appellare consueverunt, quod ex Nonio *Aureus Clavus*, *qui pretiosis vestibus immitti solet*, clariusque ex Scalig. *Patagium dictum*, *quod quibusdam quasi maculis*, *& nævis inspersum erat*: paulloque antea *Patagium erat honestis matronis*, *quod clavus viris*, ac *Patagianæ* vestis meminit Plaut. Epid. 2. 2. vers. XLVI.

Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum cæsicium,
Indusiatam, *Patagiatam*, caltulam, aut crocotulam.

(a) Conciliando, devovendoque rei Romanæ Masanissæ Numidarum Regi, opus quidem inchoatum sub id ferme tempus, quo ad eumdem post Bæculense prælium fratris filius comitatu perhonorifico fuerat sospes, liberque remissus, oblata præsertim occasio ex ipso Scipione, qui seditiosis Illergetum copiis domitis, ac profligatis, rebellantibusque populis ad deditionem ex Romanorum victoria, metuque compulsis, longo, devioque itinere Gades ad Numidam pervenit, *qui cum ipso congredi Scipione volebat*, *atque ejus dextra fidem facere*. Antea jam in summam admirationem Scipionis adducto Masanissa ex rerum gestarum fama, viri præsentis majestas, ac veneratio reverentiam incussit: = Prope attonitus ipso congressu, *gratias de fratris filio remisso agit*: *Ex eo tempore*, affirmat, *eum se quæsisse occasionem*, *quam tandem oblatam Deorum immortalium beneficia non omiserit*. *Cupere se illi*, *Populoq. Romano operam navare ita*, *ut nemo unus externus magis adjuverit rem Romanam*. *Sed se*, *etiamsi jampridem vellet*, *minus præstare in Hispania*, *terra aliena*, *atque ignota*, *potuisse*: *in qua autem genitus*, *educatusque in spem paterni Regni esset*, *facile præstaturum*. *Siquidem eumdem Scipionem Ducem in Africam mittant Romani*, *satis sperare perbrevis aevi Carthaginem esse*. „ Lætus eum „ Scipio vidit, audivitque ... & fi„ de data, acceptaque, profectus „ retro Tarraconem est = Singula autem contigisse fert Livius ann. Urb. Cond. DXLVII. a Bæculensi certamine II. Consulatum gerentibus L. Veturio Philone, & Q. Cæcilio Metello.

tiores, P. Africano. C. Lælio. L. Furia. Hic Cicero, de Africano Majore, Minore & de Caju Lælio amico suo loquitur, ut vel mediocriter in historiis exercitato patere poterit. Hæc refert Strebæus: (a) *Africanus, & C. Lælius amicissimi viri res præclaras gesserunt in Africa adversus Carthaginienses, Hasdrubalem, Syphacem Numidarum Regem: quem C. Lælius cæpit coegeruntque Pœnos, ut Annibal in auxilium publicum salutis revocaretur*. Hæc ab Africano Majore, & a C. Lælio Lælii sapientis avo facta non negabit, qui 28. & 29. Livii librum semel percurret.

LOCUS XI.

NEc Biondus in 5. suæ triumphantis Romæ, Historiam satis consuluisse videtur, nam & ipse omnia confundit his verbis. *Nam officio legationis fratris jussunctus in Asiam post Carthaginem, & Numantiam devictas, post duos insignes triumphos, septem tantummodo servis sequentibus ad dictam legationem accessit*. Africanus major legatus fuit L. Scipionis ejus fratris, ut Florus Epit. 37. (b) & Cicero pro Muræna & in Philippica affirmat. Cetera de Africano minore dicta sunt ex Valerio Maximo; quem suo loco confutabimus.

LOCUS XII.

NEgligentiæ etiam accusari potest Xistus Betulejus, qui in suis commentariis in tertium librum de officiis, ea verba: *Numquam minus solus*, quam cum

(a) Ex Catuli Persona non perfunctorie Tullius de Orat. 2. XXXVII. Philosophiæ studium commendat, quod magno semper in honore viri Principes Romani habuare; Majore auctoritate apud Antonium, cum quo sermonem contulit Catulus, quod exempla domestica prædita esse censuerit, quam externa, illos tantum recenset præstantissimos Cives, qui in Romanam Urbem non contemnendam Philosophicæ disciplinæ gloriam invexere, quorum duplex ordo in duo tempora distributus, priscum alterum, alterum vero recentius: Antiqua *Numam Pompilium*, recentior ætas *Africanum* est complexa, *Lælium*, ac *Furium*: Illum autem dicendus est Cicero Africanum indicasse, qui cum scientia militari foret insignis, humaniorum, severiorumque litterarum peritia longe fuit nobilior, illum plane, cui *Minori Africano* nomen, quod esse putandum tametsi Bendinel. Nost. sit ratus, modo tamen omisisse Strabeus accusatur; eumdem Africanum commemorat de Orat. 3. VII. Cicero, comparatione enim Latinorum cum Græcis facta: *Gravitatem*, apposite ad rem nostram ait, *Africanus, lenitatem Lælius, asperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo, & canorum*, cum paullo antea Græcos enumerasset his ferme verbis: *Suavitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Æschines, vim Demosthenes habuit. Quis eorum non egregius? Tamen quis cujusquam nisi sui similis*; de latinis autem pridem scripserat: *Quis horum non Princeps temporibus suis fuit, ? & sua tamen quisque in genere Princeps*, sive cum Lamb. *Princeps fuit*. Cæterum vitio, neque profecto mediocri, perturbatum in mentione Scipionum ordinem etsi Strebæo post Bendinel. vertamus, nonnumquam tamen a Cicerone præter Æmilianum Scipionem, vulgo *Minorem*, Cornelium quoque Scipionem Africanum, *Majorem* videlicet commemorari intelligimus; alterumque conferri cum altero: præsertim vero in Verr. VII. XXV. *Africani superioris celeritas in re gerenda*, ac deinceps *Africani minoris singulare consilium*, non sine laude recensentur.

(b) Adjumento, nec parvo quidem, futurus Lucio Cornelio Fratri Publius Scipio Africanus, illi, qui ab Urb. Cond. Ann. DLXIII. jam fuerat Consul una cum Lælio Nepote renuntiatus, ubi annuentibus Patribus Græcia & Asia Provincia obtigit, non tam so

cum solus, de Africano Minore dicta putat. Adscribam Ciceronis verba, *P. Scipionem Marce fili, eum qui primus Africanus appellatus est dicere solitum scripsit Cato, qui fuit ejus fere æqualis: numquam se minus otiosum esse quam cum otiosus: numquam minus solum, quam cum solus*, hæc Cicero (*a*). Audiamus quid afferat Betulejus. *Ceterum hoc idem Scipionis elogium extat apud Vellejum Paterculum volumine priore, ubi cum cum Mummio confert his verbis: Quippe Scipio tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinæ & auctor, & admirator fuit: ut Polybium Panætiumque præcellentes ingenio viros domi, militiæque secum haberet, neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit, semperque, aut belli, aut pacis servit artibus*: quod vel cæcis pateret esse dicta de Scipione Minore, & illa Ciceronis verba, qui primus Africanus appellatus est, satis declarant de Majore loqui. Bis etiam in commentario in lib. de amicitia, falsa affert, nam primum ea Lælii verba (bonitate in suos) sic interpretatus. *Amicos forte intelligas si necessitudinis gradus vel a Cicerone in officiis, vel a Gellio in Noctibus, positos sequeris, cujus rei præter cætera, memorabile exemplum esse potest L. Cotta, quem utroque consulatu, & censura functus defendit.* Attendite quæso utrum defenderit, an accusaverit. Cicero in divinatione in Verrem: *Aut cum P. Africanus homo virtute, gloria, rebus gestis amplissimus posteaquam bis consul & censor fuerat L. Cottam in judicium vocabat.* Idem pro Muræna, *Bis consul* fuerat *fuerat P. Africanus, cum duos terrores hujus imperii Carthginem Numantiamque deleverat, cum accusavit L. Cottam.* Et in Bruto *Q. Metellus*

L *is*

---

se legatum, quam comitem præbuit. Romanam deinde rem Lucius feliciter auxit, omniumque Romanorum Ducum primus in Asiam auspicato trajecit, nec non superatum Antiochum ad pacis conditiones, vel invitum perduxit, *Asiaticus* propterea æquo jure appellatus; Amplissimam sibi ex hoc disciplinæ militaris gloriam Lucius comparavit, quam antea Publius Frater in expeditione contra Pœnos suspexerat, maximeque commendaverat; teterrimis enim ab hostibus, bello secundo Punico tentatis iterum Romanis penes Hispanos, Ann. Urb. Cond. DXLVI. C. Claud. Nerone, ac M. Livio Salinatore Coss. quum universo exercitui præesset P. Scipio, Oringin, de cujus situ nihil Auctoribus certi præter illud, quod ad Bæticam ulteriorem pertineret, opulentissimam Urbem in Pœnorum fide, invasit Lucius adeo fortiter, occupavitque, ut *Scipio*, quod Liv. XXVIII. Lib. cap. IV. narrat, *collaudato Fratre . . . quanta poterat verborum honore, Carthagini (Novæ* scilicet, idest *Hispanicæ) ab se captæ, captam ab eo Oringin* æquaret, qua præ cæteris caussa Publium impulsum ramur, ut adversus singularem Lælii potentiam, Græciam, Asiamque Provinciam Lucio Fratri decerni contenderet, ipsius in bello tristi, ac turbulento Legatus etiam futurus, & Administ.

(*a*) Melius dubio procul, & accuratius eadem Ciceronis verba est interpretatus Petrus Marsus, cui hoc in loco Publius Scipio cum Bendin. nostro ille vocatur, qui a victo Annibale, Carthagineque ad tributum redacta, primum Africanus est dictus: cæterum hac in re, si mentem nostram aperire fas sit, facile Betulejum credimus errasse, sive ex iis Tullii verbis; *Nec minus solum, quam cum solus esset*, sive ex aliis, quæ pone sequuntur: *Magnifico vero viro, & magno viro, & sapiente digna, quæ declarat illum, & in otio de negotiis cogitare, & in solitudine secum loqui solitum, ut neque cessaret unquam, & interdum colloquio alterius non egeret: Ita duæ res, quæ languorem afferunt cæteris, illum acuebant otium, & solitudo*; namque otium, & solitudinem, quibus ex publicorum munerum abdicatione Linterni fruebatur Africanus Major, vigilias Æmiliano, Africano nempe Minori, jucundissimas Betulejus existimavit, quibus homo liberalium artium, sapientiæque omnis studiosissimus, militarium negotiorum curis interdum solutus, vel sibi litteratos viros socios adjungebat, vel Philosophicis Panætii sententiis acerrima contentione non raro vacabat.

is cujus quatuor filii consulares fuerunt, in primis est habitus eloquens qui pro L. Cotta dixit accusante Africano, num defendit? Deinde, ea (justitia in omnes) sic explicat. *Huc fortasse non inepte retuleris, restitutum Masinissæ avunculum, quod si cum Valerio humanitati adscribere velis, non me Philodicon senties*. Supra hunc Valerii locum confutavimus.

LOCUS XIII.

JOhannes Vives in vigilia sua in somnium Scipionis non satis vigilasse suis verbis ostenditur *M. Manilio, & L. Marcio Coss. Ego ex Hispania in Africam veni missus a Lucullo, sub quo merebam Tribunus militum ad quartam legionem, nihilque in mandatis habebam potius aut prius, quam ut a Masinissa ad Hispaniensi bellum Elephantos aliquot nomine Imperatoris mei postularem*. Non vidit vir ille, acerrimo ceteris in rebus ingenio duobus annis ante Consulem Lucullum fuisse (*a*): atque iter Scipionem ad Masinissam in Africam ivisse: semel cum ex Hispania a Lucullo est missus: iterum officii caussa M. Manilio, & L. Martio Censorino Coss. tertio ab ipso Masinissa per litteras accitus.

LOCUS XIV.

VAlerii verba de Scipione nostro lib. 2. cap. 2. hæc sunt: *Nam posterior Africanus everso Punico Imperio exterarum gentium transfugas in edendis populo spectaculis feris bestiis objecit.* Appianus (*b*) in Libyco in Provincia post deletam Carthaginem ludos addidisse scribit. Idem Florus Epit. 51. nonnhil somniantes ab Appiano & Floro non discessimus.

LOCUS XV.

CIcero in Lucullo sic inquit. *Ego autem cum græcas litteras M. Catonem in senectute didicisse acceperim. P. autem Africanum historiæ loquuntur in Legatione illa nobili, quam ante censuram obiit, &c.* Hic Cicero legationem ante censuram obiisse Scipionem dicit. Post censuram in somnio. *Cum autem*, inquit, *Carthaginem deleveris, triumphum egeris, censorque fueris, & obieris legatus Ægy-*

(*a*) Illud etiam de Æmiliano Scipione Ann. ab Urb. Cond. DCII. L. Licinio Lucullo, A. Posthum. Albino Consulatum obtinentibus memoria dignum, Romana juventute detrectante militiam, per id tempus, quo Celtibericum bellum proponebatur, neque ex gravissimi belli difficultate commotum, neque ex continuis præliis, neque occisorum militum numero, hostiumque virtute retardatum, suam ultro Patribus operam constanter obtulisse, exemplo senioris Africani, qui, ceteris recusantibus, se quoque in Hispaniam iturum libenter despondit; Priusquam itaque in Africam ad Masinissam contenderet Æmilianus, sub Lucullo pugnavit apud Celtiberos, non uno virtutis ac scientiæ militaris, quod pridem animadvertimus, exemplo ejusmodi in bello clarus.

(*b*) *Scipio*, ait laud. antea Freinsh. cap. LV. Supplem. LI. Liv. *perfectis, quæ Senatus præceperat*, cujus mandata complura ex decem Legatis nuper cognoverat, *exemplo Patris Æmilii, qui post Macedonicam victoriam eodem genere magnificentiæ Amphipoli fuerat usus, eximio spectaculo, omnis elegantiæ, non modo Judex idoneus, sed etiam solertissimus Auctor, edidit*. Illoque plane consilio, quo Pater Æmilius, militaris disciplinæ studiosissimus Æmilianus id præstitit, ut diro asperoque supplicii genere longe in posterum fugæ Militum prospiceret: Hæc autem Urb. Cond. Ann. DCVII. C. Cornel. Lentulo, ac L. Mummio Coss. post deletam quidem Carthaginem, acta narrantur.

Ægyptum, Syriam, Asiam, Graeciam (a), *delegere iterum consul obsent.* Diximus supra etiam aliquando bonos auctores ipso Cicerone auctore, dormitare, dormitavit igitur Cicero in Lucul. Nam Plutarchus in Apophthegmatibus eumdem temporum sequitur ordinem: & Justinus lib. 38. quem Cicero in somnio.

LOCUS XVI.

Ex superioribus etiam planum factum arbitror, Valerium Maximum longe a vero aberrare cum lib. 4. cap. 3. dicit *Scipionem Æmilianum post duos inclytos consulatus totidemque suæ præcipua gloriæ triumphos septem servis sequentibus officia legationis functum fuisse* (b).

LOCUS XVII.

Legitur in superiori Valerii loco *septem servis sequentibus*, Valerium secutus est Biondus lib. 5 suæ triumphantis Romæ. Cornelius Nepos *duos secum duxisse servos* scribit. Plutarchus vero in Apophthegmatibus, & Athenæus in lib. 6. *quinque*; quibus nos magis credimus (c).

LOCUS XVIII.

Cicero in somnio, (d) *delegere* inquit, *iterum Cos. obsent.* Florus autem Epit. 56. *Cum vitio Ducum bellum Numantinum non sine publico pudore durares*,

(a) Romæ *quum esset moris*, inquit Sigonius *uni consulari Legato duos non consulares adjungere*, ne, una *cum Sp. Mummio, ad Regum, & Civitatum, & Gentium animos perspiciendos*, Scipioni post censuram legationem obeunti, L. Metellus, qui & iiii Comes fuerat additus, jam consularis, præter consuetudinem socius dicatur adscriptus, verisimili conjectura adducimur, ut credamus, ante censuram, quo nondum tempore Metellus Consularis evaserat, Scipionem legatione functum; *quod autem hoc in loco*, subdit idem Sigonius, *censuram legationi Cicero præferat, id orationis commoditas videtur, vel defendere posse, vel excusare*.

(b) Legatus est, quod conjici hoc in loco posse Oliverius existimavit, ad Aristonicum Æmilianus, *qui sub coptam a Scipione Numantiam, eo quod esset Attali Regis Nepos, Eumenis Filius, Asiam occupaverat, tamquam Regnum sibi jure hæreditario debitum, quum testamento Regis Attali Pop. Rom. Provincia legata libera esse deberet*; Istud autem, si veritate non careat, quod crudito Lectori pronuntiandum relinquimus, dubio procul constabit, duo genera diversa legationum duos quoque diversos obiisse Sci- piones; Africanum nempe Majorem in exercitu Romano ab Urb. Cond. Ann. DLXIII., Minorem deinde Africanum, Æmilianum videlicet, post Urb.Cond. Ann. DCXXII., ut Regnum recuperaret, legatum esse ad Aristonicum, de quo illud certo in Supplem. Liv. LIX. cap. LVI. a Freinsh. memoriæ proditum, Ann. Urb. Cond. DCXXII., superatum fuisse a M. Perperna, ipso Perperna, & C. Claud. Pulchr. Coss.

(c) Mirum, ac prorsus inauditum continentiæ singularis exemplum narrat ex Posidonio vir doctissimus Teophilus, dum quinque Scipionis servos commemorat; *ad Orbis terrarum*, videlicet, *componenda Regna, quo cuique sua distribueret, a Senatu missum Africanum*, scribit Teophilus, *haud plures in Ministerio quinque servis habuisse, quorum unus ob iter quum e vita migrasset, Scipionem ad suos domum scripsisse, ut emerent, & ad eum Mancipium mitterent, quod in defuncti locum succederet*; eodem quoque Auctore docemur, Polybium adhærere Plutarcho; Athenæoque, quorum ex sententia non ultra quinarium, numerum servorum Scipionis extendit.

(d) *Diligere* scribit Lamb., plerique *delegere*, *deligere* Verburgius.

ret, delatus est ultro Scipioni Africano a Senatu populoque Romano consulatus, quem cum ille capere ob legem, quæ vetabat quemquam intra decem annos iterum consulem fieri, minime vellet; sicuti priori consulatu legibus solutus est. Valerius lib. 8. cap. 16. *tradunt*, inquit, *subinde nobis ornamenta sua Scipiones commemoranda. Æmilianum enim populus ex candidato ædilitatis consulem fecit, eumdemque, cum Quæstoriis comitiis suffragator Q. Fabii Maximi fratris filii in campum descendisset, consulem iterum reduxit*: Si igitur, ut Florus ait, minime vellet, & descendit in campum, ut Valerius, & reductus fuit; quomodo, ut Ciceroni placet, *absens* (*a*) delectus fuit.

LOCUS XIX.

FLorus Epit. supra commemorata: *Scipionem inquit capere consulatum non potuisse ob legem, quæ vetabat quemquam intra decem annos consulem fieri licere, & iccirco legibus solutum*, (*b*) aut Florus non recte Epit. confecit, nam octo & triginta natum annos in vita diximus Scipionem consulem factum. Iterum tresdecim annis post, eum haberet unum, & quinquaginta annos, aut locus corruptus est, aut sic Florus intelligendus est; intra decem annos post quadragesimum tertium lege consulem fieri prohibebatur, id est, ante quinquagesimum quartum ætatis suæ.

LOCUS XX.

CIcero in Oratione pro Rege Dejotaro. *Qualis Rex Attalus in P. Africanum fuit, cum magnificentissima dona, ut scriptum legimus, usque ad Numantiam misit*. Apud Florum Epit. 57. non *Attalus*, sed *Antiochus* legitur: (*c*) & profecto facile potuit eo in loco Attalus pro Antiocho reponi. Præterea Attalus e vita decessit dum Scipio Numantiam obsidebat, & fortasse initio consulatus ejus si non ante, ut per Plutarchum probari potest in vita Gracchorum.

LO-

(*a*) Ad historicorum officinas hoc in loco divertit Cicero, eaque vocabula usurpavit, quæ cum Dionysio, tum Livio facta sunt valde familiaria: *Absens*, quod ipse testatus, in Schol. Livian. a Sigonio acceptus perinde ac *non petens*, diversa hic ratione non debet accipi, præsertim quum iste sensus a Cicerone firmetur, qui Lælium inducit in *Dialogo de Amicitia* Scipioni laudi tribuentem, quod numquam Consulatum petierit, tametsi bis renuntiatus sit Consul, *primum ante tempus, iterumque sibi, suo tempore; Reipubl. pæne sero*. Singula si in animum induxisset Barrient. Nost., haud, inconsultius fortasse, quam par erat, Ciceronem non obscuri erroris insimulasset.

(*b*) Errasse videtur C. Lang. qui illud Ciceronis *in Lælio* de Scipione exponens; *factus est Consul . . . primum ante tempus* Anno ætatis XXXVI. per id tempus, quo nondum licebat, Scipionem consulem factum existimavit; consul quidem ante præscriptum ætatem fuit Scipio, veruntamen Anno tantum XXXVIII. ab Urbe Cond. DCVI. post Annum XII., Urb. vero Cond. DCXIX. secundo una cum C. Fulvio Flacco gessit consulatum; cum primo, tum iterum consulatus Scipioni delatus ex gravissimo Reipublicæ periculo, altero enim tempore tertio bello Poeni fuerunt profligandi, altero Numantia delenda, quibus expeditionibus clarus semel, atque iterum de victis hostibus gloriose triumphavit.

(*c*) Discrimen servandum inter Attalum, & Antiochum; alter hostis Romanorum fuit, alter cum illis Regno, & societate conjunctus; cæterum quod hoc nomine plurimi quoque Reges fuerint appellati, ea de caussa sententia Ciceronis non omnino videtur improbanda, præcipue quum Auctore Freinsh. in Supplem. Liv. LVII. miserit Antiochus Rex Siriæ Æmiliano Numantiam obsidenti amplissima dona,

quæ

LOCUS XXI.

APud Val. Maximum sic scriptum legitur lib. 6. cap. 2. *Cn. Carbo Tribunus plebis nuper sepultæ Gracchanæ seditionis turbulentissimus vindex, idemque orientium civilium bellorum fax ardentissima, P. Africanum a Numantiæ ruinis summo cum gloriæ fulgore venientem ab ipsa pene porta in rostra productum, quid de Trib. Gracchi morte sentiret interrogavit.* Aliter paulio Cicero in oratione pro Milone. *Nisi vero existimatis dementem Africanum fuisse, qui a C. Carbone in concione seditiose quum interrogaretur, quid de Trib. morte sentiret &c.* a Cicerone non differtit Florus Epit. 59. (a) *Cum Carbo Trib plebis, rogationem tulisset eumd. trib. pleb. quoties quidem vellet, creari licere, rogationem ejus P. Afr. gravissima oratione dissuasit, in qua dixit, Tiberium Gracchum jure cæsum videri.* Valerium secutus est Paulus Manutius in suis commentariis in Epistolas Ciceronis ad Atticum; nos vero Ciceronem & Florum.

LOCUS XXII.

PLutarchus in Apophthegmatibus, *Scipionem*, inquit, *minorem ferunt annis quatuor, & quinquaginta, quibus vixit, &c.* Hoc videtur falsum. Nam Cicero de natura Deorum, & Vellejus Paterculus Volumine posteriore scriptum reliquerunt, *mortuum esse Marco Aquilio & Cajo Sempronio Tuditano* Consulibus, Anno V.C. 625. *(b)* & Livius in loco jam toties commemorato, decem & septem annos habuisse dicit, cum in Macedoniam cum patre fuit Anno V.C. 586. Quare si recte supputabis invenies annos sex & quinquaginta. Idipsum subsignificabat Cicero in somnio illis verbis, *nam cum ætas tua septenos octies sola anfractus, reditusque confecerit, duo hi numeri cursu naturali, summam tibi fatalem confecerint, idest, cum ad quinquagesimum sextum perveneris annum, ac pene quinquagesimum octavum attigeris*.

M LO-

---

quæ in publicas tabulas a Quæstore jussit idem Æmilianus referri non multo post fortibus viris distribuenda; Id vero dum adnotamus non ea sumus audacia, ut rem dubiam pro vera & certa adstruamus; doctus Lector judicium æquum feras, ac si, juxta veritatem fortasse, & apud Freinsh. pro *Antiocho*, *Attalus* sit scribendus, ea ratione, qua in Tullio ab Ursino, a nobis hoc idem in Freinsh. ἁμάρτημα μνημονικὸν *memorabile* videlicet *erratum* non ægre dicetur.

(a) In hunc locum Ascensius, *productum*, Scipionem videlicet, *in Rostra* scripsit, *idest in locum concionis, pene ab ipsa porta, quod dicitur priusquam se in ædes proprias recepisset*; sive igitur *productus in Rostra fuerit Scipio, sive in concione seditiose interrogatus*, nostram enim in hoc sententiam interponere non audemus, unum liquet, Gracchanae seditionis vindicem Cneum Carbonem palam de Graccho eum Scipione habuisse sermonem, ea autem id ratione peregit qua sibi Ducis fortissimi auctoritate in seditioneᷓ viam amplissimam patere posse non immerito existimabat; hoc ex Valerio cognoscimus; *quid*, inquit laudatus antea Valerius Maximus, *de Tiberii Gracchi morte, cujus sororem in matrimonio habebat, sentiret*, de Scipione loquitur, *interrogavit, ut authoritate clarissimi viri, inchoato jam incendio multum incrementi adjiceret, quia non dubitabat, quin propter tam arctam affinitatem aliquid pro interfecti necessarii memoria miserabiliter esset loquuturus*; ista elucidandæ historiæ ex Valerio juvet decerpsisse, plura cupienti occurrent, & Paterculus, & Plutarchus in Ἀποφθ.

[b] In sententiarum diversitate, quæ de Consulibus rata sint habenda, penitus ignoramus; in quem eorum unusquisque annum sit referendus

LOCUS XXIII.

IN libro Ciceronis de Amicitia legitur, *quibus blanditiis C. Papirius Consul nuper influebat in aures concionis.* (a) Hic autem his est apponendus magistratus ut multa exemplaria habent: aut Tribunus P. est apponendus. Nam cum Carbo legem ferebat, de Tribunis Plebis erat, ut testatur Florus Epit. 59. & Appianus 7. *bellorum civilium*.

LOCUS XXIV.

CIceronis Epistolarum ad Atticum omnia exemplaria, quæ adhuc videre contigit *in libro* 16. *Epistolarum*, *o casum mirificum*, sic habent: *in præsentia mihi velim scribat, quibus Consulibus Lucius Vannius. M. L. Tribunus Plebis fuerit, videor mihi accidisse Publio Africano, & L. Mummio, quibus Censoribus* non *Consulibus* legendum est. Pub. enim Africanus Lucii Mummii Collega in censura fuit. Cicero lib. 2. de officiis, *imitatus*, inquit, *patrem Africanus, nihilo locupletior Carthagine eversa. Quid? qui ejus Collega in Censura fuit L. Mummius.* Idem Valerius, & Plutarchus in Apophthegmatibus. (b)

LO-

---

obscurum sane, ac impervium; Marcus Aquillius, ac Cajus Sempronius ab Auctore nostro in annum ab Urbe Cond. DCXXV. relati, anno ab Urb. Cond. DCXXI. Consulatum gessisse videntur Sigonio, cui si fortasse libeat adhærere, in ejusmodi annum DCXXI. mors Scipionis erit conjicienda, nec non in Annum ab Urb. Cond. DLXXXII; eodem Auctore Sigonio, L. Æmilii Paulli iteratus Consulatus censebitur revocandus; hujusmodi autem anno quum ex Livio Scipio admodum adolescens perhibeatur, parum ultra quindecim annos, quæ ex Censorino de die Natali Cap. XIV. ætas adolescentiæ tribuitur, processisse credendus est; quindecim vero annis, ubi unum & quadraginta superaddas, ad quinquaginta sex annos ultro devenies, quorum numerus ex Cicerone profertur, cæterum si quindecim annorum in adolescentia Scipionis numerum excesserimus, ultra quinquagesimum sextum ætatis annum producetur vita Scipionis, ac sub annum quinquagesimum octavum, mortem dicetur oppetiisse; quod nec Tullius negasse credendus est, cui tantum placuit affirmare expleto quinquagesimo sexto vitæ anno Scipionem vita functum; in re tenebris involuta nihil ipsi definimus, unum tantum asserimus, errasse Plutarchum, inconsultoque pro *sex*, & *quinquaginta*, annos dumtaxat scripsisse *quinquaginta quatuor*, qui nulla cum numerandi ratione valeant convenire.

[a] Decem affert exemplaria, qui τὸ *Consul* expunxerunt Aldus Mannuc. Paul. Fil. accuratus Ciceronis interpres in hujus loci explanatione; *abest*, inquit, *a decem meis. & recte abest*, quod ratione confirmat, *nam Tribunus plebis erat*, *Epit. Liv. lib. LIX.* ad annū autem Cond. Urb. DCXXX. una cum Pub. Manlio, C. Papirium obtinuisse Consulatum, ex Sigonio, animadvertimus.

[b] Non injuria quidem τὸ *Consulibus* exploditur, apponiturque *Censoribus*: semel ac iterum Consul fuit Africanus; primo Consulatum administravit anno ab Urb. Cond. DCIII. si velimus audire Sigonium, si aliis placeat assentiri DCVI. habuitque Collegam C. Livium, anno vero subsequenti ex Sigonio DCIV. ex aliorū sensu DCVII. Consul fuit L. Mummius, simulque cum illo Cn. Cornelius; secundo Consul renuntiatus est P. Africanus una cum Fulv. Flacco anno, ex Sigonio, a Cond. Urb. DCXVI. juxta alios DCXIX. hisque profecto monumentis obstantibus numquā cum L. Mummio Consul est decretus P. Africanus; censura autem una cum eodem functus est L. Mummius, cognomento Achaicus anno DCXI. si

LOCUS XXV.

APpianus in Libyco, *creditum est, inquit, Hasdrubalem, quemadmodum uxor, illi consuluerat, oppetiisse mortem*. Plinius vero *lib. 4.* ante currum Scipionis ductum fuisse scribit his verbis, *tres igitur Romæ celeberrimi simul Triumphi fuerunt, Africani ex Africa ante cujus currum ductus est Hasdrubal*. Huic subscribere videtur Florus *Epit.* 52. sic loquens, *Pub. Cornelius Africanus, Scipio. Æmil. de Carthagine & Hasdrubale triumphavit*. (a)

LOCUS XXVI.

REliquum est, ut & sententiam eorum refellamus, qui adducti illis Lælii Ciceronianis verbis (*sed nescio, quomodo in Andria familiaris meus Terentius dixit*) dixerunt, Terentium Ciceroni familiarem fuisse: & ostendamus, an potuerit Terentius in scribendis fabellis a Lælio & Scipione adjuvari. Prior sententia etsi ipsis Lælii verbis satis confutatur, qui de se ipso loquitur, tamen ut cumulate tibi satisfaciam, non gravabor rem planiosem facere. Terentius igitur, si Donato credimus, natus est. Cn. Cornelio Lentulo, & Publio Ælio Peto Coss. anno urbis conditæ 553. mortuus est, ut idem confirmat, Cn. Cornelio Dolabella & Marco Fluvio nobiliore consulibus anno V. C. 595. [b] Cicero autem natus est C. At-

---

pro hoc, ex quapiam alia annorum serie, alium scribere nolimus annum; erroris itaque caussam præbuerunt librarii ex Malaspino, qui in hunc locum: *Sed & persimiles*, ait, *inter se voces, sive integræ, sive decurtatæ supinis, & imperitis librariis imponere sane facile potuerunt, quod in his libris alicubi fecerunt.*

(a) Nomen Hasdrubalis Pœnis familiare; hoc autem in loco ille subintelligendus est Hasdrubal, qui postremus in Scipionem decertavit, ac de illo actum a Scipione triumphum, non tantum ex Liviana Epitome, verum ex Zonara, Eutropioque compertum; *Post Q. Metelli de Andrisco, Macedonibus, Achaisque triumphu*, Romanorum rerum scriptores habent, *justioribus aliquanto caussis Æmilianus Scipio Africani cognomentum, quod hactenus hæreditarium habuerat, suis meritis adscripsit; hostibus extinctis acerbissimis, excisa Urbe Æmula, amplissimisque regionibus in Provinciæ formam redactis, de quibus rebus, quum reportato in Italiam exercitu apud Patres disseruisset, triumphus ei de Carthagine, & Hasdrubale, magno cum honore*, ex Patrum sententia obtigit; hoc autem peractum est Coss. Cn. Cornelio, L. Mummio, sive ad annum DCIV. sive ab Urb. Cond. anno DCVII.

(b) Nihil caussæ est, cur miremur a Cicerone dictum in Lælio, *Terentius familiaris meus*; constat sibi ipse met Tullius, omnique sublata difficultate id explicat ad Atticum Epist 3. prope finem, quod in Lælio dixerat, habet enim, *cujus*, Terentii videlicet, *fabellæ propter elegantiam sermonis putabantur a C. Lælio scribi: Adeo familiaris* itaque Ciceroni *Terentius*, & hoc Ald. quoq Paul. Fil. hic adnotavit, *ut a Lælio scriptæ putentur, quæ Terentii nomine comœdiæ circumferuntur*. Cæterum neque illud repugnat, *quod putentur a C. Lælio*, ex Ciceronis sententia, *scribi Terentii fabellæ*; vixit, *Terentius* ex Ælio Donato, *Romæ cum multis nobilibus familiariter, jam capta, & deleta Carthagine, sed maxime cum Scipione Africano, & Lælio*, quod contra Fenestellam Cornelius Nepos, verum acriter contendit, æqualem illis fuisse tradens Terentium, suspicionemque tollit Porcius Poeta his carminibus Terentii mortem prosequutus.

Dum lasciviam nobilium, & fucosas laudes petit,
Dum Africani voci divinæ inhiat avidis auribus
Dum ad Furium se cænitare, & Lælium pulchrum putat,

C. Attilio Serano, & Q. Servilio Cæpione, ot Gellius scribit lib. 75. c. 20. anno urbis conditæ 648. idest, annis 53. post mortem Terentii. Si igitur hæc vera sunt, non satis videtur probabile, Terentium Lælii & Scipionis opera uti consuevisse in scribendo, cum uterque major natu esset; nam Scipio natus est, ut in vita diximus Ap. Claudio Pulcro, & M. Sempronio Tuditano Coss. anno V. C. 569. quo tempore Terentius sexdecim habebat annos, anno vero 35. ætatis suæ edidit Andriam anno V. C. 588. cum Scipio esset annorum 19. Lælius autem Scipionem paululum ætate anteibat, ut ex illis verbis in libro de amicitia colligitur: *ut prius introjeram in vitam, sic prius exibo de vita*. Etsi hæc ita se habent, multo minus potuit iis corporis gratia conciliari: quid si Africano majori? Nam cum Africanus major mortuus est, Terentius habebat sexdecim annos. Africanus enim major e vita discessit eo anno, quo natus est minor. Sed cuique suum judicium liberum sit, Nicolae consultorum disertissime, mihi certe satis neutra omnino facit opinio.

LI-

Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi,
Ob florem ætatis suæ, ad summam inopiam redactus est.
Itaque e conspectu omnium abiit in Græciam, terram ultimam,
Mortuus est Symphalo Arcadiæ oppido; nil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nil Furius,
Tres per idem tempus, qui agitabant nobiles facillime.
Calumniamque qua impetebatur, de scriptis a Lælio, & Scipione Comœdiis ipse auxit, leviter namque ejusmodi depulit accusationem, vel quod veritati adversari nollet, vel quod Patronis suis placere studeret; hæc in Prolog. Adelph. conscripsit.
Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Hunc adjutare assidueque una scribere,
Quod illi maledictum vehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximam; cum illis placet,
Qui vobis universis, & Populo placent;
Quorum operam in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usu est sine superbia.

Quæ in rem nostram testimonia collata videntur Ciceroni accomodanda, isque accuratè scripsisse censendus est, quum *Terentius familiaris meus* in suis Operibus habet. Unum postremo advertimus ex Joh. Fabricio in Biblioth. latinorum Scriptorum, hoc est deceptos Engelbertum perinde ac Orosium lib. 4. cap. 19. pro *Comico* Terentio, alium Terentium sunt interpretati; alter Terẽtius a Terentio Comœdiarum Scriptore Romæ vixit, isque fuit, ex Liv. lib. XXX. Cap. XLV. Senator amplissimus, qui a Scipione devicta Carthagine, assertus a Pœnorum vinculis in libertatem, Romam est adductus, cui nomen: *Q. Terentius Culleo*, a Themistio etiam Orat. 13. commemoratus, quod ideo adnotamus, nequis unum pro alio *Terentium* indiscriminatim accipiens, in errorem vel invitus abripiatur.

LIBER JOH. BRANTI

BREVES NOTAS IN ALIQUOT LOCA PLAUTI CONTINENS.

IN ASINARIAM.



CT. 1. sc. 1. v. 48.

Posterius istuc dicis, quam credo tibi.

istuc quod mihi dicis, jam antea scivi. (*a*)

Act. 1. sc. 3. v. 70.

Oratione vinnula.

Vinula malim, unico *n*. Oratio vinula, blanda, mollis; quod gratum est, & ad blanditias. [*b*]

Act. 2. sc. 2. v. 12.

Numquam ædepol quadrigis albis indipiscet postea. (*c*)

[*a*] Nonnihil est a Brant. diversus hic Lambinus explicans: *Prius istud, quod dicis credo tibi, quam dixeris*, & addit ulterius usum hoc versu Nonium τὸ *Posterius* interpretatum esse, *secundo*, *Tardius*, ac *Minus*; A quibusdam aliis redditur: *Loqueris id serius, quam credidi.*

[*b*] Ad Brant. Nostr. abs re non judicamus adjungere Frider. Taubman. verba in hunc locum. = *Vinnula*, ita
= MS. Camer. ut & C. Langii dupli-
= ci *nn*. At Lamb & Turnebus agno-
= scunt *Vinula*, q. d. sensiloqua, il-
= lecebrosa, & ad sensus permanan-
= te, ut vinum in venas. Hanc au-
= tem vocem Bosius Ciceroni etiam
= restituit ad Attic. lib. 4. 16. & in-
= terpretatur *rem vinulam*, rem le-
= pidam & elegantem, quæ ad se
= videndam & tractandam quemvis
= alliciat. At *J. Douza* ex Nonio
= rectius, opinor, rescribit *Vinnula*,
= geminato *nn*. qui exponit sensilu-
= quum, illecebrum. Ita Isidorus
= lib. 2. Origin. *Vinnulata vox, est*
= *lenis & mollis atque flexibilis*: *&*
= *vinnulata dicta a Vinno, i. cincin-*
= *no molliter flexo*, quamquam in
= meo Cod. *vinnolata* per *o* ubique
= legitur. Unde nunc primum, in-
= quit Douza, discimus, *vocem vin-*
= *nulam*, sive *vinnulatam*, ad fra-
= ctas & concisas illas effæminatissi-
= mis modis in concentu Musico fle-
= xiones proprie pertinere, quod
= modulationis genus *Chroma* indi-
= gitat Boethius, quasi in *coloratam*
= *vocum compositionem* interprete-
= re, *minuritioni* clandæ uniter ac-
= commodatam, & festive Plautus,
= qui ab hac forma *Vinnulam oratio-*
= *nem* appellet blanditias meretri-
= cias chromaticæ illius Musicæ in
= modum flexuosas cincinnatasque,
= nec nisi affectibus commovendis
= excogitatas, hoc est, dicta infra-
= cta & quasi modulata voce labiis
= tenus modo, non autem e pecto-
= re penitissimo enunciatas nota
= mereticulatum arte. Superaddam
= & Festi, an Pauli, sententiam. Il-
= le igitur: *Vinulus* (unico *n*) *di-*
= *citur molliter segerens & mini-*
= *me quid viriliter faciens*: citans
= hunc locum.

[*c*] Autori Nostr. haud ægre superaddimus Taubman. fusius, & clarius ita huc loci differentem: = Ita Lamb.
= & Turn. lib. 24. 31. ubi *quadrigas*

Justus Lipsius Antiq. lect. lib. 1. cap. 7 in Roveriano codice margini adscriptum testatur, *quadrigis argis*: haud inepte fortasse huic loco, nam *Argis* pro *Argivis* usurpabant, ut per hoc Epitel ligatur *celeribus quadrigis*. Nam in ludis Argivis certabatur cursu equorum, & curruum, locus in ἀμφιβολίᾳ vocis Ἄργος, quæ significat *strenuus* & *velox*: & contra etiam tardus & segnis.

v. 20.

Ne quam fraudem frausus sit. (a)

Nota *frausus sit*: contra ἀναλογίαν.

Act. 2. sc. 4. v. 36. *ajebat reddere* pro redditurum.

Nam retineri, ut quod sit sibi operis efficeret locatum.

Nam retineri scil. pecuniam reliquam, ut efficeret, quod sibi operis sit locatum, sic enim construe.

v. 39.

Si velis adeo commoda homini amica.

Al. *si velis, ad, com. h. am.* Rectius: *si velis dare commoda h. a.*

Act. 3. sc. 1. v. 2.

Ut qui expers matris imperii sies.

Melius forte: *imperiis*. Sic enim cum sexto casu scilicet sæpius a Plauto usurpatur: ut hac ipsa fabula 1. 1. v. 31. *ut expers sis metu*.

v. 31.

Patior, si cibo carere me jubeas, mater mea.

id est, Patiar non solum id, sed etiam si me cibo carere jusseris.

Act. 2.

= *albas* interpretantur *Jovis quadrigas*. quæ celerrimo per cælum ferri curriculo censeantur. At *Lipsius* in his *quadrigis albis* hæret. nam eas, inquit, honoris tantum insigne fuisse scio: atque ita Platonem a Dionysio Tyranno quadrigis albis exceptum, in Plinio legimus: & in altero Poeta: *equis percurreret albis*. At hic aliquid de celeritate sententia pullulat. In Roveriano Codice margini adscriptum erat, *quadrigis argis*. In Langli, *quadr. albis*. Mihi suspicio est ne scribendum sit, *quadrigis si abit*. *Quadrigis abire*: *curriculo fugere*, & similia, valent Proverbiali sermone, nimero & celeriter abire, fugere. Plaut. Pæn. *Nisi ego illum jubeo quadrigis cursim ad carnificem rapi*. Aul. *Quod herus jubeat, citis quadrigis citius properes persequi*. Amph. 1. 1. *Quadrigas si nunc inscendas Jovis, nunquam effugies infortunium*. De hoc ita judico: sic tamen, ut legis Valeriæ beneficium non tollam, & a me ad populum provocari permittam: *Hæc ille*. Palmer. l. *quadrigis Argis*. Argæ autem quadrigæ eædem, quæ *Argivæ*. Amph. *natus Argus ex Arga patre*. Jam *Argivæ quadrigæ* omnium scriptis eximiæ. Unde illud: *Aptum equis Argos*: propemodum ita dictum ab Horatio [nam hic Lambinum video] ut a Varr. *Ubi locus spacus teneris fruticibus aptus*: & Ennio. *cælum Stellis fulgentibus aptum*. Copiam enim & pulchritudinem duo hæc significant. Quamobrem non est nobis hic V. C. Roveriani scriptura damnanda, quando omnibus in ore est. *Argos ἱππόβοτον καὶ ἱππόβοτον*. *Hactenus Palm.* At vero Gron. censet illud, *albis*, non mutandum: cum MSS & vett. edit. omnes ita habeant. Etiam J. B. Pius *albis* retinet, & exponit veloces; putatque allusum ad equos Rhesi: de quibus Catullus: *Nec Rhesi niveæ citaque bigæ*. Quin & J. VVouver pertendit. Plautum *quadrigas albas* Græca locutione dixisse cum ἀργὸς citum & *album* notet. atque ita *quadrigas albas* dixerit, quas alibi in re simili *quadrigas Jovis*. Jovis enim & solis quadrigæ albæ, Liv. lib. 5. Quicquid sit, omnino Plauti locus de quadrigis factionum explicandus est.

[a] Præter Brant. attende & hic Taubman. = *Fraudem commiseris*. Fe-

Act. 3. 3. v. 71.

Quin tradis huc crumenam ære pugnantem?

Lambinus emendat, *ære pressatam*. Laudo *herum pressatum*, [a] ut sit sensus: Quin, cur non tradis mihi hero tuo crumenam, quæ herum tuum & me prellet? Nam sæpe legitur apud Plautum. sacculos nummos refertos in humeris ferri. Cujus facilis est ratio, quod istis temporibus auri usus non esset, vix argenti, sed maxime æris, quod parvi pretii erat.

Act. 4. sc. 1. v. 44.

Et vetitam dicere.

Rectius alii, *votitam*, ab antiquo verbo *voto*, idem quod *veto*. (b)

IN AULULARIAM.

ACt. 2. sc. 7. v. 3.

Ut in puteo cœnam coquant.

Ut in conviviis rusticorum solet fieri: qui ob angustias ædium foveas in terra parant, ibique cibos coquunt. (c)

Act. 2. sc. 8. v. 7.

Quoniam nihil est, qui emam.

id est, quo emam, unde emam.

Ibid.

= stus. Livius lib. 23. *Qui capitalem*
= *fraudem fausi, quique pecuniæ*
= *judicanti in vinculis essent.*

[a] Restituit cum Brant. nostr. *herum pressatum*, & ipse Taubman., locumque difficultatis plenum expendit his verbis.

.... Quin tradis huc cruminam herum pressatum?
= MS. summi Musarum Consulti
= Camerarii habet *pressatum erum*.
= Lamb.e Lang. MS.ut & Meursius,
= transpositis tantum verbis l. *ære*
= *pressatam*, i. effertam nummis &
= distentam. Palm. l. *ære impres-*
= *satam*, i. ære gravidam. VIR
= DOCTUS suspicabatur adole-
= scens (quod tamen vir factus re.
= pudiavit) legendum, *ære præ-*
= *gnantem*. Sic supra, act. 2. 2. hic
= idem servus inquit: *Etiam de ter-*
= *go ducentas plagas prægnantes da-*
= *bo*. Certe Persa, 2. 5. non admo-
= dum dissimili loquendi genere,
= crumenam ære plenam *Vomicam*
= nominat. quam sic circumscribit
= Juven. Sat. 14.
= *Grande operæ pretium est, ut*
= *tenso folle reverti*
= *Inde domum possis, tumidaque*
= *superbus aluta.*
= Iterum:
= *Interea pleno dum turget saccu-*
= *lus ore.*
= Idem:
gnantem flamine fusum.

= Nec mirum dici *cruminam præ-*
= *gnantem*, cum æquor ventris,
= imo adeo locus, ubi proprie ha-
= bitat amor, eo nomine indigita-
= tur; *bulgæ*, inquam & *perulæ*. Lu-
= cill. Sat. 2.
= *in bulgam penetrare pilosam.*
= Idem Sat. 26.
= *Ita ut quisque nostrum e bulga*
= *est matris in lucem editus.*
= Apul. 5. *Quantum putas boni no-*
= *bis geri in ista perula? quantis*
= *gaudiis totam domum nostram hi-*
= *larabis?* Hæc inde nata credide-
= rim; quod crumena olim præcin-
= cta ad ventrem; unde etiam *ven-*
= *trale*, (κοιλιόδεσμος, φούνδα dicta.

(b) Cum Brant. Nostr. audiatur item, Taubman. = Ut dicat, se *votitam*
= i. religione aliqua prohibitam; ut
= Nonius explicat, & Camer. probat.
= *Lambinus*, & *Acid.* malint ex
= V. C. *Vetitam*: quod & sententia
= & numeri hoc postulare videan-
= tur.

(c) Clarius Brant. Nostr. ad V. 21. Act. II. Sc. V. designat Puteum Taubman.
= Hypogæum seu barathrum, lo-
= cum pœnæ coquorum destinatum,
= quod genus λάκκον vocabant:
= Turn. l. 6. 24. Vide & Scipion.
= Gentil. Parerg. lib. 1. c. 39. ubi
= docet, *in puteum condi*, fuisse ge-
= nus pœnæ vernaculæ; & ab Ulpia-
= no *malam mansionem* vocari.

Ibid.

Ita illis impuris omnibus adii manum.

Proverbialis phrasis: videlicet, quia putaverunt ludionem ita per macellum discurrentem multa empturum, decepti fuere.

Act. 2. sc. 9 v. 6.

Quam volsus ludius

ita eum plumis nudabis, ut nihil remaneat, sicut Ludii, qui molles erant homines, omnes sibi crines velli curabant, Hesych. In voce Λυδοὶ. (a)

Act. 3. sc. 2. v. 25.

Ad focum sic adesses.

Num rectius, *sed adess.*

Ibid.

Non fissile haberes caput,

id est, non fissum.

Act. 3. sc. 5. v. 43.

Jam hosce absolutos censeas,

h. e. dimissos, eleganter.

Ibid. *cedunt*, accedunt, simplex pro composito.

Ibid. *petunt*, scil alii.

Ibid. v. 56. *etium ipsus*, maritus.

IN CAPTIVOS:

Act. 1. sc. 2. v. 15.

Ita ut dicis, num ne faxis, te in caveam dabo.

Recte Lamb. *nam ne faxis. Ita ut dicis.* Modus loquendi Plauto perfamiliaris: & significat, Tu recte dicis nam ne fugias, ego te in caveam conjiciam.

V. 74.

Ne perpauxillum modo.

forte: *pernæ pauxillum modo*, ut & quæ sequuntur, innuere satis videntur.

Act. 2. sc. 1. v. 5.

. . . quæ ex herili imperio ingeniis vestris lenem reddere.

Leg.

Eamq; & herile imperium ing. v. lene reddere. (b)

Al.

(a) Pressius de *Ludis* Brant., quos idem Taubman. ita describit: = *Ludii*, adolescentes erant tunicułas induti insignes, galeati & ensiferi, peltatique; qui omnibus Circensibus & theatralibus pompis in versum incedebant, ipsis velut pompæ duces Saliis similes. *Ludii* ex eo vocati, quod a Lydis hoc genus ludicri inventum videretur. Siqui eorum igitur essent grandiusculi & jam vesticipes, vellebantur, glabrique reddebantur. Turn. lib. 6. 26. e Dion. Halicarnass. V. N. Curc. 1. 2. In MSS. Cam. & Pall. quinque & Lang. l. *Lydius est.* quod probat Grut.

(b) Ad lectionem quam Brant. explodit proprius accedit Taubman., cujus auctoritate sic vers. legitur:

Eamque herili Imperio ingeniis vestris lenem reddere,

subditurque lectioni explicatio ipsius Taubman. = Mos bonus est, lenire servitutem ingeniis vestris (*Dandi casu*) herili imperio, i. per herile imperium, hac sententia: æquum est, vos efficere bene serviendo, ut herus vester clementem se ingeniis vestris, vel in vos præbeat. Ita Lambinus, cui tamen hic locus de vitio omnino suspectus est. MS. Cam. l. *Eamque & herili*, hinc Gruterus, *Eamque ex herili imperio*. Acidalius leg. *Feramque herili imperio ing.* Servitus herili imperio dura, placidis servientium ingeniis mitigatur, vel *Feramque ingeniis ing.* A quo non dissidet illud Curtii lib. 7. *Regum Ducumque clementia non in ipsorum modo, sed etiam in illorum qui parent, ingeniis sita est. Obsequia mitigantur imperia.*

Act. 2. sc. 2. v. 40.

Genio suo ubi sacrificat.

Al.

Genia suo ubi quanda sacrificat.

Unde eliciatur facile hæc lectio:

Genia suo ubi quanda sacr.

nam *ubi quanda* non est ullibi usurpatum. (*a*)

v. 49.

Et genus & divitias meas,

hic κόμμα, non punctum.

v. 50.

Quanda patriam & libertatem perdidi.

Post, *perdidi*, punctum pone, non κόμμα: & sequatur immediate versus:

Vis hostilis cum istoc me fecit meas opes æquabiles.

Eum sequatur:

Non ergo istanc me potius quam te metuere æquum censeo.

τὸ *erga*, pro *ego*.

Act. 3 sc. 4. v. 29.

Haud vidi magis.

Ironia. Vide Muret. Var. lect. lib. 10. c. 13.

Act. 3. sc. 5. v. 31.

Facile ergo ut Acherunti clueas gloria,

ut mortuus nominis gloria sempiterna clarus sis.

Act. 4. sc. 2. v. 13.

Nam qui obstiterit, ore sistet.

scil. pugnum aut manum meam. Male Lamb.

Cadet in os, pugnis a me pulsatus.

v. 116.

Nisi mantiscinatus probe ero.

A mantica, in quam furta recondebant: vel a manu, qua auferebant, (*b*)

Act. 4. sc. 4. v. 7.

Detruncat tribus pecoribus glandia.

Per glandia, quæ sunt in cervicibus, ipsas cervices intelligit. Vid. Plin. lib. 2. cap. 37.

[*a*] *Ubi quanda* fortasse Brant. non ægre feret simul usurpari, si τὸ *Quanda* reddat cum probatis Viris aliquando: hic etiam ita Taubman. = *Quando*: = non est in MS. Langil, sed genui= num tamen esse, monet Acid. Quip= pe innui, ipsum raro sacrificare: & = si tamen aliquando, Samiis tum va= = sis uti.

[*b*] Vel hic Brant. expressius ita loquitur Taubman. = Lambinus a Græco = Μάντις, i. vates, & *cano* derivat, ad = exemplum v. *vaticinatus*; hoc sen= = su: Nisi comperieris me vera tibi = vaticinatum, etiam fuste castigato, = ita tamen, ut ambigue ad *manticam*, = i. ventrem suum alludat, &c. At *P.* = *Colvius*, Assentior, inquit, iis, qui = legunt *manticulatus*, hinc *manticu-* = *larius*, procul dubio etiam is, qui = aliena libentius contrectat, quam = sua, apud Tertul. in Apologetico. = Festus: *Manticularum usus pauperibus in nummis recondendis etiam* = *nostro seculo fuit: unde manticulari* = *dicebantur, qui furandi gratia man-* = *ticulas attrectabant*. Subjicit de= = inde exempla ex Pacuvio, quibus = docet. *Manticulari* pro dolose, ca= = pioseque agere, & furari positum = esse, quomodo & *Langlæus J. C.* = lib. 8. cap. 4. Ocii Semestr. exponit. = Sed enim *J. Grut.* affirmat, hoc = ne per somnium quidem voluisse = Auctorem: & fatue a Silvio substi= = tui *manticulatus*. Meursius *man-* = *ticinatus* omnium rectiss. censet. = ut lusum sit in voce semigræca: = ac si a Μάντις deducat *mantscinari*: = ut a *vates vaticinari*. Certe mira

IN CURCULIONEM.

ACt. 1. sc. 1. v. 9.

Tute tibi puer es lautus, luces cereum.

Sic distinguendum. Moris est, ut qui funalia vel faces ferant, præcedant dominos. Sed Phædromus, ut amatorum mos est, solus ire cupiens sibi ipsi prælucebat, facemque ferebat, hoc jocose dixit Palinurus. [a]

v. 71.

Quid antepones Veneri a jentaculo?

Nota est Veterum superstitio, qui cibos Dis offerebant, & notanda phrasis. Sic eleganter diceretur: *Anteponere quid alicui a jentaculo.*

Act. 1. sc. 2. v. 41.

Ecce autem bibit arcus, pluet credo hercle hodie.

De Iride loquitur, quæ secundum Physicos (b) ex attractis a sole vaporibus est.

Act. 2. sc. 3. v. 41.

Nolo hercle aliquid certum quam aliquid mavolo.

Per *aliquid* videtur dicere incerti quid, hoc non placet Parasito, qui petit certi quid promitti, ut pernam, porcinam, &c. Nam hæc tum in deliciis, cum perdices, pulli, & similes cupediæ vix notæ, vel raro in usu ciborum essent.

v. 72.

Quid si adeamus?

abeamus potius a foro scilicet.

Act. 3. v. 56.

Ad te orare jusserat, profecto ut faceres.

Rectius multo, *perfectum*. [c]

Act. 4. sc. 2. v. 25.

Aquam ferventem, frigidam esse, ita vos putatis leges.

Deleo, *frigidam esse*. (d)

IN

= in his varietas. MS. Cam. I. *mantiscinatus*: ut & Frising. Sambuci at = MSS. Lang. *mantissinatus*, & *mantiscinatus*. Ven. & Par. *mantscinatus*. Brix. & Ald. & vulg. *manticulatus*. Argentin. *manticivatus* = *probe hero fuisti &c.*

[a] Distinguit hic Brant., & cum illo usum distinctione constat Acidalium, interpunctione tamen aliquantulum diversa versum sic reddens:

Tute tibi puer es: lautus luces cereum.

explicat autem versum ita Salmasius: = Pueri lauti, id est, uncti tersi & = splendide vestiti prælucebant novæ = nuptæ faces. Quod hic amator = prater decorum sibi ipsi prælucere ret, dicit puerum eum sibi lautum = esse & lucere cereum, id est, facem ceream prælucere. Non aliud = quærendum.

[b] Ad meditationes Physicorum provocat Brant., nos ad Veterum superstitionem. = Credidit vetustas, = ait Turnebus, = Iridem demissis in terram cornibus aquam è fontibus haurire, hinc illud Virgilii 1. Georg. = vers. 380.

= . . . . . *& bibit ingens*
= *Arcus.*

= Propert lib. 3.

= *Purpureus pluvias cur bibit*
= *arcus aquas.*

[c] Differunt a Brant. Gronovius, ac Taubman., versusque legunt:

. . . . id te orare jusserat
Profecto ut faceres . . . .

ac τὸ *Profecto* cum profectu, & sine frustratione Taubman. interpretatur.

[d] Retinuisset equidem τὸ *Frigidam esse* Brant. Nost. si Lamb. auscultasset Plaut sensum ita explananti: = Ut = enim aquam ferventem, quandiu = fervet, nemo tangere audet: ubi = refrixit, nemo tangere dubitat: ita = leges, primum latæ, valent & metuuntur: cum tempore obsolescunt, = & negliguntur.

IN CASINAM.

PRolog. v. 53.

Si ei sit data.

Rectius, *eii*, ob rationem carminis, ut scilicet produceeretur syllaba.

Act. 2. sc. 3. v. 34.

Sed quid ais? jam domuisti animum potius, ut quod vir velit.

Sic distinguendum, vel ita, *jam domuisti animum, potius.*

v. 22. *Cana culex.* Culicea sunt canæ, ut etiam senes. (a)

Act. 3. sc. 6. v. 4.

Patriceq; amiciri;

Al.

Patriceq; amiceq;.

Unde colligas melius legi.

Patriteq; aviteq;. (b)

IN BACCHIDES.

ACt. 1. sc. 1. v. 28.

Quia istbæc lepidè sunt memoratui.

Quidam codd. rectius, *memoratu*. Ms. forte versus sit Trochaicus, & ideo retineatur vulgata lectio.

v. 30.

Bona destimulant,

quasi stimulis repellunt, abigunt, dissipant.

Act. 2 sc. 3. v. 105.

Ab ea licebit, quamvis subita sumere,

quamvit h. e quando vis, junctim scribendum est.

Act. 2. sc. 3. v. 42.

Ut Magister quasi lucerna, uncto expretus linteo, [c]

non

---

[a] Latius Brant. rem Turneb. sic declarat: = Hæc quin de Amasio sene di- = cantur e sic mihi persuadeo, *Culi- = cem* hic figurate amatorem esse, = quod, cum sua promuscide cutem = formosarum pertundant, & tan- = quam siphone sanguinem eliciant, = amore quodam earum capti esse = videantur.

[b] Lectionem Brant. notavit, verum non probavit Gronovius, qui legit:

.... Patriceque, amiceque

Patriceque nempe, ait Turneb., valet Patricie, idest Patriciorum & Nobilium in morem; cum J. Douz. deinde habet Taubman.

..... Patriceque amiciri:

= Ut significet (Olimpio) fortunas = suas supra votum fluentes superbiam = decere, eoque sibi convenientius = videri, ut gloriose ac basilice ami- = ctu composito, hero suo advorsus = incedat. Simile in Persa, act.2.5.

[c] Non adhæret Brant. Gronovius, qui versum ita restituit:

It Magister quasi laterna uncto extertus linteo.

= Nam de Lucerna, adnotat subinde, = nugæ, & non est magna mutatio *la- = terna* pro *lucerna* legere. Nam in = Longobardico charactere, quo ple- = rique veteres auctores descripti = sunt, *V* & *A* pæne similem habent = figuram, & *C* ac *T* sæpe invicem = permutantur. Laternæ erant cor- = neæ, quæ uncto linteo, quo luci- = diores essent, extergebantur. *Ex- = tertus* autem pro extersus, ut *ad- = gressut fari* apud Ennium pro ag- = gressus. item Varro apud Nonium, = *ut mangonum pueri, terti.* uncti pro = tersi. Ita hoc loco *extertus* omnino = pro *expretus*, quod nihil significat, = scribendum. Salmas. *uncto expretus*: = Vox nihili τὸ *Expretus*. Apud Fe- = stum lege: *Expertia antiqui dice- = bant, quasi extra partem habita*, = sed nec placet *extertus*, aut corne- = istæ laternæ, quæ uncto linteo ex = tergebantur. Meo judicio scripsi. = Plautus. *It Magister quasi latern. = uncto spretus linteo. Expretus* pr-

non plus sit, quàm unctum linteum lucernæ (quo olim utebantur loco fili, quo nos utimur in candelis) quod vilissimum, quid enim commuoius luteolo isto? *expretus* h. e. dispretus, contemptus.

Act. 3. sc. 3. v. 1.

Nunc experiar situe acetum tibi peracre in pectore.

Alias legitur,

Nunc experiar, situe acetum tibi cor acre in pectore.

Aut legendum *aceto*, aut vocula *cor* auferenda. (a) Pulchre de eo dici potest, qui nulla re movetur: non est illi acetum in pectore.

v. 84.

Quam me atq; illo æquum foret.

Hic *æquum* regit ablativum, ut *dignum*. Rud. Prolog. v. 47.

It leno, ut se æquum est flocci non fecit fidem.

Act. 3. sc. 6. v. 6.

PI. certo is est. MNE. is est. PI. adibo contra. MN. contollam gradum.

Rectius, ut edidit Douza.

PI. certe is est. MNE. is est, adibo contra, & contollam gradum.

h. e. simul conferam gradum, ut fieri solet, quando quis amicum in plateis obviam habet, festinat enim uterq; ad salutandum.

Act. 4. sc. 4. v. 47.

Imo si audias, quæ dicta dixit me adversum tibi.

h. e. quæ dixit mihi de te.

Act. 4. sc 9. vers. 52.

Coempsionalem senem.

Lego *comitialem*. quia senes in comitio solent versari. [b]

Act. 5.

= *Spretus*, ut passim *expecto* pro *spe-*
= *cto*, apud Ciceronem, 1. familiar 4.
= *cum pulcerrime extaremus* quidam
= codices: quod nihil aliud vult, quam
= librarios nonnunquam hic solitos
= scribere pro *staremus*. Laternæ
= linteo obductæ meminit Cicero lib.
= 4. ad Attic. ep. 3. *paucis pannosis*
= *linea laterna*. Id linteum oleo ta-
= ctum fuisse credibile est, & sic lu-
= cem transmisisse, ut hodieque pas-
= sim in Italia, quæ fenestris obdu-
= cuntur. *Magister spretus*, irrisus
= & contemtus, *it uncto linteo*. hoc
= est, emplastro vel fomento fissorum
= curandorum gratia caput oblitus,
= *quasi laterna*, cui & ipsi linteum
= unctum prætenditur.

[a] Explodit cum Brant. τὸ *cor* & ipse Taubman., sic postea differens: = Per-
= acre ita Gruterus. *Peracre* ut ali-
= bi *periratus*, *perbonus*, *pergraphi-*
= *cus*, *persolat*: & *peracescit*, hac
= eadem Fab. act. 5. 1. Lambinus leg.
= *sit ne aceto tibi cor acre in p.* quod
= probat Dousa, atque hanc allego-
= riam ita construit: *Sitne in pectore*
= *cor acre aceto*, i. senilis ac maturi
= judicii acrimonia justaque in rebus
= flagitiosis indignatione, eodemque
= acccommodat Ausonii illud:
= *Scillito decies si cor purgeris*
= *aceto*,
= *Anticipesque tuo Samii Lucu-*
= *monis acumen.*
= I. Si ingenii tui acrimonia ipsius
= Samii Lucumonis acumen superes.
= At H. Stephanus illud, *Cor acre*
= inducit, satis audacter.

[b] *Comitialem* una cum Brant. in plerisque Codicib reperiri Taubman affirmat, qui tamen *Coemtionalem* legit inquiens esse *Coemtionalem senem*: = Se-
= nem plane utilem, & hic etiam Gro-
= novius. ad coemptiones faciendas.
= Et *Senem Coemptionalem* dixit ad
= commendationem senis, quasi man-
= cipii venalis: facete & urbane: I.
= Cur autem senes adhiberentur in
= coemptionibus faciendis, docet
= Turneb. l. 1. 28. ubi *senes c.* vocari
= ait, qui ad coemptiones libenter
= accedunt, & libenter emunt. Vide
= Cic. Epist. lib. 7. 29. Fam. & quæ
= ibi annotarunt P. Manutius, &
= D. Godofredus. De *Senibus coem-*
= *ptionalibus* legatur etiam Cic. pro
= Murena, & Livius l. 3. sub finem:
= item Hotoman. De ritu Nupt. cap.
= 25. quæ propria huic loco.

Act. 5. sc. 2. v. 11.
Sunt minæ ambæ.
Al. *thymianæ*. Rectius: *minianæ*. h. e. glabræ, vel forte alludit ad minas, quibus senes erant emuncti. [a]

IN MOSTELLARIAM.

ACt. 1. sc. 1. v. 62.
Saginam cædit. [b]
In Douzana ed. *saginam cedite*. absq. diphthongo, h. e. concedite.

IN RUDENTEM.

PRolog. v. 65.
increpui hibernum.
h. e. hiberne: adverbialiter, quasi dicat: insonui horrendum.
v. ultimo,
Valete ut hostes vestri diffidant sibi.
Auditoribus & spectatoribus hoc dicit, quia Romani proni ad bellum erant, ideo hostibus mala imprecatur.
Act. 1. sc. 2. v. 37.

[a] Pauca de more Brant. pluribus ita Taubman „ in MS. pr. *thimiame*, sec. *thimame*. Vulgati *Thymianæ*: ad quod Turneb. A thymo, inquit, dici videntur. Nam in Narbonensi Gallia lapidei campi thymo abundabant, eoque infinita pecudum millia conveniebant. *Thymanæ* tamen hic malæ erunt, credo propter longinquitatem viæ macrescentes. Camerarius utriusque linguæ hodie princeps, *thymiamæ* se reperisse scribit: de qua voce oraculum Apollinis consulendum: nisi thymum amantes explices, &c. Hæc Turnebus lib. 24. 11. Lambinus defendit *thymiamæ*: & est, inquit, *thimiama*, suffimentum & odor incensus ex aliquo aromate, quæ autem incenduntur, arida sint necesse est Hos senes igitur significat ita esse macros atque aridos, ut thymiatis usum præbere, si incendantur, possint. J. Palmerius Spicileg. reponit; *vetulæ sunt, Thynæ, minæ*. Cum enim, inquit, altera quæsivisset. Ecquid putet ter anno eas oves tonderi: quoniam toties Græciæ oves tondebantur: tum reliqua, quod, inquit, tu generis Græci illas esse arbitreris, *Thynæ* sunt, & amplius etiam, *minæ*, *Thynæ*, sunt *Bithynæ*: quomodo *thynas merces* legimus: & *Thynia*, *Bithynia* apud Catullum. *Minas* autem *oves* esse, glabras. de Varrone notum. Turnebus hoc loco emendando plus decem pondo autoritatis amisisse videri potest. De Lambino ne dicam: qui nusquam magis Lambinus est. Hæc ille. Colerus simpliciter, *minæ ambæ*, i. glabræ, Varro lib. 2. cap. 2. Ego nunc etiam cum Camerario dixerim: Quid sit quæramus.

[b] Secus atque plures alii sentit hic Brant. Audiendus est Taubman. „ Turneb. lib. 14. 2. *Frondem cædere*, apud Catonem est, eam colligere: & quia fronde saginabatur pecus, existimo Plautum per translationem dixisse, *saginam cædite*, pro dapibus saginamini. Symmachus: *Non deerit, qua famem pellant, nam comitibus vestris, utpote sobriis, cædundæ saginæ curæ posterior est.* Schoppius, Dixi, inquit, & dico, *Saginam* pro loco accipi, in quibus animalia, pisces, feræ, alia saginantur, & ad victum reservantur, quod aliter *vivarium* dicitur, eadem Fabula, sc. 3.

Et quem tu hic hominem crispum incanum videris.

Lambinus *incanum*, valde, canum interpretatur. [a] Equidem minus esse quam canum putem.

Ibid. v. 33.

Dabitur opera atque in Negotio.

h. e. vacabo tibi, vel tum cum occupatus fuero.

Act. 1. sc. 3. v. 26.

Nec cibo nec loco tecta quo sim scio.

h. e. protecta.

Act. 1. sc. 4. v. 20. [b]

Sed vivere expecto te. PA. mihi es aemula.

h. e. ego non minus desidero, quam tu: tu me imitaris.

Act. 1. sc. 5. v. 4.

Patronam efequuntur.

h.e. prosequuntur, sequuntur.

Act. 2. sc. 3. v. 33.

Credo hercle ab Anthaeo datum.

In aliis rectius: *Credo hercle Anancaeo datum*, ab ἀναγκαῖον, quia non voluntaria illa pocula, sed necessaria. (c)

Act. 2. sc. 4. v. 40.

Jactatae exemplis plurimis,

h. e. cruciatu, poena multiplici

v. 24.

Quam-

= *Diesque noctesque estur, bibi-*
= *tur, nec quisquam parsimo-*
= *niam adhibet.*
= *Sagina plane est.* Q. d. Hae aedes
= sunt quaedam velut vivaria, in
= quibus saginantur homines. Ita
= quoque accipio versum Trin.
= act. 3. 2. *Aut aliquem apud re-*
= *gem in saginam hero se conjecerit*
= *meus*. Ut nimirum dicat servus,
= herum suum ex inopia parasitum
= futurum, seque apud *regem* ali-
= quem (sic enim dicebantur homi-
= nes lauti, qui parasitos alebant)
= probe saginaturum. Interpretes
= nollem tam frustra fuissent in lo-
= ci illius explanatione. Postea *Sa-*
= *ginae* dicuntur ipsa animalia, quae
= in sagina vel vivario pascuntur:
= sicut multa talia apud Latinos
= scriptores. jam ergo claret, quid
= sit *saginam caedere*, nimirum ma-
= ctate assidue boves, oves, alia-
= que id genus animalia in saginam
= data, &c. Lambinus in omnibus
= suis Interpretamentis
= *Magnopere a vera lapsus ratio-*
= *ne videtur.*
= Haec ille in Suspect. lib. 5. ep. 9.
= Idem in Spicilegio, ad illa Phae-
= dri: *Frondem bubulcus affert*: no-
= tat: Frundibus enim boves sagi-
= nabantur Horat. 1. Ep. 14.
= . . . . *& urges*
= *Jampridem non tacta ligonibus*
= *arva, bovemque*
= *Devinctum curas, & strictis*
= *frundibus exples.*
= Sic paullo post (in Phaedro) he-
= rus objurgans rusticos, quod pa-
= rum curent boves; *Cur frundis*
= *parum est?*

(a) Productus a Brant. Lamb. sequitur fortasse Charisium exponentem *Incanum* pro *valde Cano*, vel simpliciter *Cano*. Plaut. vero versum, unde vocabulum hoc desumitur legunt plerique

Ecquem tu hic hominem crispum,
incanum videris.

(b) Vitiosus ex nonnullis hic Brant. legunt alii.

Sed videre expeto te. Pa. mihi
es aemula.

(c) Una hic cum Brant. Casaub. vel alluditur *ad sorbitionem cicutae necessariam, & fatalem fontibus in Graeciae aliquot Urbibus, vel ad haustum illum e flumine lethaeo, qui nemini mortalium non est necessarius.*

Quamvis fastidiosus ædilis est.
h. e. valde, tam fastidiosus quam vis.

Act. 2. sc. 4. v. 5.

Item ut affectam.
affectus præferam, ut sit verbum.

v. 9.

Subvolturium.
h. g. subnigrum, subfuscum, qnod Cyrenis, ubi hæc contingerunt.

v. 10.

Tum quæ indoles in savio est?
h e. suavio, & accipitur pro ore, (a) sic *Osculum* significat os: & osculum, quod ori datur.

Act. 2. sc. 6. v. 59.

Jam postulabas.
censebas, cogitabas.

Act. 3. sc. 5. v. 46.

Apage controversia est.
Hæc quidem Palæstra, quæ respondit, non mea est.
Leg. *absq. controversia est:*
Hæc quidem Palestra, quæ respondit, non mea est. (b)
Ut sit sensus: Absque controversia hæc Palæstra [mulier scil.] mea est, non autem mea est, quæ respondit. h. e. lorarius, qui tunc erat lenonis palestra. h. e. exercitium, quique eum exercebat. Ut sæpe *flagrygimnasium*.

Act. 3 sc. 3. v. 8.

Qui scelestus sacerdotem anum præcipes.
Al. *præcipem*. h. e. præcipitem. Sic enim antiqui proferebant in nominativo, *præcipes*, & sic deinceps. Livius in Ione: *seq. in alta maria præcipem*. h. e. præcipe casu, &c.

Act. 4. sc. 2. v. 8.

Neque piscium ullam unciam hodie
Pondo cepi.
τὸ pondo est quasi genitivi casus. Ejusmodi phrasis crebra quoque apud Livium: *unciam libræ*.

Act. 5. sc. 2. v. 45.

Venus hæc volo arroget te.
h. e. accede ad aram Veneris, seu statuam, ut ipsa quodammodo te roget, nam *arroget* idem quod *abroget*. Sic veteres jurabant tangendo statuas.

v. 3.

Os calet tibi, nunc git frigefactus.
Leg. *nunc id frigidefactas*. (c) Sensus est: Tu valde id petis, & tamen non satis offers.

(a) Quin & addendi Brant. alii complures, qui *Saavia* non de ore simpliciter, verum de labiis pronuntiant, quæ oris sunt Opercula, & extremitates: Adeundi hac in re potissimum Gronovius, & Taubman, Mil. Glorios. Act. II. Sc. I. v. XV.
Itaque hic Meretrices labiis dum ductant eum.
Majorem partem videas valgis suavils.

(b) Atqui contra Brant nihil hic esse mutandum ait Gruter. ex Carrione, *nam dicit ludi se ambiguitate vocis Palestræ. Sm. Epid. Act. II. Sc. II. v. CXII*
.........nihil in ea re captio est.

(c) Junge hic etiam cum Brant. Taubman. hæc habentem. = Camer. = edidit:
= *GR. os calet tibi: nunc id fri-*
= *gidefactas.*
= Lamb. *linguam frigidefactas*. At
= vetere, inquit Gulielm. omnium
= vulgatorum codicum scriptura
= nihil erat sincerius: *num git fri-*
= *gidefactas?* Git, μελάνθιον est: ut
= auctores sunt Charisius & Glosso-
= graphi veteres: ex eo pulmentum
= calidum conficiebant, quod in

offers. Quæ enim valde petimus, ad ea dicimur adspirare, anhelare. Ideo *os calet tibi*. Idem fere in Pœnulo.

IN STICHUM.

ACt. 1. sc. 3. v. 40.

Atq; ut faciam præconis compendium.

h. e. ut ipse præconis partes agam.

Act. 2. sc. 2. v. 50.

Quas tu vides colubras?

h. e. anguillas.

Act. 3. sc. 1. v. 32.

Nisi probe excruciavero.

scil. diem hunc: Metaph. ab iis, qui hostes deditos inclementer habent. Horat. lib. 2. Od 7.

Cum quo morantem sæpe diem mero
Fregi.

Act. 5. sc. 4. v. 35.

Non impedit hoc publicum.

Alii rectius:

Non hoc impendet publicum.

hoc poculum quod te bibere volo, nullum vectigal pensitabit. [a]

v. 38.

Volo ego nos pro summo bibere. (b)

Al.

ore frigefacere Labracem Gripus ait, ne amburat guttur. Hæc I. Gulielm. cui favent & MSS. Cant. in quibus, *nungit frigefactas*. Alciatus leg *nunc git frigefactas*: cum hac annotatione: Apparet, Proverbialiter dici in eos, qui trepide admodum, & summis dumtaxat labiis al quid loquuntur, & parce promittunt, etenim hi ore contracto, proinde ac si refrigerare buccæ injectam calentem offulam velint, deformantur. Est autem *git*, frutex, quem Latini *Nigellam* vocant: gustu similis piperi. Ausonius:

Est inter fruges morsu piper
æquiparans git.

Parerg. lib. 6. c. 3. & in Lexico Plautino. Acldaitus quanquam malit, *os calet tibi*, *nunc id frigef.* tamen alterum non damnat, ut dicat Gripus: Os calet tibi, an ergo calidum pulmentum e *git* comedisti, quod frigefacias? Etsi eo amplius non ad pulmenti tantum calorem, sed ipsius etiam *git*, acrimoniam peculiarem alludi potest.

[a] Affert hic Brant. verba Lamb. cum Lamb. ait Gronovius: Acidalius legit:

Non impedit hoc publicum:

quia in publico convivium agitatur, in propatulo tibicinem bibere juberi, eoque ipso nihil debere impediri. Gruterus: in eo non sunt sitæ fortunæ publicæ. accessit postremus, qui alia suis adferunt, aliena a Plauti mente scribere præfatus. Quæ ista? *Hoc publicum*, inquit, est, Hæc res publica: & sententia omnis. Hujus reipublicæ onus tibi non imminet aut incumbit. Ego autem eodem ordine hæc habeo, quo priora, dixisse autem Plautum puto: *Noc hoc* quod sumti facimus, quodque tu in poculo sumes, *impendet*, erogabit, *publicum*: non respublica gravabitur hac impensa: non ærario aut rebus populi dedecet hic sumtus. ut sine metu peculatus capere possis. Quod sequitur: *Haud tuum istuc est te vereri*; non decet neque personam neque ordinem tuum, qui tibicen es genus merob bum & multibibum, verecundari ad sumenda pocula.

[b] Una cum Brant. adducendus est Salmas. inquiens: Hic sensus est

Al. *nilo*. *Pro summo*, valet ad summum modum. Cæsar lib. 1. de bello Gall. *nondum pro sano facturum*, h. e. sane.

Ibid.

Nulla rei eramus postea. [a]

Proba lectio.

Act. 5. sc. 7. v. 4.

Nunc omnis voco cinædos contra satis;

Non improbanda vulgata lectio: [b]

Cinædos contra

Staticulis stare nobis non magis.

Staticuli sunt, quos vulgo vocant *statarios*, seu *non motorios* in saltando;

Ibid.

Quam fungo imber.

Inquirendum, an fungus pluma gaudeat, nec ne.

IN TRINUMMUM.

ACt. 2. sc. 3. v. 6.

Setius nihilo facit.

Alias, *factius*, (c) & rectius, ut sit sensus: nihilo plus agit, nihil magis reddit effectum.

Act. 3. sc. 2. v. 3.

Gloriæ aut famæ.

Lambin.

Gloriam aut famam.

Placet vulgata lectio, ut ad rem referatur,

v. 22.

Tuisq; stultis moribus

Præoptavisti, amorem.

Rectius cum puncto post *moribus*, nullo commate post *præoptavisti*;

v. 31.

Sciebam ut esse me deceret.

Potius, *scibam*.

v. 39.

Imperitum tuum ingenium.

Potius, *impeditum*.

v. 49.

Si istuc ut facis indiciam. conare, tuum incendes genus.

= hujus loci. Nolo ego nos quasi = ultimum, & non amplius postea = bibituros, bibere. Sic nulli re- = leverimus, & quamvis de subito = cadus verti potest, immanibus = istis poculis, quæ tanquam extre- = ma hauriuntur.

[a] Contra ac Brant. communius legunt Auctores:

......Nulli relevimus postea.

ac *Relevimus*, inquit hic Jo: Bapt. Pius: *Aperiemus vas vinarium, & reoperculabimus post hunc Scyphum, a Relino verbo, quod relevi facit ut lino levi, patientis ordine litum*, *Mar. Lib.IV. Georg.V.XCIX.*

.... Et paribus lita corpora guttis.

[b] Parum a Nostr. Brant. Turnebi abfimilis legit.

.....Cinædus contra

(Staticulis stare nobis non magis potis est, quam fungus imbri.)

enervemque inde, *fractumque*, *& velut exortem tripudiatorem, eo nomine credit intelligi*, Cæterum multi multa, nec vulgatæ lectionis Operi inter commentariorum diversitatem ad Plauti mentem facilis est aditus.

[c] Cohærent hic Brant. & Gronovius, quo teste comperimus: = Sic habet

In Douziana edit.

Siistuc ut conare facis indicium.

Leg. commate, (a) post,

Facis, invitium tuum incendet genus
Tum igitur aqua tibi erit cupido.

Rectius, *aquæ*, ut sit sensus: ardebis infamia, & ad restinguendum incendium, clamabis aquam, h. e. cupies ignobilis esse.

v. 51.

Proinde ut corde amantes sunt cati,

rectius *capti*. (b)

v. 98.

Et capturum spolia, sibi illum,

non

= re, MS. non *sequius*, non *fatius*,
= sed raptant invicem, quia de signi-
= ficatu vocabuli altum taceatur: &
= sic defunguntur, vocem esse pla-
= ne fictitiam a faciendo. Hoc ne-
= minem opinor fugiebat. *Facius*
= igitur est magis factum, ut alibi
= *confessiorem* dicit pro magis con-
= fesso, hac fabula *occlusiorem stul-*
= *tiloquentiam*: ut Cicero civita-
= tem *confi. sentissim am litterarum*:
= Petronius *excessissima palma pal-*
= *fare*. Plenius foret: *factius nihil*
= *facit*, id est, nihil magis reddit
= curatum & explicatum, nihil ma-
= gis expedit, quam si concederet
= liberis, nec semper eorum volu-
= ptati repugnaret. Et sic scripsisse
= Plautum crediderim. Etsi potest
= & explicari alterum. Qui semper
= adversatus liberorum voluntati,
= nugas agit, facit, redditque *fa-*
= *ctum magis nihilo*, id est, magis
= nihilum quam nihil. Contra ve-
ro *Secius* legit Taubman. videndus;
cum adnotationibus in hunc locum,
tum in Cistell. Act. IV. sc. 2. v. 24.
ubi rem multis expendit.

[a] Ita cum Brant. Veteres libr., & in
hunc locum Taubman. = Pistori le-
= ctio hæc Acid. perplacet:
= *Siistuc ut facis indicium, cona-*
= *re, i. inc. g.*
= hoc sensu: Si illud, quod factu-
= rum te dicis, facies; (i. si agrum
= vendes) *tuum in endet genus*, i.
= familiam tuam totam ad extre-
= mam miseriam rediges, quasi
= igne consumpta sit. Mox pœni-
= tebit, & remedium aliquod affer-
= re cupies, (hoc est, *Tum igitur ti-*
= *bi aquæ erit cupido*, ut rectissime
= leg. Douza,) ut familiam tuam
= quasi ardentem *restinguas* (i. cu-
= pies hinc abire exulatum. *Atque*
= *si erit natius*, (si ex voto abieris)
= quæ amatorum prudentia est, eo
= remedio sublato. Hanc parœmiam
= Lysiteles infra explicat v. 72. ibi:
= *Scio equidem te animatus &c.*
= Quæ Scaliger affert, hic alienissi-
= ma sunt, qui haud dubie ingenii
= excellentia confisus locum inte-
= grum non inspexit. *Hæc ille.*
= Sane in MSS. Cam. & omnibus
= quotquot ego excussi. etsi verba
= hoc ordine concipiuntur, *Si istuc*
= *ut conare facis &c.* tamen illud
= etiam expresse legitur, *indicium*;
= pro quo tamen Lambinus substi-
= tutum ibat *incendium*, perperam.
= Scaligeri scholion, etsi forte alie-
= num, quia tamen per se eruditum
= superaddam. Sic igitur ille: *IN-*
= *CENDERE locum*, veteres di-
= cebant, pro *celebriorem reddere*,
= ut apud Varronem, *Incendere an-*
= *nonam*. Plaut. Trin.
= *Si istuc, ut conare, facis indi-*
= *cium, tuum incendet genus.*
= Similiter Augustus Cæsar: *Nos fo-*
= *rum alcatoribus excalfecimus.*
= Corn. Severus in Ætna:
= *Nunc opus artificem incendit*,
= i. admirabiliorem reddit, ut caus-
= sæ accuratius exquirantur.

[b] Quin contra Brant. Cati legit Vos-
sius inquiens: = Putabat Alciatus
= *catus*, extrito P. olurpasse Plau-
= tum hoc loco, pro *captus*, metri
= causa, quod minime verum pu-
= tem. Quum non aliter *catum* hic
= dixerit Plautus, quam in Epidi-
= co *consilium catum*, aut Ennius,

non del et esse comma post *spolia*. (a)
Ibid.
Qui meo hero adversus venerit,
quia herus meus abjiciet arma.
v. 99.
Quom extemplo.
Leg. *quam extemplo*, loquitur serviliter & plebeje, ad excitandum risum.
Sagittas, hoc pro militia Græcanica.
Act. 3. sc. 3. v. 33.
Malim hercle ut verum dicat, quam ut det mutuum.
Rectius: *quam ut mutet fidet*. (b) Sensus: Malim te vere posse pecuniam negare, quam ut fallas fidem. Sæpe veteres *mutet* pro *mutetur*.
v. 37.
Quasi sit peregrinus.
Melius, *quasi is fiat, peregrinus*. (c)
v. 53.
Hoc ubi thesaurum effoderit.
Comma post *hoc*: ut alii.
v. 66.
In hujusmodi negotio
Diem sermone terere.
Recte absque commate post *negotio*, & puncto post, *infectasque esse*: ut alii.
Act. 4. sc. 1. v. 1.
Salsipotenti.
Nusquam ego quidem apud Poetas *salsum* pro mari legi. Unde potius leg. *Salsipotenti*, vel *Salspotenti*.
Ibid. &
Nereo Neptuno.
Bene Lamb. *Neptuno*. *&* *Nereo*. [d] Nereus filius Oceani & Terræ.
v. 3.
Quos penes mei potestas boni namque foret.
Douziana Edit.
Mei potestas boni nusquam foret.

Mei

= *cata dicta*, quæ Varro interpre-
= tatur *acuta*. Unde & *Catonis* no-
= men factum.

[a] Recte Comma expungitur, Librarii autem incuria Plaut. hic forte vitiatum, suæ lectioni sic reddimus:
Et capturum spolia ibi illum, qui
meo hero adversus venerit.

[b] Consentiunt aliqua ex parte inter se Brant., & Jo: Bapt. Pius hic Plautum legens:
...... Malim hercle ut verum
Dicas, quam fides mutetur.
exponensque subinde: *Profecto malim te verum dicere, quod mutuam pecuniam non inveniam, quam fides mutetur, hoc est quam a Lesbonico, sive Charmide demum non reddatur id argentum, quod ego ex utilitate sua mutuum acceperim, & nomen fidei mutetur, ut demum perfidia vocetur.*

[c] Adversus Brant. communior est lectio penes Auctores:
Quasi sit peregrinus.

[d] Diligentior Brant Taubm. advertit *Et Nerei Neptuni* haberi in MSS. & editione Cam. = at ex Lamb. postea sequitur, = ex conjectura legitur *Ne-*
= *ptuno, Nereo*. Quem quidem locum
= cum mihi constitui a Grutero per
= litteras rogassem, respondit: Non
= possum. Et quid ineptius quam
= abire a consensu MSS. mallem ha-
= beri
= *Signum naso auriculisque mi-*
= *nutum*,
= quam interpolatum alterius arti-
= ficis manu.

Mei potestas boni, hoc est, meorum bonorum meisque, hoc est mei, antique, nec mutandus hic locus. [a]

v. 7.

v. 7.

Contra opera expertus;

sub. *ego*.

v. 9.

Et nobiles apud homines;

leg. *nobilem*.

Act. 4. sc. 2. v. 30.

Census cum sum, juratori recte rationem dedi.

Edit. Douz. *census conjuratori*: quia ille censum sub juramento accipiebat. Legend. *autem rationem dedit*. [b] Sensus est: Nisi Charmides fefellerit censorem. In tabulis Censorum scribebantur omnium census, & ex iis poterat quisque scire census & facultates hominum.

v. 74.

Nisi nomen patris

Dicet.

Græci distinguebantur paternis, nominibus, ut hodie Hollandi: ut Socrates Sophronisci.

v. 81.

Si appellasset, respondisset nomine.

Leg. *nomini*. Alludit ad delectum militarem.

v. 94.

Tax.

Malim quod in aliis est *Pax*. Et ubique postea hoc scilicet est breve illud nomen: Verius dixisset, *Harpax*.

Act. 4. sc. 3. v. 31.

Magis sunt obnoxiosi, quam parentes liberis.

Perversus hic sensus, nisi *obnoxiosi* interpretemur, imperiosi, vel imperitantes,

quod

---

[a] Ad hunc locum a Brant. allatum Taubman. ait: = Monstra lectionum = hic finxerunt: quæ formare conati sunt Lamb. Heraldus, Meursius, alii: Ego I. Is. Pontani divinationem interim secutus sum, = dum melior Phœbus oriatur Nam, = *bonum*, inquit ille, unitatis numero, pro peculio & rebus, Plauti genuinum est. Deinde solet in = ejusmodi casu censeri semper ac = notari ipsa potissimum navis, ut = cardo videlicet discriminis omnis = aut salutis. Ita Virgil. *aqua involvens navemq. virosque* &c. MSS. = Cam.

= *Quo p. me potestas bonis mis.*
= *quid foret, & mea vitæ.*

= at secundus:

= *Qui penet me potestat bonismis*
= *quid foret & meæ vitæ*.

= D. Heraldus tuetur *mis*, genitivum = *τὸ ego*.

[b] Magis quam Brant. hic Plautum dilucide pluribus exponit Gronovius inquit enim: = Lego:

= *Census sum, juratori recte ra-*
= *tionem dedi*.

= Per *juratorem* autem intellige, = apud quem peregrini in portibus & nomina, & patriam, & negotia profiteri cogebantur. Ita = dictus est, quod & ipse juramento = fidem suam Respub. obstringeret, qui alios sub juramento = censeret. Neque aliud hic quærendum. Placuit conjectura Boxhornii, legentis, *Census sum*, = *juratori recte rationem dedi*. Alioquin ferri etiam potest quod habent scripti codices; *Census cum* = *juratori recte rationem dedi*. Vox = *conjurator* plane mendosa est. = *Salmas. Census cum juratori*. *Juratorem* esse ipsissimum Censorem, = per intellectum verbi substantivi, = docuimus 4. Observ. 3.

quod tamen nusquam in ea significatione usurpatur. Sed melius legatur: *melius queis sunt obnoxiosæ*, (a) scil. leges, h. e. obedientes, quam parentibus liberi.

v. 51.

Potius quam id quod proximum est, meo tergo lateam geram. (b)

Comma post *proximum est*: non post, *tergo*.

v. 72.

Ubinam ego alibi censeam.

Melius, *ergo*. (c)

Act. 4. sc. 4. v. 6.

Omnia istæc tibi, si ita est, ut prædicas, credo.

Credo auferatur melius. (d) Et sensus est: Omnia istæc tibi evenisse gaudeo. Si deles *omnia*, pronunciandum sine elisione ultimæ syllabæ.

v. 20.

Quamquam labores multos. (e)

Totum hoc deleatur, & ejus loco ponatur ultimus versus: *Ob rem*, &c.

---

[a] *Obnoxiosi* retinet contra Brant. Taubman., ac versum legit:

Magis quia sunt Obnoxiosi, quam parentes liberi.

explicatque deinceps latius de moribus, non vero de Legibus: „Quibus Legibus mores sunt magis obnoxiosi, id est, dominantes & imperiosi, quam parentes liberis. Obnoxiosi enim, qui alios sibi obnoxios habere volunt. Atque ita quidem Lambinus, contra quem Acid. plane explicat: atque *Obnoxiosus*, inquit, e diverso prorsus, multum est obnoxius. Ibique pervetti jura omnia Servus queritur: & præter alia, leges a moribus jam in suam potestatem perductas; cum ipsi contra legibus obnoxii esse debeant magis, quam hodie sint parentes liberis suis, qui itidem parentibus esse potius debeant. Ita duplex est incusatio, illæc directa in mores; hæc obliqua in liberos: quæ occultior fefellit hactenus: sed quo occultior, eo acrior est, & ex transverso vehementius mordet. Utrumque contra naturam est; Leges moribus, parentes liberis obnoxios esse. Quem sensum invidit usurpatio vocis ejus, aut potius reliqua loquendi forma duplex, semel enim de jure, ut vocant, accipitur; iterum de facto: & prius in mores, alterum in parentes dictum, &c. Vide Stich. act. 3. 2. MSS. Cam. leg.

„*Magis qui sunt obnoxiosi, quam parentes liberi.*

„At vett. edd. quas vidi, omnes legunt *obnoxii*. Etiam H. Stephanus, in De Plauti Latinitate, p. 389. istam vocem (*obnoxiosi*) miram sibi & insolentem ait videri; cum præsertim in edit. prioribus non habeatur: sed nuper (ut quidem ipsi videbatur) in *Plautinum fontem omnium pulcherrimum* irrepserit.

(b) Mendosus hic forte est Brant. Codex, sicque legendus est Plaut.

Potius quam id quod proximum est, meo tergo tutelam geram.

jocose scilicet, ait hic Taubman., ita supra:

.... Ecquis foribus tutelam gerit.

ita & alibi.

[c] Verum adversus Brant. τὸ *Ego* retinent Codices emendatiores.

[d] Vel hic τὸ *Credo* quod Brant. explodit, a plerisque non expungitur, legiturque versus correctior:

Credo omnia istæc tibi, si ita sit ut prædicas.

[e] *Reliqua desunt in MS.* ait hic Taubman., *quibus & numeri, & sententia absolvatur. In exemplis vulgatis confusione omnia corrupta sunt.* Conatus est autem Plaut. ita redintegrare Lamb.

Quamquam labores multos ipse pertuli.

vere, an fallaciter non dixerimus; unum tantum asserimus in Taubman. Cod. Plautino nulla imminutione deinde sequi:

Sed hic unus, ut ego suspicor, servat Fidem.

quamobrem judicet doctus Lector de Brant. Nostr. qui post versum:

Act. 5. sc. 2. v. 28.

Di tibi dent.

Hæc dicere incipiat CH. non CA.

IN TRUCULENTUM.

ACt. 1. sc. 1. v. 63.

Damnosiorem me exinde amovit loco.

Leg. *danosiorem* a verbo antiquo *Dano*, [a] & *me* ablativo casu.

Act. 2. sc. 6. v. 4.

Et Homeronidam. (b)

Corruptus locus videtur.

Act. 2. sc. 7. v. 38.

Hujus pueri pater illic est usq; ad spectaculum.

Alii: *usque adjectaculum*. Leg. divisa voce: *ad jectaculum*, hoc est, donea puer projiciatur, & sic in Ms. Camerarii. (c)

v. 64.

Quamquam labores multos . . . . .
alium ordine postremum,
Ob rem laborem eum ego cepisse
censeo.

collocandum statim esse arbitratur.

[a] *Dano* porro Verbum antiquum, & Plautinum, eo sensu quo sumatur pro *Do*, non vero pro *Damno*: hoc sensu legitur in Plaut. Mostell. Act. 1. Sc. 2. v. 48.

Ad legionem quom itant, adminiculum eis danunt,

Tum jam aliquem Cognatum suum.

ubi Romani Parentes inducuntur a Turnebo, qui *Danunt*, videlicet juxta morem *Dant Custodes adolescentibus militataris primo stipendii anno*. At *Damnosiorem* pro *Damnosiore* non dixerimus quis usurpaverit; Brant. nostr. propterea non arbitramur præferendum Viris probatioribus, qui Plautum hic restituunt, & legunt:

Eadem, postquam alium repperit,
qui plus daret,
Damnosiorem; me exinde amovit
loco.

[b] Quem Brant. corruptum vocat locum, nitori suo reddimus ex Cod. Taubman:, aliorumque complurium

Et Homeronidæ Poetillæ mille
memorari potest.

explicatque deinceps Taubman. ipse: = ita sine dubio proxime verum Pistoris noster: *Et Homeronidæ Poetillæ m.* hoc sensu: Possunt memorari mille Poetæ (per ludibrium *Poetillas* dixit) *Homeronidæ*, = (quasi Homeri posteri & imitatores Patronymicos) qui convicti = de falsis pugnis sint. Jocus est in = Poetastros, qui exemplo Homeri = pugnas heroum scriptitabant. Al- = ciatus Parerg. l. 9. 17. & lib. 5 4. = Plautus, inquit, militem inducit, = qui Homeri poemata ad mendaces pertinere dicat:

= *Et Homeronida Poetilla de illis*
= *memorari potest.*

= Sunt autem, qui illud carmen e- = mendent,

= *Et Homericon epos & Ilias* &c.

= Verum servavit forte Plautus τὸ = πρέπον militis indocti, qui *Homeronida poetilla*, pro, *Homerico* = *poemate* barbare pronunciarit; ut = & milite Glor. & Pœnulo. Hæc = ille. Ita Tertullianus De Præscri- = ptionibus adv. Hæret. cap. 39. *Ho-* = *merocentonas* (ὁμηροκέντρωνας) *vo-* = *care solent, qui de carminibus Ho-* = *meri propria opera more* (al. *modo*) = *centonario ex multis hinc inde* = *compositis in unum farciunt corpus.* = Porro in MSS. Cam. est, *Et Ho-* = *meronidam & post illam illi m p.* In = mea Parisina,

= *Et Homeri Iliada & Odisseam*
= *illi memorari possunt.*

= *Ut memorari*, ἀρχαισμὸς sit, pro, = *memorare*.

[c] Utique, sicut ait Brant., legit hic Camerar. *Consensu* autem *omnium Ed. Vet.* habet *usque ad Jentaculum*, inquit Taubman., *Quod etsi suspectum habeo*, postea subdit, = tamen

v. 64.

Fmoriere ocius si manum injecerit.
GE. quid manum injecerim.

Al.

Si manu injeceris.
GE. quid manu nicerim?

Recte (a) *Nuo* enim verbum antiquum. Unde, *Nictus oculorum.*

Act. 4. sc. 2. v. 52

Nec mihi. [b]

Cor-

= interea assumpsi, approbatore
= etiam Lamhino: qui addit: *Jen-*
= *taculum* primus erat cibus apud
= Romanos, ut apud Græcos
= ἀκράτισμα: quem sequebatur *Pran-*
= *dium*: deinde *Vesperna*: postremo
= *Cœna*: apud Græcos ἄριστον: deinde
= ἑσπέρισμα; postremo δεῖπνον. Que-
= ritur igitur hic Phronesium, Mili-
= tem aluisse puerum usque ad jen-
= taculum duntaxat. Palmerius hunc
= locum ita refingit:

= *Qui illic apud me erat, hujus*
= *pater pueri, usque ad specta-*
= *culum;*

= *GE Hem vernam! novi homi-*
= *minem nihili.* Illa, inquit, verba:
= *jussit ali, mansi, auscultavi, ob-*
= *servavi*, a glossemate irrepserunt.
= Qui enim invenerunt, *pater pueri*
= *illic est, usque ad jentaculum*;
= (quomodo scribi etiam nihil ve-
= tat: ut significet, astrictum Mili-
= tem & tenacem, qui tenuissime
= sumptus Infanti suppeditet, sed
= alterum verio.) addiderunt de
= suo, *jussit ali*: qui, *usque ad spe-*
= *ctaculum*, repererunt; de suo in-
= serserunt, *mansi, auscultavi, ob-*
= *servavi*. Ait autem, ut solet Plau-
= tus, Militem illum tantisper esse
= pueri patrem, dum Fabula transi-
= gatur.

[a] Recta quidem est pluribus hic le-
ctio Brant. cui tamen vel alii plures
adversantur: = MSS. Cam. (ait
= Taubman.) & vett. edit. plerique
= *viceris*. Scalig. In Conject. leg.

= *..... moriere ocius, si viam im-*
= *biteris.*
= *GE. Quid? viam imbiterim?*
= *ST. facq.*

= V. N. Epid. & Capt. act. 3. 5.
= Meursius probat, quod est in Pa-
= ris. *Si manum injeceris. GE. Quid*
= *manum injecerim?* At Palmer. hæc
= ita legit & distinguit:

= *.... emoriere cocio, si in manum*
= *biteris.*
= *GE. Quid manum biterim? ST.*
= *vah, quo ivisti? mane: jam*
= *ego te heic*
= *Off. GE. occidi oppido: captio est.*

= Vocabulum *cocionis* contumelio-
= sum V. N. Asin. act. 1. 3. & Mil.
= act. 3. 2. Et hoc quidem quid sit,
= *ire, venire, bitere in manum*, scho-
= læ sciunt. Sallustius ita: *Cupere*
= *prælium in manibus facere*. Virg.
= Martem in manibus esse:

= *In manibus Mars ipse, viri &c.*

[b] Vitiatum ex Brant Nostr. Plautum
legit hic Taumban.

= *Nec mihi adest billum pensi jam,*
= *quo copiem calceos.*

= Vide Spicileg. pag. 91. & supra.
= Isacius Casaubonus Com. in Theo-
= phr. Charact. hunc versum ita le-
= git:

= *Nec mihi adest tantillum pensi*
= *jam* &c.

= Non rusticitatis tantum, sed e-
= tiam impudentiæ nota est, calceis
= inconcinius uti. Vide Agell. libr.
= 13. cap. 20. Jam, quibus male la-
= xus calceus hærebat in pede, dici
= soliti sunt, *natare in soccis*. Ovid.
= Amoribus:

= *Nec vagus in laxa pes tibi pelle*
= *natet.*

= Sidonius:

= *Laxo pes natet altus in cothurno.*

= Div. Hieronym. *si pes laxa pella*
= *non folleat*. Sane & Gruterus e
= MSS. Cam. conjecerat, *Nec m.*
= *adest tantillum &c.* Tamen Aci-
= dal. negat istud Casauboni de cal-
= ceis hic convenire: legitque,

= *Nec mihi adeo est billum pensi,*
= *quos calces ciam.*

Corruptus hic versus videtur, & propterea in eo restituendo, vel saltem quoad fieri potest commode explanando dilucidandoque, opera, & ingenio vel est nobis adlaborandum, vel fautores Plauti interpretes hoc in loco adeundi, & audiendi.



DOMI-

= Queritur se ad incitas redactum: = quod omnia perfuderit V. N. = Trin. Act. 2. 4. *Hillum pensi* est = nihil pensi *Hillum* res nihili = quæ luculenter omnia collegimus, ut probatissimorum Virorum ex mente, sublata brevitate, Plautus fusius declaratus Lectores delectet.

DOMITII CALDERINI OBSERVATIONES.

Video, *A* præpositionem, cum in multas variasque significationes pateat, eleganter usurpari a M. Tullio Cicerone, vel cum inter partes dissidentes alterutri addictos ac propugnatores significare vult, vel cum in servis munus operamque discernit. Superioris usus unum exemplum satis erit, in Bruto ipse hæc: *Nec vero, M. Cæcilium prætereundum arbitror, quæcumque ejus in exitu, vel forma, vel mens fuit, qui quandiu auctoritati meæ paruit, talis tribunus Pleb. fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam A senatu, & A bonorum caussa steterit constantius*, ubi quod *A senatu*: & *A caussa bonorum*, perinde est ac si dixisset pro partibus senatus, & bonorum. In alteram significationem ad Atticum scribens: *Nec ullam aliam ob caussam Pollucem servum a pedibus meis Romam misi*: Nam cum ex servis aliis uterentur ad iter tantum, eos mittentes, quo libebat, aliis ad literas excipiendas ac describendas, quas vel dictabant vel componebant, illos *A pedibus*, hos *A manu* appellabant, Cicero tamen in hac significatione, *Ad*, aliquando dixit in tertio de Oratore: *Itane idem Gracchus, quod potes audire Catule ex Licinio cliente tuo litterato homine, quem servum sibi ille habuit ad manum cum eburneola solitus est habere phistula*: Iidem qui *A pedibus* erant servi, *pedes a* Martiale dicuntur illic. *Retro flexus ad pedum turbam*. Alibi *Lagenam ad pedes repl. t.* *A pedibus* eoidem dixit:

Omnia quum retro pueris obsonia tradas,
Cur non mensa tibi ponitur a pedibus.

Quo disticho Martialis eum cum apud quem cœnabat amare subsannat: nam quomodo ille haberet convivas: obsonia omnia & epulas pueris & servis astantibus porrigebat, iis blandiens. Martialis conquerens si in animo inquit tibi est tradere obsonia pueris & a pedibus, cur eos non accipis mensa potius quam nos, quasi dicat hi tecum cœnant, non convivæ. Quo loco observandum est *a pedibus*, per omnes casus eadem terminatione deduci: Recte enim interrogaveris, *quid agunt a pedibus*? nam illud necessario intelligitur, *servi a pedibus missi a pedibus*, *dedi a pedibus meis*. Cur mensa non ponitur *tibi*, id est, *a te a pedibus* pro casu dandi est, id est, *pueris*, & *servis*: Nam in superiore versu cum *pueris* dixit intelligendum est *a pedibus*. Cicero præterea tertia actione in Verrem, eosdem appellat *circum pedes*, ubi Maleoli filium pupillum a Verre patriis fortunis eversum conqueritur his verbis: *Ut Romam rediit nullam litteram pupillo, nullam matri ejus, nullam tutoribus reddidit, servos artifices pupilli quomodo haberet domi. Circum pedes autem homines formosos & litteratos esse dicebat*. Verres, *inquit Cicero* quomodo Maleoli familiam diriperet, sibique per fraudem vindicaret, illius servos aut formosos aut litteratos dicebat, *suos esse circum pedes*: Maleoli fuisse negabat. Hi seorsum astabant dominis discumbentibus. Tranquillus in Caligula. *Quosdam summis honoribus functos ad essedum sibi occurrere togatos per aliquot passuum millia, & cœnanti modo ad pluteum, modo ad pedes stare succinctos linteo passus est*. Idem in Augusto *Talbo a manu, quod pro Epistola prodita denarios quingentos accepisset crura effregit*: Sed miror quare idem sibi tantum adsumserit, ut cum vel *A manu*, vel *A pedibus* duabus dictionibus dicamus nomine scilicet & præpositione, ipse quasi ex integra dictione nomen derivaverit, Nam *amanuensem* scripsit pro servo *A manu*: in Verrone: *Certum domi-*

 nis

nis servorum numerum nisi indixit nec ex tota cujusque familia probatissimos, nec dispensatoribus aut amanuensibus exceptis recepit. Eadem ratione in Domitiano: *Epaphroditum A libellis capitali pœna condemnavit*, is est, qui libellorum, qui a supplicibus dabantur, curam gerebat. Omitto: *A* aliquando *post*, significare (a) & varie accipi, notissima enim sunt & occurrunt frequenter.

Cicero ad Atticum scribens, Varronisque accusans ignaviam: *Biennium*, inquit, *præterit qua ille καλλιπίδης assiduo cursu, cubitum nullum processerit.* Ubi proverbium Græcum usurpavit in hominem segnem & tarde agentem. De quo ita scribit in Tiberio Tranquillus, ut vulgo jam per jocum *Callipedes* (b) vocaretur, quem cursitare, ac ne cubiti quidem mensuram progredi proverbio Græco notatum est.

Idem cum Attico significasset, quid de personis introductis in libris de republica statueret, scribit quid monuerit & suaserit Sallustius his verbis. Ea ipsa ponam, quæ in omnibus codicibus exstant. *Hi libri cum in Tusculano mihi legerentur audiente Sallustio admonitus sum ab illo multo majore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de republica, præsertim cum essem non Heraclides Ponticus sed consularis. & is qui in maximis versatus reipub. rebus essem quæ tam antiquis hominibus attribuerem, ea visu mirifica esse.* His ultimis verbis mendam inesse certo affirmaverim. Nam si Sallustius suadebat, ut Cicero ex persona sua de republ. disputaret potius, quam ex sermone Africani aliorumque, qui multo ante diem obierant, eum rationem afferre oportuit, cur illorum personæ minus idoneæ essent, aut minore auctoritate in his libris de republ. disputarent. Atqui si ita legimus, ut proposui, *quæ tam antiquis hominibus attribuerem, ea visu mirifica esse*, ratio erit probantis potius, quam dissuadentis: Nam si mirifica erant & habebant laudem, ex personarum antiquitate, non recte monuit, id mutandum esse, & ad Ciceronis personam transferendum: Quare ut sibi ipsi Sallustius consentiat vir prudentissimus ac doctissimus ita leges: *Quæ tam antiquis hominibus attribuerem, ea visum iri ficta esse, fabulosum inquit videbitur* quod

---

(a) *Post* denotari per *A.* jure ait Calderin. ita Cicero pro Mil. *Centesima lux hæc est ab interitu Clodii*, idemque alibi. Verum hac in re plura Grammatici, quorum etiam auctoritate varius & multiplex præpositionis *A* usus intelligitur, perspectumque fit insuper discrimen inter *A*, *Ab*, *Abs*, servandum.

(b) Miratur ad hunc locum Tranquilli Beroaldus nonnullos Græci verbi significationem longe alio sensu usurpasse, quam res ipsa peteret, videlicet quasi per jocum nomen a Gallo Gallinaceo duxisse, vocavisseque *Gallipedem* Virum tarde progressum, perinde ac si Galli Gallinacei pedes haberet, eodemque modo prorsus incederet, ac ipsemet Gallus Gallinaceus, qui cursitare consuevit, moxque subsistere; Callipidi nil sane cum Gallo Gallinaceo, qui *dictione* valde *diversa appellatur a Græcis*; = quo circa, = subjungit Beroaldus, = re diligentius pensitata existimo id proverbium non ab ave deduci, sed ab homine, qui καλλιπίδης nominabatur, fuitque Histrio in Tragœdiarum actione inter Græcos clarus, & Agesilai magni temporibus celebratus, sicuti docet Plutarchus in Apophthegmatis laconicis: hic igitur cum in agenda histrionia esset venustior, utebatur incessu per Pulpita pompatico, & moroso, & prout argumentum Fabulæ exigebat, discursabat, statimque resiliebat, non ultra cubiti longitudinem progrediens: quodam quasi peculiari incessu histrionico hinc proverbium deductum est ad hominem satagentem, nec tamen progredientem, neque incepta peragentem, ut Callipides appellaretur: A Callipidis histrionis imitatione hic est ut opinor verus sensus, veraque Proverbii Græci interpretatio, in quo plerique omnes hactenus hallucinati sunt.

quod isti disputant de Republ. cum tam antiqui sint. Quod si inspexeris, quam lubrica fuerit via in mendam ab iis verbis, quæ Ciceronem scripsisse arbitramur, in ea quæ perversa sunt, nobis magis atque illis adsenseris. Jacobus certe Cardinalis Papiensis, non minoris doctrinæ quam auctoritatis princeps, hanc Ciceronis scriptionem agnoscit, eique omnino arridet & applaudit.

Cicero tertia actione in Verrem: *Itaque renuntiat Robonius illam decisionem tutoribus, accurrunt tamen ad tempus tutores digitum tollit Junius patruus, isti color mutatus est, vultus oratio, mens denique excidit*. Ubi quod ait *digitum tollit*, morem designat antiquum, (*a*) is erat, ut qui se vel conductorem vel emptorem ex publica venditione, aut locatione significaret, *digitum tolleret*, quod Junius fecit, ne pupillus fratris filius ædem Castoris sartam tectam conduceret, a quo Verres columnas ad perpendiculum erigere statuerat, ut ita eum spoliaret bonis paternis: *Digitum igitur tollit*, id est, *se conductorem significat*. Plura de hoc scripsimus in eum versum Martialis:

Nam meus jam digitum sustulit hospitibus,

& quid sit *manceps*, ex sententia etiam Festi.

Strabo in octavo ita scribit: *Est autem Rhium in Achivorum solum protensum longius promontorium in falcis figuram interius curvatum, unde & Drepanum, id est, falcem appellant*, (*b*) Nimirum (ut ego quidem suspicor) ad hanc falcem allusit Martialis, cum derideret curvitatem crurum in Phœbo. Ea enim ita curvata in *Rhio* commode ait lavare posse, nam & *Rhium* æque curvatum erat, ut illi *crura Phœbi* quadrarent. Sales inde quoque aspersit, quod *Phœbi crura* dixit Lunæ cornibus similia. Quare si hoc desiderare videbitur, ad ea quæ in commentariis scripsimus, habes unde accipiat.

Pilea apud antiquos variis fiebant generis, (*c*) suisque erant nominibus distincta. *Umbellam* enim appellabant, *galericulum*, *causeam*, quod apud Martialem & Valerium maximum legas *petasum*, de quo & apud Svetonium diximus in Augusto, & in nostrarum observationum secundo annotavimus diligentissime. *Pilea* autem aliquando fiebant ex lacernis attritis. Ut illud dillichon Martialis apertius intelligas, quam in commentariis dictavimus, ubi *pileum* mittitur in apophoretis:

Si

(*a*) Veterem digiti tollendi consuetudinem demonstrat Scalig. ad Manil. unaque cum illo Hotoman. ad Action. I. Verr. cap. LIV.; hoc nempe more ii sunt denotati, qui in auctione quidpiam emerent, illudque sublata manu significarent; Ad digitum etiam referuntur favoris, vel condemnationis signa olim per antiquos exhibita, Pollice nimirum compresso favor, inverso condemnatio est indicata; hac in re Horat. Epist. I. XVIII. v. LXVI.

Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum,

& Juvenal. Sat. III. v. XXXVI.

.... Et verso pollice Vulgi
Quemlibet occidunt populariter........;

[*b*] Ducta a nomine Falcis similitudine innotescit Drepani Urbs apud Siculos nobilissima de qua præ cæteris ita Virgil. III. DCCVII.

Hinc Drepani me Portus, & illætabilis ora
Accipit.

et hic Servius: *Drepanum Civitas est ante pedem montis Erycis, trans Lilybæum*: eam vero testatur Cluverius nomen duxisse *ab Curvatura, quæ falcis speciem refert, non ab ineptis illis maximeque ridiculis Fabulis*, nempe quæ asserunt nomen factum Drepano, vel *quod Saturnus amputatis Virilibus Cœli Patris illic falcem projecerit*, vel quod ibi falcem amiserit Ceres per illam ætatem, qua Filiam Proserpinam quærebat, eæque postea Fabulæ, contra ac veritas postularet, *Drepani vocabulo sunt adfictæ*.

[*c*] Usum Pilei apud Rom. a Cald. hic memoratum invenies passim apud Scriptores, Pileorumque diversum ordinem ex ipsis facile colliges; non est igitur cur a nobis plus æquo detinea-

Si possum totas cuperem misisse lacernas,
Nunc tantum capitis munera mitto tuo.

Cuperem, *inquit*, lacernas integras misisse, si essem dives. Nunc vero cum pauper sim, nisi *lacernæ* tantum partem, munus capiti tuo, id est, *pileum*, quod ex parte *lacernæ* constat. Papinius in locis Saturnalitiis:

Usque adeo ne defuerunt
Cæsis pilea suta de lacernis.

ubi explicat argutissime pileum fieri solitum ex *lacernis* incisis, quod disticho Martialis quoque innuit.

Repetamus præterea particulam commentariorum nostrorum in Juvenalem, ubi carmen extat illud in mulierem curantem cutem & expolientem faciem in gratiam adulteri:

Interea fœda aspectu ridendaque multo
Pane tumet facies, & pinguia poppæana
Spirat.

Poppæanum (a) non unguentum est, nec enim bene olet, nec iis rebus conficitur, quibus unguenta, sed medicamentum ad faciem erugandam & expoliendam cutem, quod ex lacte asinæ pane madido conficiebatur. *Poppæanum* appellatum, quod *Poppæa* uxor Neronis principis id primo instituit. Plinius, 28. naturalis Historiæ: *Cutem in facie erugari, & tenerescere, & candorem custodire lacte asinino putant. Notumque est quasdam quotidie septingentas custodito numero fovere: Poppæaque hoc uxor Neronis principis instituit, balnearum quoque sic, oleo temperato, asinorum gregibus ob hoc eam comitantibus.* Hæc Plinius & idem in 11. de lacte: *Crassissimum Asinæ, ut coaguli vice utantur, conferre aliquid & candori in mulierum cute existimatur.* *Poppæa* certe Domitii Neronis conjux, quingentas per omnia secum fœtas trahens balnearum etiam oleo totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoque cutem credens. Unde illud de Othone a Tranquillo scriptum: *Quod pane madido faciem linire consueverit, madidum lacte asinæ intelligo.* Ita & mulier apud Juvenalem, Quandiu domi est, totam faciem linit medicamentis, & operit, ut tenera & candida cutis fiat, atque ita a marito amplexu & osculis interea fovetur, cum vero ad mœchum proficiscitur, deponit linteola & medicamenta, exseritque curatam faciem, inde Juvenalis.

Ad mœchum lota veniunt cute,

Id est, elotis e vultu medicamentis. Hæc scripsi, siqui fortasse Juvenalis carmen parum intelligerent, de *Poppæano* ambigant, quod ego, ut arbitror, primus fortasse elucubravi, ut sexcenta alia, quæ in commentationibus nostris requires.

Radere non tantum est succidere pilos, (b) sed etiam summam cutem detrahere: Juvenalis:

Post hunc radentur tubera, Si ver
Tunc erit:

Car-

ris; unum tantum advertimus, vel ejusdem vocis inspecta denominatione *Pileum* ex lana coactili videri contectum, eo vel maxime quod *Pileo* nil intelligatur aliud quam Græcorum Πῖλος sive Πίλιον idemque coacta ex lana Græci dixerunt ad capitis tegumentum excogitatum, ad quod apte defendendum lana coactilis censenda est accommodatior.

[a] Genus hoc fuci a Poppæa inventum nonnulli, cæteri Poppææ in usu fuisse pronunciant. Utcumque se res habeat, plurimum in facie his medicamentis expolienda Poppæam laborasse proditum est, & ex Tacit. in Annal. Libr. XIII. ejus fœminæ indoles cognosci facile potest.

[b] Verbum *Radere* idem esse nonnunquam, ac detrahere Cutem hausit Calderin. ex *Festo*, qui *Radere genas*, inquit, est *unguibus eas cruentare, & scindere*; eaque de caussa profertur hic Juvenal. locus ex Sat. VI. v. CXVI. depromtus:

.... Post hunc radentur tubera.......

quam lectionem sic Britannicus ex-

Carmen præterea legis duodecim tabularum his verbis ſcriptum eſt: *Mulieres genas ne raduntø, ne vel leſſum funeris ergo habento.* *Leſſum* quid eſſet, Sex. Helius, & L. Acilius veteres interpretes non ſatis ſe intelligere dixerunt, ſed ſuſpicari veſtimenti aliquod genus funebris. Lucil. *Leſſum* dixit, quaſi *lugubrem ejulationem*, cui Cicero aſtipulatur in ſecundo legum, ubi hanc legem recitat. Inde Plinius 11. naturalis hiſtoriæ ita ſcribit: *Infra oculos malæ homini tantum, quas priſci genas vocabant, 12. tabularum interdicta radi a fœminis eas vetantes, pudoris hæc ſedes, ibi maxime oſtenditur rubor, infra eas hilaritates riſumque indicantes buccæ, & altior homini tantum, quem novi mores ſubdolæ irriſioni dicavere naſus.* Quibus verbis aperte Plinius indicat ſe, 12. tabularum legem vel apud Ciceronem vel alibi legiſſe, rationemque affert, cur ita ſancitum ſit, ne fœminis genas in funere aliove dolore *radere*, id eſt, dilacerare liceat, quoniam, ſcilicet, in iis poſita videatur pudoris ſedes, ibique potiſſimum rubor appareat. De *naſo* quod addit, nos ex his verbis in 12. commentariorum in Martialem ita ſcripſimus: *Naſuti dicuntur qui* graviore cenſura ſubſannant aliena: Et Horatius:

Ut plerique ſolent naſo ſuſpendis adunco
Ignotos.

Hoc eſt, derides. In ſecundo præterea hujus operis cum de obſervationibus ex Poetis diſſererem, ſatis hinc explicavi, quare dicatur primus condidiſſe a Plinio Lucilius ſtyli *naſum*.

Caudacus: ut Varro ſcribit, *ſuavem* ſignificat, vel ut a Magiſtris ſe accepiſſe fatetur *manſuetum*. *Catax* vero, ut tradit Feſtus *claudum*. Appius certe Claudius Appii Cæci frater, qui conſul fuit anno ab urbe condita 480. primuſque freto claſſe trajecto Pœnos Sicilia expulit, etiam Tranquillus ſcribit, in Tiberio *Caudax* cognominatus eſt.

Receptæ in uſum noſtrum fuerunt nonnullæ Græcorum dictiones, & in Latinarum ſcite deductæ non elegantiæ magis cauſſa, aut feſtivitatis, quam Pitholeo Rhodius ac Lucilius in eo ſecuti ſunt, quam neceſſitatis, quod Latina eadem non eſſent: Atque adeo unam ex iis, ut de aliis ſileam, nuper obſervavi apud Tranquillum in Nerone: nam ita ſcribit & prodit: *Neapoli primum ac ne concuſſo quidem repente motu terræ theatro ante cantare deſtitit, quam inchoatum abſolveret nomon.* Ubi *nomon* dictionem Græcam uſurpat cum pro ea Latinam non haberet ejuſdem ſignificationis: *Nomos* (a) enim apud Græcos *legem* ſignificat, *nomos* item in carmine & cantilena, ſignificat *qualitatem & moderationem vocis*, qua vel remiſſiore vel acutiore utimur, eandemque cantilenam duobus tribuſve *nomiis* modulantur muſici, & cum uno totam peregerint, altero inchoant diverſo. Inde frequenter legimus apud Græcos *nomos muſicos*. Et de Corinna ita memoriæ proditum eſt καὶ ἔγραψε νόμους λυρικούς, id eſt, *& ſcripſit nomos lyricos*. Nero itaque muſicæ ſtudioſus cum in theatro Neapoli cantaret, adeo ea gloria fervebat, ut ne terræ quidem motu deterreri potuerit, quin inchoatum jam *nomon* abſol-

pendit: *Utrum purgantur abraſo cortice quum apponuntur? an raduntur, id eſt evelluntur ex terra ſarculis?* Cæterum pluribus videtur in Juvenal. carmen legendum eſſe.

.... Poſt hunc tradentur tubera, ſi ver
Tunc erit ....

perinde ac ſi debeat intelligi tubera tradi, quæ menſis apponantur, acidi ſaporis Epulæ, indeque ad provocandum appetitum idoneæ.

(a) Sentit Domit. Noll. cum Beroald., qui ad recitata Svet. XX. verba, *Nomos, ait, græce lex interpretatur: eſt autem genus cantilenæ, quod a Græcis dicitur Nomos id eſt lex, in qua ut auctor eſt Ariſtoteles libr. XIII. Problem. Antiſtrophi non adhibentur, cum cæteris Chorearum Canticis Antiſtrophis uſus non deeſſet.* Ad Sveton. ibid. diſſeris etiam pluribus Salmaſ. de Nomis, quos vel Auctoribus Poetis primo prodiiſſe, vel pro temporum ratione Poetarum Auctoritate certum eſt auctos eſſe, quin etiam nonnumquam immutatos.

absolveret, & ad finem perduceret cantilenam eo *nomo* quo cantare cœperat. Quod verbum cum parum notum esset latinisque scriptoribus non satis usurpatum in omnibus Tranquilli codicibus, lubrica menda est depravatum: nam ubi *nomon* scribi oportuit, *nomen* ita suppositum est, nullo omnino aut certe alieno sensu, quam inchoatum absolveret *nomen*. Nos vero & hanc, & alias dictiones multas, alienas deprehendimus ac mendosas apud hunc scriptorem, ut in commentariis in eum compositis plane ostendimus.

Harpastum (a) quid sit longa commentatione Græcis auctoribus explicamus in Epistolam quarti libri sylvarum, multaque de eo docuimus, quæ adhuc (ut opinor) incognita fuerunt, ea siquis volet legere, illic requiret.

Quid? Nonne in Fabii Quintiliani codicibus librariorum error propagatus est compluribus locis, quædam certa apud hunc scriptorem non satis explicata observavimus? ut illud cum de diversa nominum compositione monerct. *Componuntur* (inquit) *aut ex nostro & peregrino ut biclinium, contra, ut epitogium, & Anticato*. Unde satis discimus, dictiones ita componi, ut priorem partem aliquando occupent nostra, posteriorem peregrina, veluti in *biclinio*, in quo nomine *bis* nostrum est, *clinium* Græcum, unde *biclinium* deductum est: Aliquando vero priora sunt peregrina, ut in *epitogio* & *anticatone*, Nam *Epitogium* genus vestis quod togæ superinduebatur ex *ἐπί* præpositione Græca, & *toga* formatum est, ut *Anticato* (b) Cæsaris in Catonem ex *ἀντί* præpositione item Græca, & *Cato*. Mendose vero in plerisque codicibus scriptum reperies, *Opitergium* pro *Epitogium*, quod oppidi nomen quidem est, & inde *Opitergini* mortes appellari: sed talem non habent compositionem qualem hoc loco præcipit Fabius, imo nullam. *Epitogium* sane legendum affirmaverim, quod & compositionis ratio suadet, & nuper legi vetustissimo ac certissimæ fidei Quintiliani libro.

Incidi nuper in quasdam Laurentii commentatiunculas, quas in Fabium composuit, in quibus cum alia desideravi tum testium, quos citat aliquando fidem, atque adeo, ut unum subjiciamus, ubi Fabius de verbis peregrinis ita scribit: *Nam Mastrugam, quod Sardum est illudens Cicero ex industria dixit*. Laurentius locum indicans, ubi id Cicero dixerit, hæc addit: *Cicero pro Scauro, quem purpura regalis non commovit, cum Sardorum Mastruga mutavit*. Equidem *Scauri caussam* actam fuisse apud Ciceronem, legi apud Valerium Max. & Pedianum: *Orationem* vero a Cicerone pro illo habitam, unde se hæc accipere Laurentius profitetur, legi nusquam, neque extare arbitror, vereorque ne Grammaticum aliquem ignobilem secutus hæc verba recitaverit potius, quam legerit usquam apud Ciceronem. Atque (ut dicam quod sentio) Quintilianus verba Cicero-

---

(a) Harpastum forte liceat interpretari ex Martial. libr. IV. Epigr. XX.

Seu lentum ceroma teris, tepidumve Trigona,
Sive harpasta manu pulverulenta rapis.

ubi sic idem Calder. *Harpastum genus ludi erat, ut ait Suidas: sunt qui putent esse genus vehiculi, cujus cursum Juvenes ad exercitationem lacertis reprimebant; Meminit hujus Gymnasii Plin. in VII. & Seneca in Declamationibus: de Harpasto in Distichis* Lib. XIV. XLVIII.

Hæc rapit Antæi velox in pulvere Draucus,
Grandia qui vano pulvere colla facit.

sed puto esse Pilam.

[b] *Anticonem*, hic Opus exprimere comperimus a Cæsare duobus libris comprehensum, de quo Juvenal. Sat. VI. v. 336.

.... Duo Cæsaris Anticatones,

ubi vetus Scholiastes: *Cæsar*, inquit, *bello Civili cognita Catonis morte, cujus virtutem Dialogo illo, qui inscribitur, Cato, Cicero etiam laudavit, libros duos famosissimos in vitam Catonis edidit, quos Anticatones inscripsit*; Cæsarisque scripta enumerans Suet. cap. LVI. ait: *Reliquit & de Analogia libros duos, & Anticatones totidem.*

ceronis mihi indicare videtur, quæ sunt in Oratione de provinciis consularibus hæc: *Quod est primum dissimile: Res in Sardinia cum Mastrucatis latrunculis a Proprætore una cohorte auxiliaria gesta, & bellum cum maximis Syriæ gentibus tyrannis consulari imperio exercituque confectum*: Mastruca autem quid sit in secundo disputavimus. (a)

Idem undecimo Institutionum ita scribit: *Artem autem memoriæ primus ostendisse dicitur Simonides*: Et paulo post: *Simonidem Poetam fuisse, neque omnino hujus rei memini usquam Poetæ*. Idem Cicero, quem Fabius secutus est (Plinius vero in septimo naturalis historiæ non *Poetam*, sed *Medicum* eum scribit. Verba illius hæc sunt de memoria: *Ars postremo ejus rei facta & inventa est a Simonide Medico, consummata a Metrodoro Scepsio*. Mirandum profecto est, cur Plinius a Cicerone dissentiat, alterque scribat, quam Fabius, sed mendosa est dictio apud Plinium, ut ego quidem arbitror, & heri observavi, cum de Simonide nonnulla apud Græcum scriptorem legerem, Nam cum sex ejusdem nominis Græci fuisse tradant singulorumque res persequantur & genus, de hoc ita affirmant, Simonides Leopræpis filius Lyricus ex Julide oppido Ceæ insulæ post Stesichori ætatem cognominatus *Melicertes (b)* (ut alii codices habent, *Melicus* a suavitate carminia, nam μέλι significat *Mel* unde *Melicus* deducitur) artem memoriæ reperit, inde apud Plinium scribendum contenderim: *Ars postremo ejus rei facta & inventa est a Simonide Melico*, non autem *Medico*, cum Poetam fuisse & Græci & Latini scribant, ac Simonides Melicus sit cognominatus.

Di boni quam pertinax menda occupavit omnes Fabii codices librariorum & interpretum culpa, qui cum non perciperent vetustatis morem, neque usquam eum observassent multos in errorem induxerunt. Verba hæc reperies in primo institutionum de Grammatica, ubi Fabius de iis nominibus disserit, quæ cum externa & peregrina sint, in Romanum usum recepta fuerunt: *Plurima*, inquit, *Gallice valuerunt ut Rheda ac Petoritum, quorum altero Cicero tamen, altero Horatius utitur, & Mappam Cicero quoque usitatum nomen Pœni sibi vindicavit*: *De Rheda & Petorito*: Quid Fabius scribat perspicuum est, sed quod addidit & *Mappam Cicero quoque usitatum nomen Pœni sibi vindicavit*, tam hianti compositione hæc verba structa sunt, ut facile declarent, aliquid impedire, quo minus cohæreant suo loco, nec exrorqueamus quem possumus sensum, quod Cicero sibi vindicaverit hoc verbum *Mappam* quod nomen est usitatum Pœnorum. Decent obiter interpretes, ubi Cicero dixerit nonam *mappam* suum esse verbum, eique id sibi vindicaverit, quasi Horatius, Juvenalis, aliique Poetæ idem non usurpaverint? ita interpretantur. Sed ne diutius invento nostro gloriemur, accipite veram Fabii scriptionem, & antiquum morem discite, de quo in commentariis Juvenalis & Martialis disputavimus, in ludis Circensibus: *Mappa* (c) a Præ-

---

[a] *Mastrugam*, vel ex aliis *Mastrucam*, de qua uberius alibi Calder. pro vestis genere exponimus, qua Sardi utebantur, ac etiam interdum pro molli, & libidinoso homine, proprietate sermonis ducta ex veste scortea, & pessime olente: hoc sensu Plautus in Pœnul. Act. V. Sc. V. v. 33.

Deglupta Mænas, Sartapia sementium,
Mastruga.

ubi Taubman. *Mastruga autem*, inquit, *quæ vestis scortea est pessime olet, qua Sardi utebantur, & Barbari Septentrionales, qui pelliti erant*.

[b] Multi profecto Simonides, quos inter principe loco est habendus, qui *memoriæ artem invenit* Melicus ille quidem & octavæ in lyra Chordæ fuit inventor; Stesichori autem ipse fuit æqualis, neque hic cum alio sane Simonide confundendus, qui paullo post Stesichorum floruit, ac dictus est Simonides Melicerta; Superioris hic Simonidis tantum Nepos ex Sorore fuit, vixitque ante bellum Peloponnesiacum, tribusque libris Genealogiam erudite conscripsit.

[c] *Mappæ* usum in ludorum celebratione, cujus hic est mentio, sic no-

Prætore demitti solebat aurigæ victori, veteri instituto. Tranquillus in Nerone: *Positoque in hortis inter servitia, & sordidam plebem rudimento, universorum se oculis in circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam, unde magistratus solent.* Martialis:

Cretatam Prætor quum velles mittere mappam,
.... *Surripit Hermogenes.*

Juvenalis:

Interea Magalesiacæ spectacula mappæ. (a)

Mappa igitur in circo usurpatur. Inde ego contenderim ita apud Fabium legendum: *Et mappam circo quoque usitatum nomen Pæni sibi vindicant.* Nam quum referret, quæ peregrina in nostrum usum venerint, *rheda* inquit & *petoritum Gallica sunt, sed tamen iis utuntur Cicero & Horatius, & mappam Pæni dicunt suum esse nomen: sed eo tamen adeo passim utimur, ut in circo quoque & ludis Circensibus id vulgatum sit & usitatum.* Hoc quum nostri homines ignorarent, ubi *circo* scribendum fuit *Cicero* supposuerunt, & ne solœcismus esset, ex *vindicant*, *vindicavit* fecerunt. Sententiæ nostræ, antiquitatis mos, verborum compositio, series sensus, denique vetustissimus Fabii codex, constantissime adstipulatur.



JOSE-

rat etiam Tertullian. de spectaculis: *Dehinc ad signum anxii pendent. Unius dementiæ una vox est. Misit, dicunt, & nunciant invicem, quod ab omnibus visum est, nec vident missum quid sit. Mappam putant, sed est Diaboli ab alto præcipitati figura.*

[a] Desumitur versus ex Juven. Sat. XI. num. 191., ubi *Mappæ* vox retinetur a Jo: Britannico, & ad ludos refertur, contra ac sentiat Cœlius Secundus Curio vel ipse Juvenalis interpres, qui de Britannici lectione, ac explicatione: *Etsi hæc*, inquit, *quæ Britannicus dicit, sunt verisimilia, tamen quod emendata exempla habens, non mihi displicet, ut Palmæ legamus.*

JOSEPHI
CASTALIONIS
J. C. VARIÆ LECTIONES.

Qui sit equus dexter, qui sinister, in agitatione, & bigarum certamine.

Turnebus reprehensus.

CAPUT I.

HAdrianus Turnebus libro Adversariorum xiv. cap. xxxv. ad illud Horat. Sat. v. lib. secund.

Vtne (a) tegam spurco Damæ latus,

vel, ut in manuscriptis legitur,

Vtne tegam,

Ovidii sententiam assecutus non videtur: qui *Exterior*, pro *Interior*, reposuerit. Nam quod Ovidius seni dederat, ille ad juvenem retulit. Cum senectuti Poeta plurimum semper tributum fuisse, senioresque a junioribus summo cultu, observantiaque affectos testaretur, Fastorum quarto sic extulit:

Et medius juvenum non indignantibus ipsis
Ibat, & interior, si comes unus erat.

idest: Si cum duobus, pluribusque senex junioribus progrederetur, in medium recipiebatur: si vero cum uno tantum comite natu minore incederet, interior erat senior, ejusque latus a juniore officii caussa tegebatur. Gravius etiam peccant, qui *Anterior*, legunt: ut sit secundum eos sensus præire, ac præcedere grandiores natu, juniores subsequi honoris gratia consuesse. Quid hoc ineptius dici potest, inter duos una, & pari passu ambulare senem, uni vero additum antecedere?

(a) Recedit ab hac lectione Lambinus, aliamque probat habentem:

Vtne tegam spurco Damæ latus?

ac subdit. „Sic habent Codices 2. Vatic. & Jannoct. Faern. Tornes. Russard. cujus lectionis elegantiam quidam non intelligentes supposuerant, *Visne tegam*. Nam sic loquuntur boni scriptores: in his Livius libr. 4. *Illine ut impune primo discordias serentes concitent finitima bella? deinde, &c.* Horat. Od. 16. epod. respons. Canid.

Insultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?

& fortasse M. Tullius lib. 4. accusation. ita locutus est non longe a princip. mutata scilicet interpunctione, *Quid si magnitudine pecuniæ persuasum est? verisimile non est. Vt ille homo tam locuples, tam honestus religioni suæ, monumentisque majorem pecuniam anteponeret?* nam hæc legi conjuncte, *verisimile non est, ut ille homo tam locupl. &c.* non placet. quamquam non sum oblitus, me nuper, cum M. Tullii opera omnia edidi, paullo aliter hunc locum legendum esse putavisse.

dere? Sed redeo ad Turnebum. *Tegere latus* interpretatur esse, latus sinistrum ejus, qui potentior sit, claudere: & ejusdem Satyræ versum explicans.

Ne comes exterior, si postulet, ire recuses.

exteriorem enim, qui ad lævam sit, & sinistræ locum, ut hodie Romæ quoque receptum est, inferioris esse opinatur, neque in eo fallitur. Addit præterea nonnulla, opinionis suæ confirmandæ gratia, quæ omnino falsa sunt: dextræ videlicet majorem esse habilitatem, & agilitatem, quam lævæ, nosque facilius in dextram, quam in sinistram convertere solere: flexumque ad metam dextrum esse interiorem, exteriorem sinistrum: totam denique agitandi rationem pervertit. Nam, ubi ad metam flectebatur, brevior quidem gyrus erat interior, longior autem exterior: sed interior *Lævus*, exterior *Dexter* dicebatur, quod non vidit Turnebus, qui ibi scripsit: *Ita dexter qui erat interiore flectebat gyro, ut lævus exteriore. Sed & equus sinisterior ampliorem lustrabat orbem, quam dexterior.* Hæc ille, quæ longe aliter dicta sunt quam in usu res ipsa fuerit, & litterarum monumentis prodita. Apud Homerum ἰλιαδ. ψ. Antilochum filium Nestor monet, ut in curriculi agitatione equum dextrum incitet, sinistrum vero metæ circumducat.

ἀτὰρ δεξιὸν ἵππον
κένσαι ὁμοκλήσας εἶξαί τε οἱ ἡνία χερσίν.
ἐν νύσσῃ δέ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμφθήτω.

quod sic Latinis versibus sumus complexi:

Quadrupedis ferias dextri sed verbere dorsum
Vociferans, laxasque immittas pronus habenas,
Ad metæ vero lævus tibi saxa propinquet.

Silius lib. 16. de bello secundo Punico ludis funebribus:

Non unquam effusum sinuabit devius axem,
Sed lævo interior stringebat tramite metam.

Papinius Statius Thebaidos 6. ludis item funebribus:

Speravit flexæ circum compendia metæ,
Interius ductis Phœbejus augur habenis
Anticipare viam, nec non & Thessalus heros
Spe propiore calet, dum non cohibente magistro
Spargitur in gyros, dexterque exerrat Arion.

Virgilius Æneidos lib. 5.

Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige cursum:
Litus ama: & lævas stringat sine palmula cautes.
Altum alii teneant, &c.

Et paullo post:

Ille inter navemque Gyæ, scopulosque sonantes
Radit iter lævum interior: subitusque priorem
Præterit, & metu tenet æquora tuta relictis.

Hic de navali certamine, illi de bigarum agitatione præclare scripserunt: Neque motus, flexusque in dextram facilior agiliorque unquam habitus, sed multo nos facilius in lævam convertimus: quod bene periti architecti in scalarum flexu observant. Hæc ego non accusandi Turnebi studio notavi, sed ne quem tanti viri auctoritas in errorem inducerer. Multa doctissime Turnebus vir eruditissimus scripsit, quædam minus recte ad graviora properanti exciderunt.

An Britannos vicerit Augustus. Horatii, & Suetonii loci collati.

CAPUT II.

Britannis non solum bellum intulisse Augustum, sed de iis etiam triumphasse, ex iis, quæ infra scripta sunt, est cognoscere. Servius, enarrans versus illos in 3. Georg. apud Verg.

Et duo rapta manu diverso ex hoste trophæa,
Bisque triumphatas utroque ab litore gentes.

Occidentis, inquit, *propter Britannorum Triumphum*. Idem paulo supra, ad illum:

Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.

Nam Augustus, postquam vicit Britanniam, plurimos de captivis, quos adduxerat, donavit ad officia theatralia. Christophorus Landinus in Oden 35. lib. 7. Horat. secutus Servium, *Defecit*, inquit, *Britannia post mortem Julii, quam Cæsar, recuperavit, ergo & de Parthis, &c. & de Britannis triumphavit, &c.* Utque hæc parvi roboris sint, possunt tamen gravissimis ipsius Horatii sententiis niti, Is libr. 1. Ode 35. sic precatus est Fortunam:

Serves iturum Cæsarem in ultimos
Orbis Britannos, & juvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus, Oceanoque rubro.

Et lib. 3. Od. 5. aperte confirmat Britannos ab Augusto subactos, his carminibus.

Cælo tonantem credidimus Jovem
Regnare, præsens divus habebitur
Augustus, adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.

Quem locum explicans Landinus inquit, *Ex iis, quæ proveniunt a Jove, illum regnare credimus, nusquam tamen videmus. Augustum autem præsentem intuemur, deumque cognoscimus ex immortalibus beneficiis in nos collocatis, cum & Britannos & Parthos superaverit.* Conjunxit autem & lib. 1. carm. ode 21. Horatius has duas nationes, quæ P. R. erant infestæ antequam ab Augusto essent domitæ. Horat. ad Apollinem:

Pestemque a populo & Principe Cæsare in
Persas, atque Biritannos
Vestra motus aget prece.

Sed hi, & quos subscripsi, versus sunt compositi ante expeditionem. Epod. Od. 7.

Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via, &c.

Quare ex iis necessario sequitur, ut Augustus non bello solum persecutus sit Britannos, sed vero etiam domuerit. Id quod Levinus Torrentius, vir doctissimus negat in Svetonii Claudio, ad illum locum, *Britanniam potissimum elegit, neque tentatam ulli post Divum Julium, & tunc tumultuantem ob non redditos transfugas.* (a) Horatium autem ea de Britannica expeditione & victoria dixisse opinatur Torrentius, quæ non revera fuerint, sed quæ ipse Poeta futura crediderit. Svetonii locus de mendo suspectus esse potest. Nam in altero meo antiquo non *Tentatam*, sed *Deprædatam* est legere. Præterquamquod Strabo lib 4. aperte narrat, *sua tempore Britannorum legatos Augusto Cæsari, Populoque Romano universam fere Insulam propriam, familiaremque instruxisse.*

Ho-

(a) Ad hæc Tranquilli Verba in Claud. XVII. ita Beroaldus: *Primus*, ait, *omnium Romanorum Divus Julius cum Exercitu Britanniam ingressus, potest videri ostendisse Posteris eam Insulam, non tradidisse, Caligulam cogitasse de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio, mobilis pænitentia fuisset, Claudius vero transvectis legionibus, auxiliisque eam expeditionem suscepit: Auctor Cornel. Tacitus in libr. de Vita Julii Agricolæ.*

Hadriaticum Mare æstuosum;

CAPUT III.

QUæsitum est, cur ab Horatio in mari Hadriatico fœdiores, quam alibi, tempestates excitari dicantur. Ego quid sentiam, paucis exponam. Primum nego apud Horatium esse scriptum expresse, Hadriam præter cetera maria sævire: quamvis ex subjectis locis & tempestuosum esse, & æstus maximos vento, in primis Austro flante commovere, facile intelligam. Ode 3. lib. 1.

...... nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Hadriæ (a)
Major, tollere, seu ponere vult freta.

Ode 14. lib. 2.

Fractisque rauci fluctibus Hadriæ.

Ode 3. lib. 3.

...... neque Auster
Dux inquieti turbidus Hadriæ,

Ode 9. lib. 3

..... & improbo
Iracundior Hadria.

Ode 24. lib. 3.

...... ego quid sit ater
Hadriæ novi sinus, & quid albus
Peccet Japix.
Hostium uxores, puerique cæcos
Sentiant motus Orientis Austri, &
Æquoris nigri fremitum, & trementes
Verbere ripas.

Deinde, ut demus, ex iis locis colligi, quod in quæstione positum est, & uta-

---

[a] Expendit cum Horatio Maris Hadriaci ventos Luodovic. Desprez his verbis: = Ratio patet ex rerum situ & Natura Libr. 3. Od. 3. = *Dux inquieti turbidus Hadriæ.* = Atqui hypercritice Jul. Scaliger, = *Austrum*, inquit, *præter cæteros* = *ventos summum habere imperium* = *in mare Adriaticum scribit Horatius: quod esse falsum intelliget quisquis sciet Adriaticum recta excurrere in Vulturnum, cujus impetu etiam crescit Jonia subinvecto Adriaticum. Boreæ* = *quoque subjectum est qui ex alto* = *spirat....... Auster autem ex* = *devexiore parte flans Apennino* = *frangitur: quamobrem non subruit, sed radit, &c.* At Parthenius ex Petro Medina Hispano, = qui rei Nauticæ & ventorum rationem luculenter investigavit, = egregie Poetam nostrum tuetur = & vindicat: *Austrum*, inquit, = *arbitrum Adriæ recte ait Horatius.* Nam etsi non omnino in = Notum excurrat Adriaticum mare, ut scribit Scaliger, nihilominus ita se habet, ut non minus = ab Austro quam a Vulturno possit concitari. Enimvero principales quinque venti duas quartas habent; (ita loquuntur Nautæ & = ventorum periti) ergo Vulturni = quartæ duæ sunt, una ad Subsolanum, altera ad Austrum respicit. Porro hujusmodi venti principales & integri octo referuntur: = intra quos alii sunt quos medios = vocant, *non profecto quod minori* = *spiritu ac vehementia ferantur* = *quam illi, sed quod in eorum medio describantur.* Itaque tam vehementes esse quartas quam principales, perspicuum fit. Hæc illi.

utamur philosophorum aliqua ratione, dico, in mari Hadriatico atras, & sævas tempestates excitari truculentius, propterea quod arcte, & anguste conclusus est is sinus, id quod in fretis propter angustias accidere ignorat nemo. Illud sane frigidum est, non esse Hadriam revera adeo violentum, sed videri solitum Romanis, qui in provincias, addo etiam in Græciam studiorum caussa ex Italia navibus transmittebantur. Quid enim respondebimus nostri temporis hominibus, qui frequenter quidem, sed summo cum periculo vitæ, & fortunarum, eo mari utuntur? Quid Græcis, & iis, qui, antequam Romanorum arma transmarinis cognita essent, valde Hadriam formidabant? Æschines quidem certe, cum in mores Demosthenis inveheretur vehementius, inquit, illum ita difficilem, durum, morosum, atque incostantem fuisse, ut cum Hadria satius fuerit, quam cum illo negotium habere. Hæc sunt, quæ de proposita quæstione habui dicere.

Num veteribus insignia fuerint, Collati Illustrium Poetarum loci.

CAPUT IV.

QUærebatur apud amicum meum, num veteribus Insignia fuissent: cumque ipse forte interessem, dixissemque, multa esse apud Latinos Poetas hujus rei exempla, unumque ex Ovidio de Thesei agnitione extiare dixissem, subinde amicus meus, longe aliter a Plutarco rem exponi, dixit, quippe qui cultello super mensa ad carnes appositas incidendas districto ab Ægeo patre Theseum filium agnitum scripserit, neque de insignibus in cultello inscalptis mentionem fecerit, eaque tantum filii iodicia esse voluerit, quæ Pater apud Matrem gravidam calceos scilicet, & cultellum sub cavo lapide reliquerat. Ego vero, digressus domum, Ovidium sumsi, reperi, ut dixeram, libro Metamorphoseos septimo sic scriptum:

Agrestes Aconita vocant, ea conjugis astu
Ipse parens Ægeus nato porrexit, ut hosti.
Sumserat ignara Theseus data pocula dextra,
Cum Pater in capulo gladii cognovit eburno
Signa sui generis, facinusque excussit ab ore.

Vergilius libro septimo nonnulla militum in Clypeis expressa signa explicat, his versibus:

Pulcer Aventinus: clypeoque insigne parentum
Centum Angues, cinctamque gerit serpentibus Hydram
Et infra:
Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto vertice supra est:
Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram (a)
Sustinet, Ætneos efflantem faucibus ignes.
Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis,

(a) Hic Virgilii testimonio de Veterum insignibus expretius in Galea sic loquitur Tanbman. Veteres variis rebus in Galea usos, vel ad horrorem, vel ad ornatum, multis docent Alex. ab Alex. libr. 1. cap. 20. & Godesc. Stevvechius ad Veget. lib. 1. cap. 20. Atque hinc morem istum fluxisse putant, quo etiamnum hodie *Insignia familiarum* exornata atque distincta videmus: cum galeis insident leones, lupi, cervi, canes, aquilæ, vultures, dracones, & aliarum bestiarum sive capita sive cornua, sive pedes: quæ tamen, quasi minus Christiana sint, improbat Lud. Vives, in suis Symbolis.

Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
At levem clypeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, jam setis obsita, jambos,
Argumentum ingens, & custos virginis Argus,
Cælataque amnem fundens Pater Inacus urna.

Valerius Flaccus lib. 6. Argonaut.

Cuncta phalanx insigne Jovis, cælataque gestat,
Tegmina, dispersos trifidis ardoribus ignes.
Nec primus radios, miles Romane, corusci
Fulminis, & rutilas scutis diffuderis alas.
Insuper auratos collegerat ipse Dracones,
Matris Horæ specimen, linguisque adversus uterque
Congruit, & tereti serpens dat vulnera gemmæ.

Et paullo infra:

Hos super æratam Phalces agit æquore nubem
Cum fremitu, densique levant vexilla coralli,
Barbaricæ quis signa rotæ, ferrataque dorso
Forma suum, truncæque Jovis simulacra columnæ.

Claudianus in Consulatum Probini, & Olybrii, de Romæ Clypeo:

Flava cruentarum prætenditur umbra jubarum:
Et formidato clypeus Titana lacessit
Lumine, quem tota variarat Mulciber arte:
Hic patrius Mavortis amor, fœtusque natantur
Romulei: post amnis inest, & bellua nutrix,
Electo Tiberis, Pueri formantur in auro:
Tinguunt æra Lupam, Mavors adamante coruscat.

Vergilii locus collatione aliquot poetarum explicatus, Servius reprehensus.

CAPUT V.

Rectius omnino quotquot ex veteribus Vergilium imitati sunt Poetæ Vergilii sensa assecuti sunt, quam qui Commentarios in illum scripserunt. Servius quidem alioqui eruditissimus labitur in explicatione Æneid. 1. ad illum locum,

. . . . verubusque trementia figunt.
Litora abena locant alii:

Abena locant, inquit, *quibus utebantur non ad elixandas carnes, sed ad se lavandos. Heroicis enim temporibus carne non vescebantur elixa.* Hæc ille, (a) quæ quam vera sint, ex iis, quæ infra subjiciemus, apparet.

Ovidius libro Metamorphoseos primo:

Atque ita semineces partim ferventibus artus
Mollit aquis, partim subjecto torruit igni.

Valerius Flaccus lib. Arg. 8.

Mox epulas, & sacra parant silvestria læti
Præmia venatu facili quæsita supersunt.
Pars verubus, pars undanti despumat abeno.

Se-

(a) *Ut scilicet*, ait hic Taubman., *paratior, & promptior Cœna expediretur, Heroicis temporibus Carne elixa in Castris non vescebantur, sed tantum assa, quod patet ex Homero: & docuit Plato 3. de Republ. & Athen. libr. 4.* Utrumque tamen postea factum evincit Ovid. testimonio a Castal. probato; Servius ergo juste reprehenditur, qui altero prætermisso, unum tantum in Cœnando Antiquorum morem attingit.

Seneca in Thyeſte actu 4.

Hæc verubus hæret viſcera, & lentis data
Stillant caminis: illa flammatus latex
Querente aheno jactat.

Juvenalis Saty. xv.

.... nec ardenti decoxit aheno,
Aut verubus.

Claudianus libro in Eutropium ſecundo:

Quas figat verubus partes, quæ fruſtra calenti
Mandet aquæ.

Vergilii & Statii loci collati.

CAPUT VI.

Diligentiſſimus Vergilii obſervator, & imitator Papinius Statius exſtitit, id quod & ipſe teſtatus eſt libro Silvarum quarto ad Marcellum:

.... tenues ignavo pollice chordas
Pulſo, Maroneique ſedens in margine templi,
Sumo animum, & magni tumulis accanto magiſtri.

Quare mirandum non eſt, ſi ad magiſtri imaginem carmen ſuum plerumque format. Quis non voluptate perfunditur ſumma, cum libro Thebaidos primo convivium Vergilianum. & Regium cultum expreſſum videt?

.... adolere focos, epulaſque recentes
Inſtaurare jubet, dictis parere miniſtri
Certatim accelerant, vario ſtrepit icta tumultu
Regia, pars oſtro tenues, auroque ſinantes
Emunire toros, altoſque inferre tapetas.
Pars teretes lævare manu, ac diſponere menſas.
Aſt alii tenebras, & opacam vincere noctem
Aggreſſi, tendunt auratis vincula lychnis.

Reliqua hic, ne longum faciam, ſuperſedeo deſcribere. Ea ſi conferet harum rerum ſtudioſus cum Vergiliana cœna, quam Æneæ Dido exhibuit, operam non ludet. Veram enim imitandi rationem percipiet.

Vergilii locus a Statio expreſſus.

CAPUT VII.

Papinius item Statius luculenter Vergilianum illud expreſſit, quod libro Æneidos ſecundo legitur:

...... neque enim reſponſa dabantur
Fida ſatis.

Sic enim libro Thebaidos ſecundo ille:

.... nec reddita contra
Vox, fidamque negant ſuſpecta ſilentia pacem.

Infrænis quid sit, adversus Servium, & Donatum.

CAPUT VIII.

MAle Servius interpretatur apud Vergilium libro decimo vocem *Infrænis*, ad illum versum,

Illum infrænis equi lapsu tellure jacentem.

Infrænum enim, esse asperrimum, dicit. Nos vero *Infrænem*, sive *Infrænum*, dictum contendimus, quod nullo regeretur fræno. Pessime autem Donatus ad illud lib. Æneid. 4.

Et Numidæ Infræni cingunt. (a)

Infrænos enim, indomitos esse, comminiscitur. Optime omnino Silius Italicus Orator, & Poeta clarissimus, quique Latinæ linguæ vim, proprietatemque optime callebat, lib. 1.

Hic passim exultant Numidæ, gens inscia fræni,
Queis inter geminas per ludum mobilis aures
Quadrupedem flectit non cedens virga lupatis.

Et lib secund.

.... *nullaque levis Gætulus habena.*

Olympi apud Vergilium recte scriptum, Rejectæ multorum castigationes, tertiam vocalem insoluta quoque oratione contra Prisciani sententiam scribendus.

CAPUT IX.

PRimus decimi Æneidos libri versus multorum ingenia multum exercuit: variatumque in lectione & sensu duarum vocum postremarum fuisse invenio. Nam fuere, qui non *Omnipotentis*, (b) sed *Omnipatentis*, quod cœlum ab omni parte

---

(a) *Numidæ infræni*, Taubman. Inquit dicti sunt, qui *aut lævi erant, aut* qui ob effrænatam audaciam, nec moribus nec legibus nec imperio cujusvis regebantur (Vide Æn. 1.
Justitiaque dedit gentes frenare superbas)
Aut, qui equis sine fræno utebantur, atq; hoc verius est, & Servio etiam notatum. Quin & Heinsius ad Silium, & *Gifanius*, & *Jo: Leinus* ex Livio l. 35. & Oppiano l. 4 annotarunt, Numidis equos sine frænis fuisse.

(b) De *Omnipotentis* voce ita disputat etiam Taubman. Turneb. lib. 29. c. 24. epitheton *Omnipotentem*, alio sensu, quam vulgus, explicat, omnia complectentem, omnibusque potentem, ut *potens* hic sit a potior: & *Omnipotens* sit non tantum, quod omnia possit, sed quod omnibus potiatur, quomodo apud Horat. 1. Od. 5.
.......*suspendisse potenti*
Vestimenta maris Deo,
Neptuno, qui mari potitur, & cujus mare sors est. Qui hic legunt *Omniparentis*, vel, ut B. Egnatius, libr. Racemation. c. 20. *Omnipatentis*, non audiunt eruditiores: ut nec H. Stephanus: cui & Turnebi explicatio displicet, eique exempla ex Horat. & Cic. aliena videntur, quin simpliciter *Omnipotentem Olympum* interpretatur Cœlum, quod omnipotens Juppiter incolit. Vide & Indic. Erythræi.

parte pateat, vel potius *Omnipotentis*, nec defuerunt, qui *Omnipotentis*, quod Jovis epitheton est, reponendum censuerint: sed pro *Olympi*, substantivo adjectivum substituerint, & ad *Domum* retulerint, ut esset, *Domus Olympia*, quorum omnium sententias, atque opiniones subvertit doctissimus L. Cæcilius Minutianus. Is libello de Orthographia hac de re sic scriptum reliquit: *Olympius appellatur Juppiter. Ennius:*

Decessit Olympius.

Vergilius:

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

Domitius Marsus inter cognomina Jovis posuit Olympius.

Nævius:

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

Hæc Cæcilius.

Hinc factum videtur, quamobrem in manuscriptis libris sit,

Omnipotentis Olympi.

Cum enim Olympius, Jovis cognomen sit, & Domus Olympi, id est, Jovis domus a Vergilio dicatur, recte *Omnipotentis* epithethon adjunctum est. Quod tamen non viderunt plerique doctissimi viri. Neque est, quod Olympi, patrio casu, per simplicem tertiam vocalem, non autem per geminam, hoc modo, Olympii, negotium facessat. Frequentior enim est ejus usus apud optimum quemque Latinitatis auctorem, quam nos recensere possimus: Vergil. Ecloga 1.

Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.

Et:

Pauperis & tuguri congestum cespite culmen.

Et libro Æneidos primo:

Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit.

Teucrorum.

Pro, *Peculii*, *Tugurii*, *Patavii*. Hortensi, pro Hortensii. Lucanus lib. 2.

Pulsatæ funere fores: quas functa relicto

Hortensi mærens irrupit Marcia busto.

Tarenti, pro Terentii. Horatius Sat. lib. 1. Sat. 2.

...... poter ille Terenti, &c.

Et Carm. primo, Od. 29.

Libros Panæti, Socraticam, & domum.

Pro, Panætii. Quod multis in locis factitavit. lib. 3. Sat. 5.

Inde forum Appi.

Et Epist. lib. 1. epist. 6.

Porticus Agrippæ, & via te conspexerit Appi.

Et ibidem Epist. 18.

Brundusium Numici melius via ducat, an Appi?

Et Epist. lib. 2. epist. 9.

Septimius Claudi nimirum intelligit unus.

Et ibidem, epist. 12.

Cantaber Agrippæ, Claudi virtute Neronis

Armenius cecidit.

Appi, Claudi, pro Appii, Claudii,

Priscianus libro septimo fatetur quidem, veteres poetas subtrahere solitos alteram in genitivis geminantibus tertiam vocalem, ut Verg. Georg. quarto:

Illo Vergilium me tempore dulcis alebat

Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.

Sed id metri caussa factum adjungit. Ego vero nec ulla carminis necessitate factam ejusmodi vocalis abjectionem dixerim, nam in soluta oratione idem factitatum, quod facile lis probabo, qui oculos, mentemque ad veteres inscriptiones convertunt.

I. O. M. D.
PRO. SALUTE. AUGG. NN.
L. SEPTIMI. SEVERI. PII.
PERTINACIS. ET M.
AURELI. ANTONI. PII.
FELICIS. AUG. ET.
JULIAE. AUG. ET. S. P. Q. R.
SEMNUS. AUGG. NN. LIB. OPTIO.
TABELLARIORUM. STATIONIS.
MARMORUM. ARAM. POSUIT.

Vides, Septimi, Aureli, pro, Septimii, Aurelii.

Apud Delphinos.

TI. CLAUDIUS.
LEMNUS.
DIUT. CLAUDI
AUGUSTI. LIB.
A. STUDIIS.

Ibidem:

STATI. CLASSI. AELI.
STATILI. est legere, pro, Statii, Classii, Aelii, & Statilii.

Quid sibi velit aratrum muris inducere, collatus Modestini J. C. locus cum Horatiano.

CAPUT X.

ARatri in urbes demolitas, ac dirutas inductione, jus civitatis amissum significari, atque ex urbe agrum factum, notum est, id quod a nostris Jurisconsultis diserte traditur. Modestinus l. si usus. D. Quibus modis ususf. amittatur. *Si usus fructus*, inquit, *civitati legetur, & aratrum in eam inducatur, civitas esse definit, ut Carthago passa est. Ideoque quasi morte definit habere usumfructum.* Horatius vero libro Carminum primo, Ode 16. hoc ipsum tetigit:

Iræ Thyesten exitio gravi
Stravere, & altis urbibus ultimæ
Stetere caussæ, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Sidera pro singulis stellis, Æger, pro Ægroto: rejecta quorundam scrupulosa proprietatis observatione.

CAPUT XI.

AMicus meus, homo pereruditus, valde proprietatis amator, neque Sidera pro Stellis, neque Ægrum pro Ægroto Latine dici contendebat. Quod Sidus proprie sit plurium stellarum Signum, & Ægritudo, unde Æger, ab Ægrotatione multum differat, hæc enim corporis est, illa vero ad animum pertinet. Quæ quamquam ita sint, & vere, atque erudite differantur, aliter tamen usurpari passim video. Hæc autem a me libere libenter vindicantur, quod Latinæ linguæ studiosis consultum volo, nequa sollicitudo, aut scrupulus scribentea torqueat, aut remoretur. Vergilius pro singulis stellis, non autem pro stellarum conventu, libro Æneidos quinto Sidera extulisse facile videtur:

.... cælo ceu sæpe refixa

Trans-

Transcurrunt, crimenque volantia sidera ducunt.

Et libro secundo:

.... *& jam nox humida cælo*
Præcipitat: suadentque labentia sidera somnos.

Non enim cum ipsa nocte Navis, Anguis, Corvus, Orion, Erigone, & reliqua signa, sed singulæ stellæ occidunt. Sexcentis prope locis Sidera a Vergilio, & Horatio large pro Stellis quibuscumque accepta dixerim. Cicero Tusculanis quæstionibus lib. v. *Cum sidera viderit innumerabilia cælo inhærentia cum ipsius mundi motu congruere tertis infixa sedibus, septem alia suos quoque tenere cursus multum inter se aut humilitate distantia.* Eodem sensu aliis in locis ab eodem Sidera afferuntur.

Æger autem quamvis animo quis dicatur, & ab ægritudine non multum absit, tamen Ægrum ad corpus referri, sæpe numero reperio. Cicero Epist. ad Tironem decima: *Ne nauseæ molestiam suscipias æger.* Et Epist. xi. *Cave festines, aut committas, ut aut æger, aut hyeme naviges.* Et ad Atticum libro sexto: *Tiro ad te dedisset literas, nisi eum graviter ægrum reliquissem.* De natura Deorum libro secund. *Ne ægri quidem omnes convalescunt.* Horatius Sat.4. lib. 1.

.... *avidos vicinum funus ut ægros*
Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit.

Idem ad Valaam:

.... *vicus gemit invidus ægris,*
Qui caput & stomachum supponere fontibus, audent.

Et ad Pisones:

.... *velut ægri somnia.*

Vergilius lib. Georg. 3.

.... *& quatit ægros*
Tussis anhela sues.

Lucretius lib. 3.

Non alio pacto, quam si pes cum dolet ægri.

Idem lib. 2.

Quæ non audierit mixtos vagitibus ægris.

Lib. 3.

.... *doloribus ægris.*

Et:

.... *quod nimis ægris*
Luctibus indulges.

Hinc intelliges, licere pro arbitrio, & ut commodum est, modo præponere, modo postponere adjective; & Ægrum, tum ad corpus, tum ad animum referri.

Matrimonia cum fratrum uxoribus damnata. Ægyptiorum & Judæorum instituta super ea re. Defensus Imp. Zen. Conanus reprehensus.

C A P U T XII.

JUre Pontificio quantumvis extincta affinitas prohibet matrimonium viri cum omnibus uxoris mortuæ usque ad quartum gradum, & item mulieris cum omnibus, qui virum suum defunctum ea proximitate attingebant, cap. 1. de consang. & affin. *Tantum abest, uxorem fratris mortui ducere ut nobis liceat.* c. ult. de divortiis, & l.fratris uxorem. C. de incest., quamvis id necesse esset fratri superstiti apud Judæos facere, si frater ejus liberos ex uxore sua non suscepisset Deuteronomii cap. 25. ubi sic legitur: *Si simul habitaverint,* mor-

mortuusque fuerit alter eorum, ne nubat uxor mortui alieno viro foris, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel, (a) & quæ se-

---

(a) Divinæ scripturæ verba hoc in loco memorata, ita leguntur Deuteronom. xxv. a v. 5. ad 10. versicul. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absq. liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui: Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam Civitatis, & interpellabit majores natu, dicetque: Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel: nec me in conjugem sumere. Statimque accersiri eum facient, & interrogabunt. Si responderit: Nolo eam uxorem accipere: Accedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui: Et vocabitur nomen illius in Israel: Domus discalceati*, ac singula per partes hunc in modum ex doctissimi P. Calm. mente sic uberrime declarantur.

℣. 5. *Quando habitaverint fratres simul*. Jubet Moyses, Fratrem illius, qui nullis post se relictis liberis, obiit, ducere viduam fratris sui sine posteritate defuncti. Hæc est legis illius exceptio, qua cautum est, ne inter fratres, ac sorores, nec non inter fratrias, & leviros misceantur conjugia. Dicuntur Ægyptii nequaquam verum ibi credidisse matrimonium, ac nullum consanguinitatis vinculum, ubi nulli essent filii; juxta quorum doctrinam, nequaquam absurdum esset, levirum ducere uxorem fratris sui, qui sine filiis obierat. Juxta Legislatoris verba, videtur Lex hæc primum valuisse dumtaxat pro fratribus, qui simul domi parentis sui commorabantur, quales erant filii Juda, de quibus Genesis 38. loquitur, videlicet qui essent eadem in domo, vel saltem in civitate eadem. Sed consuetudo deinde ad remotiores usque propinquos illam extendit, dummodo in Judæa permanerent, & hæreditates eorum essent communes: uti ex universa historia Ruth innotescit.

Quæ autem hac de re docent Rabbini, hæc ferme sunt. Obligatio ducendi in uxorem viduam fratris sui, qui sine liberis obiit, ex eorum sententia ad eos duntaxat fratres spectat, qui ex iisdem parentibus orti sunt, non autem ad eos, qui alterutrum tantum eumdem sortiti sunt. Immo respicit tantum majorem natu ex fratribus defuncti, hoc supposito, quod uxorem non duxerit: nam si uxorem jam haberet illi integrum erat, vel ducere, vel relinquere viduam fratris sui. Auctor Quæstionum ad Orthodoxos S. Justini nomine, qu. 132. oppositum prorsus docet. Si defunctus reliquisset filium, vel filiam, vel adoptivam, vel naturalem, nepotem, vel neptem, nulla cogebatur obligatione frater superstes. Ita coarctant illi, quantum in ipsis est, Legem hanc, quæ illis gravior videtur. Noemi in iis, quæ dixit ad Ruth supponere videtur filios omnes, non eos solum, quos tunc habebat, sed quos etiam deinceps habere potuisset, lege hac teneri erga nurus suas.

Viduæ connubium cum leviro suo fieri debebat absque ulla solemnitate, ac solum vi Legis; vel potius nullum fieri debebat connubium, Lex enim imperabat, ut vidua absque liberis haberetur uxor leviri sui. Attamen consuetudo obtinuerat, ut frater eam saltem coram duobus testibus sumeret, eique argenti frustum traderet: addebatur etiam nuptialis

sequuntur. Hanc esse legem putat Conanus libro juris Civilis 18. capite 5. quam Imp. Zeno Ægyptiis tribuit lege quidam, C. de incestis nuptiis, qua fratrum uxores licet virgines ducendi facultas adimatur: ac Zenonem hallucinatum esse ostendere conatur, Ego vero Principem prudentissimum non adeo in sua ditione peregrinum, neque adeo instituti Ægyptiorum imperitum puto, ut hæc ignorarit. Nemo autem est, qui nesciat, alios esse Judæos, alios Ægyptios, neque est, quod quisquam objiciat fuisse Judæos diu apud Ægyptios. Nam ejus rei apud Populum Romanum orbis terrarum dominum ratio non habebatur, qui Judæam, qui Ægyptum in Provinciæ formam redactas, & discretas haberet. Illud sane constat, aliam fuisse legem Ægyptiorum ab ea, qua Judæi utebantur. Siquidem Imp. Zeno permissas Ægyptiis cum fratrum uxoribus matrimonio nondum consummato civibus Romanis ademit. Nam, quamvis corpore uxor mortui fratris cum eo numquam copulata esset, voluntate certe, & jure conjuncta videbatur. Judæorum vero lex uxorem fratris, cognitam quidem a defuncto, sed non gravidam, neque matrem factam, fratri superstiti ducendam dabat, ut ex ea ipse filium susciperet, qui fratris mortui, & nomen referret, & filius diceretur. Quare Imp. Zenonem nulla in re hallucinatum arbitror, qui Ægyptiorum institutum nominatim damnarat; quod apud eos liceret fratri fratris uxorem ducere, modo esset virgo, neque se cum altero fratre commiscuisset: cujus conditionis ratio Judæis non erat habenda.

benedictio, & chirographus pro vadimonio dotis uxoriæ, Judæi hoc tempore legem hanc non observant amplius, ex quo Templum dirutum est, ac ipsi a Terra Sancta extorres ejecti fuerunt; immo Fagius asserit, post Babylonis captivitatem propter hæreditatum confusionem nequaquam fuisse observatam. Athenienses illos, qui consanguinitatis vinculo propius tangerent puellas orphanas, cogebant, ut illas uxores ducerent, eisque dotem tribuerent. Lex hæc ferme eadem mente concepta fuit, ac illa Moysis. Tartari uxores ducunt fratrum suorum viduas, sed nulla Lege tenentur.

℣. 6 *Primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit*. Josephus, aliique nonnulli id simpliciter intelligunt: & putant, primogenitum masculini sexus, qui ex hoc conjugio oriebatur, appellandum fuisse ex nomine prioris viri, hoc est, fratris defuncti. Hæc fuit quoque S. Augustini sententia: sed deinceps intelligis, nequaquam necessario hoc fuisse faciendum, exemplo Ruth, quæ primogenito suo, quem genuit ex *Booz*, imposuit nomen Obed, non Mahalon, quo nomine prior vir illius vocabatur. Hebraicus hujus loci textus habet: *Primogenitus ex ea educabitur nomine*, vel *in nomen fratis ejus*, hoc est, habebitur tamquam hæres fratris ejus: nomen, ac familiam ejus sustinebit, atque illius hæreditatem possidebit. *Nomen* quandoque successionem significat. Exempli gratia, filiæ Salphaad Moysi dicunt de patre suo loquentes, Numeror. 24. 3. *Cur tollitur nomen illius de familia sua?* Cur nullam possidebit hæreditatem?

℣. 7. *Sin autem noluerit*. Defuncti frater cogi non poterat, ut viduam illius duceret uxorem; verum si officium hoc fratri præstare abnueret, habebatur veluti opprobrium in Israel. Quædam nihilominus aderant tempora, quibus sine ulla nominis ignominia, ac turpitudine nuptias has renuere poterat: exempli gratia, si mulier ventrem ferret, eum vir ejus obiit; si hic plures sine liberis uxores reliquisset, tunc enim satis erat, ut unam tantum

Libertini Qui.

CAPUT XIII.

SVetonius Tranquillus in D. Claudio scriptum reliquit, *Libertinos antiquis Reip. temporibus dictos fuisse, non eos ipsos, qui manumissi essent, sed eorum filios*. Quod nusquam apud bonos auctores reperio. Quare verius esse opinor, quod a plerisque doctis viris receptum est, Libertos dici, cum ingenuis opponuntur, & conditionis libertinæ homines significamus. Plautus Libertinam, non Libertam, quæ vindicta manumissa esset, aperte ostendit in Milite glorioso:

Pyrgopol.

Quid? ea ingenua, an festuca facta, serva an libera est?

Palæstrio:

vah, ego ne ut ad te ab libertina esse auderem internuntius.

Donatus in Terentii Andriam, *Feci e servo ut esses libertus mihi.*

Mihi, inquit, *ideo additum est, quia libertus ad aliquem, dicitur.*

Dionysius Lambinus ad illud Horat. Sat. VI libro I.

Cum referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dum ingenuus.

Ingenuus, inquit, *erat Horatius, si ingenuus est, cujus pater servitutem non servivit. Nam antiquo jure civili Libertini a Libertis differebant. Cum Liberti sint servi manumissi, Libertini autem libertorum filii quam distinctionem Imperatores sustulerunt*. Hæc ut ita Lambinus dissereret, Svetonii locus, opinor, effecit. Unde autem didicerit, libertinorum, & libertorum discrimen ab Imperatoribus sublatum, ignoro, somniasse hominem puto. Plautus certe, qui longe ante libertatem ab Imperatoribus oppressam vixit, nullam talem inter ejusmodi appellationes differentiam extitisse ostendit, cum libertinam eam ipsam nominat, quæ Patroni sui liberta erat. Equidem Livius libro nono extremo, libertinorum filios ab Ap. Claudio Censore in Senatum lectos prodit, sed libertorum filios fuisse libertinos non adscribit, quod est apud Svetonium mendose, ut mea fert opinio, his verbis:

Latum Clavum Libertini filio tribuit, cujus rei reprehensionem verens, etiam Ap. Cæcum Censorem, generis sui Pro-auctorem, libertinorum filios in Senatum allegisse docuit, ignarus, temporibus Appii, & deinceps aliquandiu Libertinos dictos, non ipsos qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos. Lævinus autem Torrentius ad eum Svetonii locum multa erudite congessit. Verum duo ibi ab eo disputata sunt, quæ mihi non probantur, primum ex libro de Viris illu-

---

vel sumeret, vel abdicaret; ac deinde cæteris uxoribus integrum erat, quibus vellent, nubere. Abdicationis actus fieri debebat, e Rabbinorum sententia, coram tribus Judicibus, qui ex utroque parente Israelita nati essent, & in duorum testium conspectu: Vidua, & levir ejus uterque jejuni prodibant: ab illa sciscitabantur, elapsine essent tres menses, ex quo vir ejus obierat; hoc enim tempus ante illius connubium requirebatur, ut uterum e priori viro fœta esset, agnosceretur: mox percontabantur fratrem, an fratriam ducere vellet uxorem; qui si renuebat, vidua hæc proferebat verba: *Frater viri mei non vult suscitare in Israel nomen fratris sui, neque me in uxorem ducere*; ac eodem tempore auferebat calceum e dextero pede illius, & humi expuebat coram illo, ita ut Judices videre possent, & ajebat: *Ita fiet cum illo, qui noluerit ædificare domum fratris sui*. Statim autem Judices, ac omnis adstantium frequentia ter conclamabant: *calceus ejus excalceatus est.*

luſtribus locum profert, eoque mirum in modum innititur, neque locum, neque librum ſuſpectum habet deinde, credit, libertinæ conditionis homines ab Appio in Senatum lectos; proindeque lectionem ejus infamem, & ignominioſam a Livio dici, qui libro non extremo, ut diximus, non libertinos, ſed libertorum filios in Senatum legiſſe Appium, ſcriptum reliquit, quæ ipſa Appii lectio infamis, & ignominioſa eſt habita. Nam libertinorum filii, quamquam ipſi ingenui, qui numquam ſervitutem ſervilſent, dicerentur, & liberi nati non facti eſſent, inter obſcuras, & viles perſonas numerabantur. quod non ex ingenuis eſſent orti parentibus. Libet hoc loco proferre legem ſeptimam, C. de inceſtis, & inutil. nuptiis, quæ ad hanc rem mire facit, & tenuiorum dignitatem tuetur: *Humilem vel abjectam fœminam minime judicamus intelligi, quæ licet pauper, ab ingenuis tamen parentibus nata ſit. Unde licere ſtatuimus Senatoribus, & quibuſcumque ampliſſimis dignitatibus præditis, ex ingenuis parentibus natus, quamvis pauperes, in matrimonium ſibi accipere, nullamque inter ingenuas, & opulentiores ex divitiis, & opulentiore fortuna eſſe diſtantiam. Humiles vero, abjectaſque perſonas eas tantummodo mulieres eſſe cenſemus: ancillam, ancillæ filiam, libertam, libertæ filiam; ſcænicam, ſcænicæ filiam, tabernariam, tabernarii, vel lenonis, aut arenarii filiam, aut eam, quæ mercimoniis publicis præfuit. Ideoque hujuſmodi imbibuiſſe nuptias Senatoribus harum, fœminarumque, quas modo enumeravimus, æquum eſt.* Torrentii verba ſubjiciam: *Sic enim auctor de Viris illuſtribus: Ap. Claudius Cæcus in Cenſura libertinos quoque in Senatum legit, quam ob cauſſam, ut puto, Livius lib. 9. lectionem ejus in Senatum infamem, & ignominioſam vocat. Cæterum cum libertinos ille, Suetonius vero Libertinorum filios ab Appio in Senatum lectos ſcribit. Libertinos illic pro his, qui libertini generis fuerunt accipio: ut Libertinitas, & Ingenuitas, pro libertini, vel ingenui ſtatu ponitur apud Sabinum, lib. 2. Si libertus ingenuus eſſe dicatur, alioqui ſequeretur, Appium libertorum filios allegiſſe, quod Sueton. negat, & recte ſane.*

De Tribu Camilia extra XXXV. numerum.

CAPUT XIV.

PRæter triginta quinque illas inſigniores Tribus reperiuntur aliquot aliarum nomina, quæ diligenter Onuphrius Panuinius in libro Civitatis Romanæ congeſſit. CAMILIAE vero nomen incertius eſt quo modo legendum ſit in antiquis monumentis compendio literarum notatum. Non enim abſolute, & integre inſculptum eſt, ſed uſque ad tertiam literam, vel quintam perductum, ſic, CAM. CAMIL. Quare interpretatus eſt varie, CAMILLAM CAMILLIA. & CAMILLINAM. Nos ſine ulla dubitatione unico L. per octo literas ſcribi oportere, ex inſcriptione, cujus exemplum infra ſcriptum eſt didicimus, hoc modo, CAMILIA. Is autem lapis Via Salaria nuper effoſſus apud Alexandrum Rondonum ſtatuarium ad Montem Pinclum viſitur,

D.M.

Mox chirographus quidem fiebat, qui acta calcei excalceati vocabatur; cujus hæc formula in Gemarra Jeroſolymitana invenitur, brevior ſane, quam quæ apud Rabbinos leguntur. *Coram nobis* N. N. N. *mulier N. vidua N. ademit calceum N. filio N. eum adduxit in conſpectum noſtrum. & abſtulit illi calceum pedis dexteri, & expuit coram nobis, ita ut viderimus ſputum ejus in terra, & illa dixit ei: Ita fiet cum illo, qui noluerit ædificare domum fratris ſui.* Hæc ea ſunt, quæ Doctores Hebræi de hac conſuetudine referunt.

Mox vero calcei excalceandi ſymbolice deſignat, levirum abdicare omnem hæreditatem, & jura fratris ſui defuncti, atque conjugium cum vidua illius.

D. M.
L. AURELIUS. L. FIL.
CAMILIA FIRMUS.
BAGENNIS. MIL. COH.
XI. URB. V. NIGRINI.
VIX.ANN.XL.MIL.AN.XXI.
TESTAMENTO. PON.
JUSSIT.

Ex consule Ex quæstore qui vocarentur.

CAPUT XV.

VAriæ a viris eruditissimis de his vocibus, Ex Consule, Ex Quæstore, Ex Præfecto, Ex Prætore, & id genus reliquis, disputatatum est. Alciatus libro Dispunctionum quarto, capite tertio, in eam potius sententiam discedit, quam Mysingerus Institutionum initio amplectitur. Atque ex Quæstore eundem esse putat, qui sine præpositionis adjectione Quæstor dictus est idem etiam de cæteris dicendum censet. Quamquam incertus est, & parum constans. Ego, præter P. Criniti opinionem, quæ Alciato probatur, Auctores laudabo, quod unum in Crinito Alciatus desiderat, gravissimoque veterum Conciliorum testimonio ejusmodi appellationes perinde valere, ac si Consularem, Quæstorium, & Prætorium dicerem, quomodo olim, qui Consulatum, Quæsturam, & Præturam gesserant, vocabantur. Nam cum Imperatores jus Consularitatis, Prætoriatus, Quæstoriatus quibusdam dare cœpissent, qui nuoquam illos Magistratus gesserant, cœperunr ii, qui vere fuerant in magistratu, non jam amplius Consulares, aut Quæstorios se vocare: ita enim vocabantur etiam, quibus hoc Principall tantum beneficio tributum erat: sed ex Consule, Ex Quæstore, & sic in cæteris. Scribendum autem, atque efferendum sexto casu, ut ex Cubiculariis, Ex Archiatris, & ex Protectoriis, qui iis muneribus functi sunt, quod Antonius Augustinus libro Emendationum tertio, capite tertio, erudite confirmat. Ex eo autem quod lib. XII. C. de Quæstoribus, l. unica, initio habetur in libris impressis, *Qui ex Quæstura bonore*, putant nonnulli unicam dictionem esse, auctam præpositione, per omnes casus, numerosque variabilem: ut Quæsturæ no-

---

Quemadmodum hæreditatis possessionem adibant pedem proferentes, ac vestigium in solo imprimentes; ita se excalceare oppositum significat. Liquet etiam ex Scripturis, nudis pedibus incedere, signum esse humiliationis, pœnitentiæ, luctus, submissionis. Servi nudis pedibus vulgo incedebant. Qui se excalceari sinebat, libenter, & sponte has omnes humilitatis notas sumebat, quæ ea in occasione illi contumeliam quoque afferenant. Veteres Indi, Persæ, Ægyptii putabant sandalium in somnis visum significare uxorem: & permittere, ut sandalia sibi adimantur, quodammodo innuebat, se conjugium abdicare. Apud Turcas, cum uxor petit a viro suo segregari ob caussas, quas pudor afferri non patitur, illa simpliciter se se offert coram Judicibus, & se se excalceans coram illis calceo præpostere induitur.

℣.9. *Spuetque in faciem illius.* Rabbini quidam, ac nonnulli Interpretes putant, illam dumtaxat hui expuisse coram viro; atque ita Hebraicum textum reddunt: Expuet ante faciem ejus, coram illo. At sensus, quem exprimit Vulgata, magis est naturalis, atque hoc in sensu intellexit Josephus, Historiam Ruth enarrans: In faciem spuere summi contemptus indicium est.

nomen, sine præpositione, Ex. Ego falli eos puto; ac duas orationis partes sejunctas esse, neque in unam dictionem coalescere posse existimo; præpositionemque, Ex, pertinere non ad proximam vocem Quæsturæ, sed ad alteram longius dissitam puto; ut sit, Ex honore Quæsturæ: quod transpositionis genus elegans est, & latinis consuetum. Præterquam quod in manuscriptis libris est legere, sine ulla præpositionis adjectione, Quæsturæ honore. Nunc ad testimonia veterum Sanctorum Conciliorum venio, quibus confirmem, Ex Consulibus, Ex Prætoribus, ex Quæstoribus, fuisse dictos, qui eos honores gessissent, non qui gererent, quasi dixeris, non esse Consulem, sed Ex Consule, id est, Ex Consulis honore, & imperio abiisse. Hoc autem ita esse, facile judicabit, qui, cum duos tantum singulis annis Consules ordinarios fuisse norit, longe vero plures uno tempore in sacris Conciliis recenseri Ex Consulibus animadvertet. Illud adjungo, in iisdem Conciliis Præfectos dici, qui Præfecturam gererent; Ex Præfectis autem, qui Præfectura functi essent; additumque numerum, quotiens quis eum honorem gessisset hoc modo, ut habetur in Actione prima Synodi Chalcedonensis, *Ex Præfecto Prætorii sexies*: Ejus initium adscribam.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi, Consulatu piissimi, & amatoris Christi Imperatoris Flavii Marciani perpetuo Augusti, & qui fuerit nuntiatus sub die octavo idus Octobris, indictione quarta, in Chalcedonensi Civitate, Metropoli Provinciæ Bithyniæ facta est synodus ex decreto piissimorum, & fidelissimorum Imperatorum Valentiniani, & Martiani, congregatis in Ecclesia sanctæ ac triumphatricis Martyris Euphemiæ gloriosissimis judicibus, id est, magnificentissimo, & gloriosissimo Magistro militum, & ex Consule ordinario, ac Patricio Anatolio; & magnificentissimo, & gloriosissimo Præfecto sacrorum Prætoriorum Palladio: & magnificentissimo, & gloriosissimo Præfecto Urbis Tatiano; & magnificentissimo, & gloriosissimo Vincomalo; & magnificentissimo, & gloriosissimo Ex Magistro Martiali; & magnificentissimo Comite devotissimorum domesticorum Sporatio; & magnificentissimo Comite rerum privatarum Genethlio: Appositis etiam e glorioso Senatu, idest, magnificentissimo & gloriosissimo Ex Præfecto Prætoris sexies, & ex Consule ordinario, ac Patricio Florentio; & magnificentissimo, & gloriosissimo Consule ordinario, & Patricio Senatore, & magnificentissimo, & gloriosissimo Ex Magistro officiorum, & Ex Consule ordinario, ac Patricio Nonio; & magnificentissimo, & gloriosissimo, Ex Præfecto, & ex Consule Ordinario, ac Patricio Protogene, & magnificentissimo, & gloriosissimo, Ex Præfecto Urbis Theodoro, & magnificentissimo, & gloriosissimo, Ex Præfecto Urbis Apollonio, & magnificentissimo, & gloriosissimo, Ex Præposito sacri Cubiculi Romano; & magnificentissimo, & gloriosissimo. Ex Præfecto Illyrici) Theodoro; & magnificentissimo, & gloriosissimo, Ex Præfecto Prætoriorum Constantino; & magnificentissimo, & gloriosissimo, Ex Præposito Sacri Cubiculi Artaxerxe, & magnificentissimo. & gloriosissimo, Ex Præfecto Illyrici Eulogio.

Vides hic recenseri quinque Ex Consulibus, id est, Consulares: quos si Consules interpretaris, uno eodemque tempore sex Consules ordinarii, ne suffectos putes, extitisse videbuntur. Nam Imperator Flavius Marcianus Consulatum eo ipso anno gerebat. Idem dicendum de Præfecto Urbis, Præfecto Prætorii, Præfecto Illyrici, quos uno eodemque tempore Magistratus a pluribus gestos absurdum est fateri: plures autem uni tantum honores concessos eodem tempore, putidum est affirmare. Quare dicendum est, Ex Consulibus, Ex Prætoribus, Ex Præfectis, Ex Quæstoribus, non esse Consules, Prætores, Præfectos, Quæstores, sed Consulares, Prætorios, Præfectorios, & Quæstorios, id est, qui his Magistratibus functi essent actu, & opere, ad differentiam eorum, qui honorarii dicebantur. Quibus tantum Consularia, & Prætoria ornamenta, non autem Consulatus, & Prætura beneficio Principis concessa essent. Vides item hic Palladium, Præfectum Prætoriorum, & Tatianum, Præfectum Urbis, qui Præfecturas gererent. Florentium autem, Ex Præfecto Prætorii, & Constantinum, Ex Præfecto Prætoriorum; & Theodorum, Ex Præfecto Urbis; & Apollonium item, Ex Præfecto Urbis; qui Præfecturis ejusmodi functi essent.

Plura qui volet, ex reliquis ejusdem Synodi actionibus petet. Plura item in Constantinopolitani Concilii actionibus habentur, quæ ad hanc rem pertinent: Non posse autem hæc nomina per casus flecti, sed prælatæ præpositioni sexto casu tantum servire, argumento est lapis apud Glorierios, ad lævam exesus, quem punctis, notato literarum, quæ desiderantur, numero, suppletum excudendum curavimus.

D.D. N.N. FL. VALENTINIANO. ET. ORATIANO.
RATORIBUS. SUIS.

CEIONIUS. RUFIUS. VOLU..SI
ANUS. V. C. ET. INLUSTR..IS
EX. VICARIO. ASIAE. ET. CEIO
NI. RUFI. VOLUSIANI. V. C
ET. INLUSTRIS. EX. PRAEFECTO. PRE
TORIO. ET. EX. PRAEFECTO. UR.. BIS
ET. CECINE. LOLLIANE. CLAR..ISSI
ME. ET. INLUSTRIS. FEMIN.... E
DEAE ISIDIS. SACERDOTIS. FI. . LIUS
ITERATO VIGINTI. ANNIS. EX. P.. E. RECE.
PTIS. TAUROBOLIIS VI. ARAM. CONSTITU. IT
ET CONSECRAVIT. X. KAL. JUN. D. N. VA.. LEN
TINIANO. AUG. ET. NEOTERIO. C... ONSS

Grates agi recte dicuntur.

CAPUT XVI.

FRivola sunt pleraque de differentiis, & proprietate sermonis, quæ circumferuntur. Illud in primis falsum est, quod dicitur, inter Grates, & Gratias hoc interesse, quod Grates referimus, Gratias agimus. Nullum enim discrimen harum vocum apud veteres animadverti. Ovidius certe Agendi verbo Grates conjunxit, in Ibin.

Huic igitur meritas grates, utcumque licebit,
Pro tam mansueto pectore semper agam.

Cicero de Somnio Scipionis: *Et grates*, inquit, *tibi ago, summe Sol, vobisque reliqui Cælites*. Livius lib. 10. *Læti, atque alacres, Diis, Populoque Romano grates agunt*

Vergilius lib. Æneid. primo Persolvendi, id est, referendi verbo adjunxit:

.... grates persolvere dignas
Non opis est nostræ.

Quemadmodum autem Gratias Agere, & Referre; sic Grates Agere, Persolvere, & Referre, Latine dicimus. Quod siquod interesse quispiam velit, Grates vel carminis necessitati, vel antiquitatis honori concedi, libentius dixerim.

Sol-

Solstitium sive solstitia numero multitudinis, pro Æstivo tantum. Vergilii locus illustratus.

CAPUT XVII.

Multos, linguæ Latinæ ignoratione, in magnos errores incidisse, animadverti. Mirari autem satis non possum, quamobrem Viri quidam bene docti, & in literis exercitati, quorum certe famæ detractum nolim, aliter omnino, quam sententia postulet, Vergilii versus Georgicorum libro primo interpretentur:

Humida solstitia, atque hiemes optare serenas: (a)
Agricolæ hiberno lætissima pulvere farra:
Lætus ager.

Non enim defuere, qui, dum se Astrologos ostentarent, ridicula quædam ad eum locum, libris editis, tradiderunt: duo esse Solstitia, æstivum alterum, alterum hiemale, de utroque Vergilium sensisse, pluviamque iis tum æstate, tum hieme, aliaque id genus monstra.

Longe vero aliter exponendum esse Virgilii locum, optimi Latinæ linguæ Auctores ostendunt. Solstitium enim pro Æstate, cui Hiems opponitur, ab ipso Vergilio usurpatum est, Ecloga septima:

Muscosi fontes, & somno mollior herba,
Et quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra:
Solstitium pecori defendite: jam venit æstas
Torrida: jam læto turgent in palmite gemmæ.

Lucretius lib quinto & ipse pro Solstitio æstivo, ut illi loquuntur, accepit:

Nec ratio Solis simplex, nec certa patescit,
Quo pacto æstivis e partibus Ægocerotis
Brumaleis adeat flexus, atque inde revertens
Canceris ut metas vertat se ad solstitialeis.

Ovidius lib. 1. de Ponto, Eleg. 4.

Longa dies citior brumali sidere, noxque
Tardior hiberna solstitialis erit.

Antequam, inquit Ovidius, ex Attici memoria mutua benivolentia effluat, æstivus dies, qui longiss. est, brevior fiet hiemali, & nox solstitialis, id est, æstiva, qui brevissima est, productior hiemali fiet. Idem lib. Fastorum sexto:

At, si non esset potus, dixisset eodem

Ven-

(a) De Poetæ mente non inutiliter disserit hic Taubman. cum Auct. nost. conjungendus: = Optari vult ea, quæ per naturam difficulter fiunt: qum possit utriusque temporis asperitas mitigari; æstatis quidem calor pluviis, hiemis autem nivosum frigus serenitate. Neque enim hic nives excludit: sed ejusmodi serenum intelligit, quod Austrinas illas & dilutiores pluvias arceat, niviumque humores frigore ac siccitate sua attemperet: ne scil. sata putrescant. Et nisi hoc agricolarum votum ad plures annos extrahas, *solstitia* dixit, pro *solstitium*, atque hoc quidem pro æstate tota: quomodo & *Hiemes* pro *hieme*, ut enim una hiems, ita unum revera solstitium est, nempe cum sol in octava Cancri parte finem facit auctus dierum. Cui opponitur *Bruma*: quam tamen τροπὰν χειμερινὰν Columella etiam *solstitium* indigitat, neglecto consensu opt. Scriptorum Lucretii, Varronis, Cic, Plinii, qui hoc semper observarunt. Vide P. Victorium in Varronem. Cic. 2. de Nat. Deor. *Solis accessus discessusque solstitiis Brumisque cognoscitur.*

Venturum tempus solstitiale die.

Horatius lib. Epistol. 1. ad Bullatium:

Incolumi Rhodos, & Mitylene pulcra facit, quod
Pænula solstitio, campestre nivalibus auris.

Solstitio, id est, per æstatem: cui opposuit, *Nivalibus auris*, id est, per hiemem. Brumam porro solstitio opponi, ex ipso Cicerone intelligimus; qui libro de natura deorum secundo sic scriptum reliquit: *Solis accessus, discessusque solstitiis, brumisque cognoscitur.* M. Varro aperte eandem rem explicat lib. de lingua Latina quinto, his verbis: *Alter motus Solis est, alter cœli, quod movetur a Bruma ad Solstitium. Dicta Bruma, quod brevissimus dies est; Solstitium. quod Sol eo die sistere videatur; aut quod Sol ad nos versum proximum est, Solstitium. Cum venit in medium spatium inter brumam, & solstitium, quod dies æquus sit, ac nox; Æquinoctium dictum.* Ex iis igitur constat, a majoribus servatum religiose, quod a minoribus depravatum est. Nam apud bonos Latinitatis auctores Solstitii nomen Solstitium æstivum duntaxat significat. Vergilii autem sententia est: adulto vere, qui proxime æstatem attingit, pluviam frugibus necessariam esse, unde alantur. Per brumam vero, & hiemem, serenitatem conducere. Macrobius lib. Saturnalium quinto, cap. 20. hos versus enarrat; & carmen rusticum antiquum profert:

Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra, Camille, metes.

F I N I S.



ANTO-

ANTONII
PANORMITÆ
EPISTOLÆ.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO.

NIhil est profecto ulterius in causa, cur accusemur ut segnes, vel ut incuriosi traducamur: Famæ non inviti consuluimus, Artiumque utilitati qua nos decebat ex parte satis bene prospeximus: Quæ fuerunt jam dudum edendæ Antonii Beccatellii Epistolæ, sine mora nunc prodeunt, ac libentiore tantum animo producuntur, quantum per illas ad ingenuas Disciplinas splendor non mediocris est adjungendus: Absit equidem verbo invidia, nostra hæc plane non est sententia, neque tantum nobis ipsimet fidimus, ut quidquam de nostro veluti penu depromamus, quod graviorum hominum sensu non confirmetur: Emunctæ, acutæque naris cum Bartholomæus Facius, tum Jovianus Pontanus tanti hominem ingeniosum duxere, quanti Elegantiarum Pater, jure habendus erat, Principum Virorum, quin etiam vel Regum familiaritate conspicuum. Præ manibus omnium sunt, ac in sermone versantur ea vetustatis monumenta, quæ Antonium produnt nobilissimum, vel ipse in suis Epistolis de se, de Parentibus, de Majoribus est loquutus, munerum, officiorumque suorum rationem vel ipse declaravit, nec non singula copiose, diserteque proposuit, quæ vel in litteris, vel in dignitatibus Virum præclarissimum affatim designant, ac denotant; Volumina Epistolarum sedulo pervestiganti nulla obrepere potest inscitia, neque aliqua rerum ignoratio subesse, quæ Beccatellii sive conditionem, sive studia propius attingunt, neque plus æquo in illa operam, diligentiamque conferimus, quæ nullis omnino involuta sunt tenebris; consulto propterea sive tempus, sive conscribendarum Epistolarum occasionem silentio præterimus, quæ vel una sunt lectione perspecta, & explorata; Hæc ad Auctorem porro nostrum referuntur, ad nos vero quod attinet; Incitamentum ad opus nobis quamplurimum subministrasse fatemur Josephum Pancratium Sodalem nostrum de priscis Siculorum monumentis optime meritum; Totus ille in Sicilia illustranda, eo præsertim ex Capite, quo Nummi Veteres, nec non cætera Antiquitatis exempla releguntur ex ordine, ac non multo post emittentur in lucem, nos quoque permovit, ac impulit, ut Epistolas Viri doctissimi item excreremus, quæ in pauca Exemplaria contractæ vel ipsa parcitate propemodum deperierant; id nempe Siculi nominis gloriæ vehementer prodesse videbatur, venustate, lepore, suavitate refertos, concinnos, urbanosque libros offerri, ostendique legentibus, qui restaurando, restituendoque ornato, & eleganti politiorum facultatum usui, suorum gratia vel Principem tenere locum Siciliam palam aperteque decernant; Id primo nobis ipsi proposuimus, cum mentem Beccatellio injiceremus, & illud num deinde sit præstitum, has pervolventi Epistolas facile non erit obscurum; Hoc etiam

nostra valde interest esse compertum, de sua contentione, cura, diligentiaque amandum esse præ cæteris V. Cl. Laurentium Meus, qui pridem impressum Beccatellianum Codicem cum MSS. fide exquisite collatum, mendis, erroribusque sublatis, pristino candori, nitorique exacte, perfecteque restituit; Multis non est cur hominem fama, & existimatione notum prædicemus: Norunt illum Viri litterati, proferuntque non inglorium libelli, quibus in jucundis Epistolis Latinitatis Restitutores eximii non sine Eruditionis commendatione juris publici sunt per illum facti; Assuetus nempe Urbi Florentinæ, Civiumque consuetudini, qui ad Virtutem sunt a natura comparati, nostram pro virili parte juvit Codicis Beccatelliani Editionem, quin etiam locupletavit, inde ad nos huc usque transmissis sex Epistolis nunc primum ex Riccardiano Cartaceo Codice in lucem erutis, quibus Beccatellii Epistolæ augerentur; Hæc te scire voluimus, Humanissime Lector, ut noscas quibus in Beccatelliana re maxima rependenda sit gratia. Nostrum postremo quod est, de Adnotationibus pauca. Videbuntur eæ fortassis nimiam in molem excrevisse, culpabuntque propterea non obtrectatores injuriosi, verum honesti Censores intempestivam adnotandi Cacoethen, quibus pro nostra ingenuitate non simulate respondebimus, ab eo nos more non recessisse, qui crescit in dies, hoc est imitationi adhærentes hominum doctissimorum, qui aliorum libros non sine cumulatissimis adnotationibus in medium producunt, nos pariter quantulumcumque per nos licuit, adnotationum vastam congeriem in Epistolis Beccatellii certatim conjunximus, non abs re alienum arbitrati ex multiplici rerum serie, quæ tamen haud alio ex fonte præterquam ex Nostri Auctoris Epistolis ducitur, nostro labori delectationem conciliare; unum monemus, Riccardiani Codicis Epistolarum argumenta nos in Indice ea collocasse ratione, ne Operi nunc primum edito aliquid nostri immisceretur; Religiosi nimirum & aliena jura custodimus, eaque agimus conditione, ut fideliter, integreque, perinde ut sunt reapse, non interpolata, non imminuta, aliorum scripta posteritatis memoriæ commendemus; Quod insuper vereremur, ne quis indiscriminatim, vel imperite Epistolas cum Adnotationibus simul una confunderet, & quod diversum penitus est, prorsusque dissimile, per summum dedecus in unum cogeret, uno, ac altero Indice, Epistolarum primo, deinceps Adnotationum seriem universam explicavimus, dilatavimusque, in quibus hoc est sigillatim, expresseque peractum, ut ad extremum cum Epistolæ, tum adnotationes recta, sanaque distributione, partite distincteque in unum veluti corpus coalescerent; Quamobrem si quis Indicem nostrum curiosius posthac conquirat, dispositum, ordinatumque deprehendet ea lege, ut in prioribus sex Epistolis argumenta primum appareant, adnectanturque reliqua subinde, quæ Gallicis Epistolis sunt præfixa, ac tandem ultimo collocentur, quæ ad Campanarum Epistolarum Librum spectant; longo ab his omnibus intervallo non distat Rerum, ac Verborum Index; Nonnullorum vel

hic

hic notam Censoriam pertimescimus, qui brevitatem sint accusaturi; Copiosiore scilicet Indice, gravi eorum judicio, singula fuerant demonstranda, ne quasi contracta, & astricta per injuriam confusione turbarentur; Istorum porro Virorum, uti par est, quam plurimi faciamus Auctoritatem, accusationem non gravate depellimus, eamque profitemur Indici contexendo Regulam præfuisse, ut nihil prorsus omitteremus, quod foret inibi collocandum; In idem propterea recidit rebus verbisque accomodata forma contractior, enimvero Indicis frons obducta, & aliquo pacto corrugata, sic inspicienti subito patet, ac si explicita esset, & exporrecta; nam quoquoversus omnia sparsa per Epistolas, ad Indicem undique confluunt, paginæque per illum attentius recensentur, ubi reperiri, legique singula prolixius valeant; Fidem igitur nostram quum impleverimus, constat Index numeris omnibus absolutus; Neque diligentiam nostram in Auctoribus adducendis desiderari curavimus, illorumque exemplaribus, ut plurimum, perlustratis, eos sine controversia protulimus, ac si res esset illuc aliquando deducta, ut Auctorum libri ad manus nostras venire neutiquam possent, probatis tantum ex Viris ipsorum verba decerpsimus, in Adnotationes nostras indubitate redacturi, quibus vel in Adnotationibus ubi nonnumquam Opinionum varietas dubietatis, disputationisque sit plena, disputationem omnem, ac dubietatem, nostra nunquam ex mente, verum prudentiorum, doctiorumque judicio tolli malumus, contenti nulla nostra definitione interposita, Auctorum mentem candide aperuisse. Unum te interea, Lector Humanissime, rogamus impensius, ut quæ Librariorum incuria mendæ, ac errores in Beccatellianis Epistolis irrepserant, ipse emendes & corrigas; Nostrum hoc certe erat, veruntamen quod ejusmodi correctionem non immodico labore perfici, nec sensus immutatione facta per Librarios erratum esse duxerimus, pro tua in nos humanitate id tuæ Eruditioni demandamus, tuæ interea benevolentiæ, voluntatique nos, ac nostra commendantes, quippe qui judicii tui approbatione nostrum in litteras amorem, nec inhonoratum, neque inauspicatum futurum esse tuti, securique confidimus. Vale.

ANTONII
PANORMITÆ
EPISTOLÆ SEX.

Nunc primum in lucem erutæ ex Cod. cartaceo Marchionis

GABRIELIS RICCARDII

SUBDECANI FLORENTINI.

ANTONIUS PANORMITA

CAMBIO VIRO MAGNO. (a)



Uemadmodum res illa communis processerit, partim intelligere potuisti, partim a Ferrufino Jurisconsulto accipies: cras ad te quidem iturus est. Quo vero, quoque succedat modo non ægre id feras te hortor, & rogo. Satis profecto agimus in . . . . dispositionem; neque tua tam incredibilis erga me diligentia quicquam potest, neque tam vehemens desiderium tecum manendi meum. Dii igitur ipsi faxint, quod neque tu summo studio, neque ego cupiditate incredibili potuimus. Fata nostra invenient, aderitque vocatus Apollo. Verum hac de re Ferrufinum auscultabis alterum mea quidem sententia Ulyxem, nisi quod fallere non gnovit. Eum virum unice diligas, ac magni facias; nam incredibili adversum me benivolentia flagrat, & prudentia tantum præstat, ut nisi tu ille esses, nemo magis. Amat te quoque singulariter vocalissimus profecto buccinator æstimationis tuæ, non quia tui quicquam indigens sit, sed quod insitum habet a natura, ut colat virtutem, atque probitatem præter omnes. De eo hactenus. Jocundissimum vero harum litterarum allatorem mea causa commissum habeas. Non abhorret a studiis humanitatis, & me observat. Adde, vir nobilis est non minus moribus, quibus est sane perornatus, quam progenie illustri, & Sicana, tuæque laudis abunde studiosus. Quid superiori meæ

(a) Vel ex eo vir magnus Cambius, quod ad eum in suam necessitudinem receptum eruditionis plenas litteras dederit Panormita noster, qui magnos, ac præclaros homines est admiratus, sibique familiaritate conjunxit in primis: non est, quod pluribus detineamus benevolum Lectorem, quem non mediocri oblectione captum arbitrabimur, quotiescumque aureæ ætatis Auctores, Latinæ elegantiæ plane parentes in his Epistolis indicatos animadvertet, quod non inglorius egit Panormita inter Latinitatis Restauratores postremo loco non habendus.

meæ epiſtolæ non reſpondes, non intelligo, niſi mollitiem animi mihi detegere nolueris, Permoleſte enim, ut audio, tuliſti eventum negotii noſtri. Sed debuiſti tantum libertati meæ gratulari, quantum incommoditati dolere, & quicquid in vita accidat lucrifacere, Vale, & ex Ferruſino noſtro ſi quid jocunditatis perceperis, renuntiato,

ANTONIUS PANORMITA

CAMBIO QUÆSTORI VIRO CL.

SI vales gaudeo: valere quidem te felicitatis meæ pars eſt. Quamprimum allatorem reperi, Titum Livium ad te mitto, quem tibi magnopere exſcribi deſideras. Facis & hoc ut cætera prudenter. Nam Livio nihil ferme ſuavius, aut gravius exſtat apud Romanos Scriptores (*a*), neque tuo illo excellenti animo quicquam dignius, aut convenientius tibi eſt, quam paſci, & excitari fortiſſimorum hominum exemplis. Cujus rei refertiſſimus eſt Livius tuus, quod tu plane gnoſti, non ſolum lectione, ſed & rerum imitatione a te plerumque geſtarum ſumma cum animi vi, atque patientia. Scipionem le-

(*a*) Livium *olentem Patavinitatem* Aſinius Pollio reprehendit apud Quintilianum, quod nonnullas dictiones Patavinis proprias, ac Romanis auribus Inſolentes in eo deprehenderit; quas tamen cum Salmas. In funere linguæ Helleniſticæ, tum Daniel Georg. Marhofius in lib. ſingulari de Patavinitate Liviana nullas illi ineſſe acerrime contendunt, vel ſaltem nulla earum veſtigia in ſcriptis Livianis, quæ modo ſuperſunt, extare; Livii volumina abolenda quondam cenſuiſſe Caligulam narrat Svetonius, ac in hiſtoria negligentem Livium pronuntiaviſſe, quem alii dixerunt prodigiorum nimis frequentem prædicatorem, ac in quibuſdam mentitum plurimi, inter quos Vopiſcus: Præ cæteris audiamus non infirmæ notæ virum Jo: Brodæum; *Livium citare quid attinet, ſempiternum Gallorum adverſarium. . . . cujus fides merito infamatur, atque ut invidiæ plena ab Antonino Pio . . . ut gloria a Plinio . . . ut mendacii ab Auguſto, Livia-Maſtige ſcilicet, Pompejanum eum appellante, ut perperom cum Halicarnaſſeo, Diodoro, Polybio, a multis ut ſecum pugnans, a Laurentio Valla, ut fabuloſa veluti de Caco, & Evandro liquet notatur lactea illa ubertas &c.* plura videantur apud Jo. Albert. Fabricium in Biblioth. Latina; nos aliqua hunc in locum diligenter conjecimus, ut quæ noſtra ingenua eſt conſuetudo, Livium cum accuſatoribus non vulgaribus, cum non mediocribus accuſationibus non carere demonſtremus; ſummo tamen a Panormita noſtro in pretio habitum non tantum ex hac Epiſtola ad Cambium data, verum ex iis cognoſcere licet, quæ ad Alphonſum ſcripſit: *Sed & illud a prudentia tua ſcire deſidero, uter ego an Poggius melius fecerit; is ut villam Florentiæ emeret, Livium vendidit, quem ſua manu pulcherrime ſcripſerat, ego ut Livium* (aureis viginti ſupra centenos) *emam, fundum proſcripſi.*

legis vehementissime ad virtutem, probitatemque excitari solitum, quotiens simulacra majorum suorum intueretur. Silvium quoque poetam non ignobilem totum inflammari ad studia sacræ poeseos, utcumque P. Virgilii sepulcrum inspiceret. Quid putem te facturum legendo dicta, & facta Camilli, Fabii, Curii, Decii, & prope innumerabilium virorum, quos apud Livium offendes? Facile quidem imitamur, quæ nobis natura ingenita sunt, sicut perdifficile est quicquam niti invita, ut ajunt, Minerva, hoc est repugnante natura. Oblecteris igitur quoad libeat meo hoc, & tuo codice. Nam sive eloquentiam concupieris, sive animi excellentiam, utrumque apud hunc divinum historiographum venari potes jocundissime. Sed tu plenius hoc gnosti, ut supra dixi, & ego sane stomachosus, qui te ad bonas, & jure optimo tuas artes exhortor. Cæterum tuo amore ita afficior, ut mehercule te vel Jovem fieri peroptarem, Vale, & cum librum susceperis, mihi significato,

ANTONIUS PANORMITA

CAMBIO VIRO AMPLISSIMO.

PRopertium autem jocundissimum poetam recepi. Pergratius mihi tamen, & beneficentius fecisses, illum tuo usui detinuisse. Quamquam tu Pyrrhum inclytum illum Regem imitatus malis homines ipsos tibi obnoxios, atque deditos, quam ullis hominum flecti facultatibus. Verum haudquaquam efficies certe scio, quum & meæ quoque res tametsi tenues tibi debeantur. Facile quidem, & benignum fuerat ejus libellum acceptare, cujus animam, atque animum possides. De Plauto quod ais, tecum juxta sentio. Et ita me Dii ament, principio nolui tui nomine accipere, alias ascribere manu propria. Sed tot benivolorum precibus adversari nequivi, qui jusserunt, ut nosti, in Plautum potius commentaria, quibus idcirco magis assensi, nam putavi eo pacto permultis prodesse. (*a*) Tum eo libentius id aggressus sum, quod nonnullis

 be-

(*a*) Ad permultorum Virorum Illustrium Commentaria, sua quoque accedere, non tantum in hoc loco Panormita, verum & in aliis Epistolis ultro dicit, quarum loca videre est in Bibliotheca Latina Fabricii.

bene litteratis hominibus dura nimis provincia visa est, & res omnino desperata. Sed ait ille quo difficilius, tanto praeclarius. Quod si Plautum habeas, illum ad me velim dimittas, aut istic cura, ut habeas. Equidem tibi illum recognoscam, & emendabo. Ego meum satis elimatum jampridem Aurispæ cuidam librum maxime appetenti dono dedi. Impræsentiarum fero Plauto quodam Ferrusinorum nostrorum utor. Eum illum, si tute alium non miseris, tua causa retractabo. De Plauto satis. Albium Tibullum quum primum invenero, qui deferre non gravetur, ad te mittam. Vale.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO CREMONÆ.

NUdius tertius cum essem aliquanto securus, & ociosus dedi litteras Aloysio Croto viro magno quorumdam judicio non injocundas, meo quidem insulsas, & ineptas. Verum sane statueram illas continere penes me, non efferre. Sed tantum voluerunt amicorum, aut familiarium preces, ura me simul extorserint, & emiserint. Vide non par fuerat me fuisse feminam; ita omnibus facilis, & placabilis sum. Id mihi vitium profecto, si vitio dandum est. Conjunctis mihi benivolentia nihil abnegare possum. Pudet me quidem tale litteris mandasse, & editionis tædet, pigetque. Quare te magnopere rogo permutare renuntia, quam in partem accepit ineptias meas vir ille gravis, & amplissimus, ut siquidem moleste, succenseam amicis, imo extortoribus illis meis nihilque posthac faxim a me exoretur. Sin læto animo accepit, extortoribus, imo amicis illis gratias agam, & quidem ingentes. Item Cæsari nostro litteras exaravi. Quid de his visum fuerit Mœcenati meo, id etiam te pulso, mihi ut rescribas. Nam ab eo id ipsum petere, non esset actionum suarum, neque prudentiæ meæ. Illi me quotidie jocundiorem redde. Nihil optabilius a te peto. Vale cum præclaris adolescentibus, & dulcissimis nostris Palatiis.

AN.

ANTONIUS PANORMITA

MARCOLINO FRANCISCO PICCININO, ET DOMINICO ADOLESCENTIBUS.

ID primum in epiſtolis ad vos meis inſtituo, nunquam vos, quos virtus egregia, & parva ſtudia devinxerunt, ſeparare. Illos igitur quinterniones ad Plautum, quos Ferrufinus noſter Juriſconſultus ſingularis ad vos attulit, remittatis peto, ac rogo retractandi quidem ſunt, ac corrigendi, in quibus ſi quid legeritis, quod aures impleat, gratias habeatis noſtris majoribus, a quibus fere omnia fuimus aucupati. Si quid autem offenderitis veſtro quidem animo obſcurum, dubium, aut in curia prætermiſſum, Gaſparinum nobilem Grammaticum patrem, ac præceptorem noſtrum conſulite veluti delphicum quoddam oraculum, cujus ſcientiæ, atque doctrinæ ut folio Sibyllæ fidem adhibeatis vos hortor, ac moneo; vir meo judicio, quos noſtra ætas fert, eruditiſſimus eſt, & vere orator, ideſt vir bonus dicendi peritus (*a*). Valete meæ deliciæ; & Mœcenati noſtro me etiam, atque etiam commiſſum, & deditum facetote.

ANTONIUS PANORMITA

FRANCISCO BARBARO, ET ALOYSIO CROTO VIRIS ILLUSTRIBUS.

NOn me latet, o viri humaniſſimi, quantopere in me augendum, atque honeſtandum ſtudueritis, atque ſtudeatis quotidie, neque ejus præſertim, quod ſumma induſtria,

(*a*) Adduci non poſſumus, ut credamus *Virum bonum dicendi peritum* tantum, Oratorem eſſe: *Mea quidem ſententia*, ait Tullius de Orat. 1., *nemo poterit eſſe omni laude cumulatus Orator, niſi erit omnium rerum magnarum, atque artium ſcientiam conſequutus, etenim ex rerum cognitione efflorefcat, & redundet oportet Oratio, quæ, niſi ſubeſt res ab Oratore percepta, & cognita inanem quamdam habet elocutionem, ac pene puerilem.* Hac ratione ſi Panormita Oratorem intelligat, pro *viro bono dicendi perito*, ab ejus ſententia non recedemus, a qua non eſſe, alio ſenſu Orator acceptus, nos quidem compellet.

ſtria, parique caritate effeciſtis, ignarus ſum. Qua quidem in re ſi minus felices, neque voti compotes evadere potueritis, non minores propterea vobis laudes, ac gratias habeo. Voluntatis beneficium modo ſit ſimplex, ampliſſimum eſt. Cæterum ea de re, ut fatear mollitiem animi mei, non poſſum non aliquanto commoveri non lucri quidem, ejuſque pauciſſimi ratione, ſed cum iſtius divi Principis laudi, & gloriæ inſervire, & inſerviendo tempus terere jampridem concupiverim, id mihi ſive meo, ſive ſuo potius fato denegetur. Afficior equidem tædio quomodo in hunc Principem, & quidem præcipue, eaque benivolentia, ut dicam, hæreditaria eſt. Nam & majores mei omnes in eum prolixe flagrarunt; & qui nunc exſtant, & extant ſane quamplurimi, incredibili quadam affectione eum complectuntur. Sed miſſis eis ego inquam enixiſſime curavi, imo vos potius, ut ſi quid ingenio præſtare, ſi quid doctrina, ſi quid induſtria, id unum quantum eſſet Cæſari veſtro tributum, atque dedicatum eſſet. Id quamquam minime aſſecuti ſumus, lucro deſignemus, & quicquid in vita accidit, in bonam, partem accipiamus. Ego quidem ea ratione conſolari potero, quod per me certe non ſteterit, quominus illi me dederim, & meas muſas. Vos autem, quod liber remenet, poteſtis amici, & familiares noſtri libertati habendæ gratulari. Proprium enim libertatis eſt ſic vivere ut velis, quo per immortalem quid jocundius, quid beatius, quid denique præclarius vel optare, vel præſtare, unquam mihi poteris? Quod ſi Principibus terrarum obſtringi deſideravero, neque ante hac defuerunt, qui magnopere expeterent, neque impræſentiarum deeſt, qui mihi grandem pecuniam offerre faciat, & jam veſtris hiſque regionibus, qui ſi progenie, potentia, aut virtute par nequaquam ſit Cæſari veſtro, eſt tamen hic ſuus animus amabilis, & in poetas tanta affectio, tantaque immortalitatis cura valde admirabilis ſovenda pro virili potius, quam omnino deſideranda. Ego autem quid deinceps conſtituam, incertum habeo. Illud certe ſcio, quocumque me contulero, mei prius obliviſci poſſe, quam veſtræ humanitatis, & hujus tam incredibilis in me beneficentiæ. Gratias, quas vobis habeo, immortales, ſi quando ociosus fuero, muſæ perſolvent memores quidem illæ,

&

& haudquaquam ingratæ; Divum vero Principem vestrum non proinde remissius quicquam diligam. Verum quominus sibi obnoxius fuero, eo magis illum exornare studuero, ut postquam tenui Salario (*a*) me sibi voluerit obligare, ego mihi illum Carminibus, & Musis devinciam meis. Ingens mihi Salarium fuerit libertas, cœleste vere munus & inæstimabile. Valete.



[a] *Salarium* vox latina ex verbo *Sal* in Latium inducta, ut denotaretur Tribunorum Militarium, & Ducum annona, sive quod nihil magis Sale necessarium foret ad victum, sive quod percepium Salarium Tribuni, ac Duces in alimenta conferrent: Hujus rei meminit Plin lib. 31. cap. 7. *Honoribus etiam militiæque interponitur, Salariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate*; Ejusmodi quoque vocabulo, quod subinde latiur patuit, ea complexi sunt Auctores, quæ ad commodum, stipendiumque Militum pertinerētsac *Salarium* est appellatum quidquid sumerent de Publico Præsides, quod ad cætera præstatio Salis accederet, quem Augustus morem quum sustulisset: *Auctor fuit* ait Svetonius in ejus vita cap. 36. *In Proconsulibus ad mulos, & tabernacula, quæ publice locari solebant, certa pecunia constitueretur*, tametsi posteriorum Imperatorum jussu ex Augusti sententia non tantum *Salarium* Provinciarum Præsides acquirerent, verum argentum, vestes, mulos, equos, una cum ministerio, ac reliquis, quæ necessaria ducerentur: *Ita ut Præsides Provinciarum*, ex Lamprid. cum Salmas; *acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, cocos singulos.*

ANTONII
BECCATELLI
Cognomento Panormitæ.

EPISTOLARUM.

LIBRI V.

ANTONII BECCATELLI
S I C U L I

Cognomento Panormitæ

Epiſt. Gallicarum Libri Quatuor ;

Accedit etiam

Ejuſdem Epiſtolarum Campanarum

L I B E R.

LIBER PRIMUS.

ANTONIUS PANORMITA, FRANCISCO ARCELLIO *SORORIO* (a) *SUO S. P. D.*

EPISTOLA PRIMA.

Ad Uxoris Fratrem a se olim conscriptas Epistolas mittit.

EX his literis, quas olim juvenis conscripsi in Gallia Cisalpina sub optimo omnium Principe Philippo Maria, paucas admodum, quæ penes me remanserunt, vel postea in manus pervenerunt, in unum conjectas tibi mitto, Francisce Arcelli decus adolescentiæ. Non quod existimem te, qui Ciceronis epistolas legendo conteras, a meis eloquentiam desideraturum, sed quod magnam te voluptatem percepturum credam, cum ex earum lectione juventæ meæ

D hi-

(a) Ad vocabulum *Sororium* quod attinet, id omne Auctores Latini dixere *Sororium*, quod ad Sororis jura spectaret: *Sororia* stupra recensuit Cic. pro sext. *Qui enim in ejusmodi vita nervi esse potuerunt hominis fraternis in flagitiis, Sororiis stupris, omni inaudita libidine infamis*: Oscula *Sororia*, casta videlicet, ac honesta Ovid. commemoravit Metam. 4.

Poscenti Nimphæ sine fine Sororia saltem
Oscula, jamque manus ad eburnea colla ferenti,
Desinis, aut fugio, tecumque, ait, ista relinquo.

Cœna Sororia, quæ nempe Sorori nuper nuptiæ dari consuevit, ex Salmas; quemadmodum vocata est *Adventoria cœna, quo adveniente Amico, totoque instructum est convivium*, meminit Plaut. in Curcul. Act. 5. Sc. 2.

Tu ut hodie adveniens cœnam des *Sororiam*,
Hic *nuptialem* cras dabit.

Præterea ex Dionys. 3. *In Angiporto, qui a Carinis ducit ad vicum, ubi & aræ manent tunc positæ, & lignum super eos transversum infixum duobus inter se adversis parietibus, quod capiti exeuntium imminet, nomen Tigillo Sororia fuit*, quod in vetere illa via, qua a Carinis in vicum Cyprium transitus patebat, ut a cæde Sororis expiaretur, Horatio fuerit permeandum: Rem diligenter persequitur Livius lib. 1. 26. *Is*, Horatium Patrem subaudi, *piacularibus quibusdam sacrificiis factis, quæ deinde genti Horatiæ tradita sunt, transmisso per viam Tigillo capite adoperto, velut sub jugum misit Juvenem: id hodie publice quoque semper refectum manet*; Sororium Tigilium *vocant*. Cæterum vox, *Sororius*, excogitata ad exprimendum, sive Uxoris, sive Sororis Fratrem, quem Italice reddimus *Cognato*, nova prorsus est, atque inusitata, eamque sub ævi sequioris tempora, Inscript. Pag. 1052. num. 11. apud unum Gruter. invenies.

historiam colliges; atque deprehendes. Quales enim Principes, quales amicos, quales mores, qualia demque literarum studia in ea ætate coluerim, facile inspicies, quo facilius possis dignoscere, cui Lauram sororem tuam, forma, genere, & in primis morum sanctimonia insignem nuptui collocaveris. Nam quum sim ego in tua ista inclyta Civitate Neapolitana peregrinus, non potui tibi vitæ meæ promptiores testes proferre, quam epistolas meas; in quibus non tantum ingenii vim, aut doctrinæ lumen, si quod modo inest, sed animi, ac probitatis specimen intueri licet. Praeclare Socrates, *Mentis effigies extat oratio*. Posito itaque aliquantisper Cicerone familiares interim meas vise, & quod accidit lectione gravi, & seria fastiditis nugas lege, & si tibi quoque videbitur, Joanni Pontano Poetæ, & viro suavissimo legendas imparti. Vale.

PHILIPPO MARIÆ INCLYTO
Mediolanensium Duci

ANTONIUS PANORMITA S. P. D.

Epistola Secunda.

Se, suaque omnia Philippo devovet, arreptaque occasione Poesim laudat.

ETsi majores mei omnes, Illustrissime Princeps, erga divum tuum genitorem, nec minus in te semper, atque vehementissime fuerint incensi, & qui supersunt quasi hæreditaria quadam affectione omnes te una prosequantur; ego non solum patrio, & avito amore, sed etiam tuarum prope divinarum virtutum admiratione te jam pridem unice, ac religiosissime colui. Nam sive quotidiana exempla clementiæ tuæ audiam, sive humanitatem, atque pietatem, sive excelsi atque invictissimi animi fortitudinem, gravitatem, justitiam, non possum erga te non inflammari supra modum. Sæpe vel maxime cogitavi quanta animi pruden-

tia,

tia, ſapientiaque polleres cum in cæteris rebus, tum in rei militaris potiſſimum diſciplina, ut nonnumquam de te recte dici poſſe judicaverim, quod de Romanis viris illis illuſtribus veteri proverbio dicebatur, *Romanus ſedendo vincit*. His atque aliis tuis, Princeps digniſſime, ornamentis adlectus, jamdudum ad te ire conſtitui, ut ſi quid ingenio, doctrina, aut induſtria valerem, id tuo jure quodammodo uti poſſes quaſi re quadam tibi debita pro divi tui parentis in meos omnes immortalibus beneficiis: ego autem, ut de me aliquid a me ipſo intelligas, uſque huc ſacræ poeſi, atque humanitatis ſtudiis meam omnem operam navavi; in quibus ſi quid evaſiſſe me fortaſſe ſenſeris, id quantulum eſt, tuæ laudi, tuæque gloriæ oblatum, atque dedicatum eſſe ſcias; idque a me munuſculum, quod tamen tanti eſt, quanti tu feceris, ſuſcipias, foveaſque te oro, atque obſecro. Summæ quidam auctoritatis vir ſemel interrogatus, quid nautis opus eſſet, reſpondit *ventis*, rurſum quid colonis opus eſſet; reſpondit *pluvia*, tertio quid principibus, reſpondit *Poeta* (a) Et recte, mea quidem ſententia, nam ut nautas, & colonos omittam, quid per immortalem Deum Princeps indigere poteſt, niſi immortalitate, quam non pecunia, non potentia, non denique virtute ipſa comparare quis poteſt, abſque poetarum auxilio? Quot putas extitiſſe viros, & domi, & militiæ præſtantiſſimos, quorum quia doctis ſcriptoribus caſſi fuerint, nulla extat apud homines laus, neque memoria? Contra quot exiſtimas fuiſſe non dico ſummos, ſed ne mediocres quidem viros, quos tamen immortali laude perſpicuos poetæ reddiderunt, & exempla quædam fortitudinis reliquerunt apud poſteros; poetas primum ex hominibus Deos introduxiſſe

(a) Mirum prorſus hac in re Alexandri Macedonum Regis exemplum affert Plutarchus; Ad Sigæum Troadis Promontorium, ille quum veniſſet, ubi litavit Minervæ, ſingulisque Semideis juſta perſolvit, circumiit nudus Achillis ſimulacrum, beatumque dixit adoleſcentem eam dumtaxat ob cauſſam, quod *ſuæ virtutis Homerum præconem inveniſſet*; Id commemuravit v. Libro Epiſtolarum Familiarum epiſt. XII. Tullius, nec non Silv. Italicus, cujus hæc ſunt carmina.

Felix Æacida, cui tali contigit ore
Gentibus oſtendi, crevit tua carmine Virtus.

ſe proditum eſt. Magnam mehercule, & admirabilem poetarum vim, ſiquidem homines ex humo creatos, modo velint, cœlo, pene dixerim donant, tum poſteros illuſtrant, & exemplo majorum incendunt ad immortalitatem, & ut mortui etiam proſint, efficiunt. Et ſane uti aqua, atque igni neceſſario indigemus in vita, ita poſt demigrationem virtuti omnino perneceſſaria ſunt monumenta literarum, alioquin, quod difficile dictu eſt, virtus interit. Hæc ego, Princeps humaniſſime, non ideo ad te ſcribo, ut velim, aut poſſim tibi perſuadere me unum eſſe, qui egregia tua, & quidem utriuſque fortunæ facinora pro dignitate queam perpetuitati commendare; non adeo quidem inſolens, aut mei amans ſum, ſed ut intelligeres, me illum eſſe, qui tuæ laudis, ac gloriæ percupidus exiſterem; quique, ſi quid in me virtutis eſſe judicaveris, id, ut dixi, tibi uni offero, tibi uni devoveo, tibi uni trado. Mihi vero pro felicitate maxima erit, ſi quando tuam gratiam iniviſſe me ſenſero, & denumerari vel inter pediſſequos (a) Celſitudinis tuæ; magna quidem conjectura probitatis eſt, & laus non ultima, Principi, ſummoque viro collibuiſſe. Vale decus Principum.

PHI-

(a) Vox omnino latina, qua uſus eſt ætatis aureæ Scriptor Terent. Andr. I. I.

Accedo ad *Pediſſequas*.
Quæ ſit rogo. Sororem eſſe ajunt
Chryſidis.

nec non Cicer. ad Atticum lib. 2. *quæ mihi videtur una concionula clamore* Pediſſequorum *eſſe peritura*

Pediſſequus autem eſt famulus Domini veſtigia legens, vernacule *ſtaffiere*. Transfertur etiam a ſervo ad illum qui cuipiam Auctori vel Magiſtro adhæret; *Idcirco*, ait Tullius de Orat. cap. LV. *iſtam juris ſcientiam eloquentiæ tamquam ancillulam, pediſſequamque adjunxiſti.*

PHILIPPUS MARIA ANGLUS

Dux Mediolani, Papiæ, Angleriæque Comes,

ANTONIO PANORMITÆ

Siculo, pro excellentia sua Poetæ non minus admirando, quàm insigni. Salutem.

EPISTOLA TERTIA

Perceptam ex illius Epistola voluptatem declarat, suam ipsi gratiam pollicetur, eumque per literas invitat, ut apud se diversetur.

Reddita nobis epistola, quam ex te nuper habuimus, eo verborum ornatu, eaque suavitate, & poetica gravitate prævaluit, ut animum nostrum aliis, & non levibus quidem laborantem curis, sicut Principibus interdum accidit, dulcedine multa repleverit, & antiqui amoris vires, quem tu in nostram Prosapiam, (*a*) & in tuam olim nostra gesserit, suscitaverit. Non est, Antoni, nobis ea virtutum copia, quibus majores nostri claruerunt; verum etsi in eo longe dispares sumus, non abest animus, non intentio eos ipsos, & aliorum vestigia, quo melius poterimus, imitari. Patriam ipsi tuam quantacumque est, sed amplius qui tibi conjuncti essent continua benevolentia prosequuti fuerunt, itidem ergo à nobis agendum esse censemus, eaque firma, & immutabilis dispositio est nobis. Sed cum ipsi, quibus amplior erat auctoritas, & potestas, progenitores tuos in servitores (*b*) haberent; nos majoribus nostris inferiores te ipsum in filium habere disponimus:

E nec

[*a*] Vox antiqua cum Ciceroni, tum Quintiliano, cujus varia est inflexio apud Festum, & Nonium; vocatur ab altero *Prosapia*, ducta significatione ex Verbo *Sipare*, quod est *Jacere*, additaque propositione *Pro* consurgit *Projicere*, sensusque concinnatur: *Sparsis, ac quasi jactis Liberis, Prosapia*, nempe *Progenies*, dicitur; ab altero *Prosapies* appellatur, hauriturque a *Prosipando*, aliis *Præsupando*, nonnullis *Prosupando*, quod est *Proferre*, sive *Proserere* ex plerisque, ac inde *Prosapies* videtur *Antiqua Progenies*, seu quod idem ferme sonat, *Generis longitudo*; cujus quidem vocabuli, si ex Græcis petatur ἐτυμολογια ad illud referetur, quod vulgo Προπάτορ Græcis est, videlicet *Avus*, *Progenitor*, *Generis Auctor*; ejusmodi voce *Prosapia* inter latinos Auctores usus est Sallustius in Jug., ac Plautus in Curculione *Act.* 3. *vers* 23.

De Coclitum *Prosapia* te esse arbitror,

Necnon præter aurei ævi Scriptores, alii quamplurimi.

[*b*] *Servitores* iidem hoc in loco ac latinis *Domestici*, & *Familiares*; id autem nominis genus prodiit ætate deteriore, latinitate in Barbariem conversa, eaque de caussa recensendum inter *Exotica*, quod præsertim nullo muniri valeat sano latini sermonis testimonio; illo usus est Iso Magister in Glossis: *Cliens*, *Servus*, *vel Socius*, Servitor, *Amicus minor*; Insuper Eckerard. Junior de casibus S. Galli cap. 8. *Cralo*, ait, *clam assumpto VVaningo Fratre*, & *paucis Servitoribus in Franciam venit*;

nec ſane immerito, cum & tu non modo tuos, ſed inſuper alios hujus ætatis noſtræ viros tua virtute dicaris excellere: quæ digniſſime facit, ut & aliis in dilectione noſtra præponendus ſis. Multas nobis laudes attribuis, quæ nec ex meritis noſtræ dictæ ſunt, nec rebus a nobis geſtis certe conveniunt: utinamque virtutes noſtræ tantis laudibus pares eſſent, ſed teipſum admonet quam in nos habes adfectio (*a*). Eſt enim a natura traditum, ut quos diligamus præſtantiores, & clariores judicemus. Solent præterea tam poetæ, quam cæteri quos diligunt, & in amicos habent, laudibus illos extollere, quibus eos refulgere deſiderant: perlibuit tamen omnes epiſtolæ partes audire, & quicquid ex te prodierit, uſque qua libenter audituri ſumus, ipſumq; omnipotentem, & immortalem Deum oratum facimus, ut geſta noſtra præteriti, & futuri temporis pro ſua clementia tanti faciat, ut a multis tuis extolli, atque illuſtrari mereantur. Magno autem deſiderio viſuri te ſumus, vivamque vocem audituri: ex qua tantus affluit ornatus, tanta verborum gravitas, tanta ſuavitas, brevique futurum eſſe confidimus, ut detur habilitas, (*b*) hoc deſiderium noſtrum implendi, & alter alterius poſſit gaudere præſentia. Vale.

PHI-

Viſum & hoc nomen *Miniſterium* indicare, quo priſci temporis Catholici homines ſummo præ cæteris habebantur in pretio; hoc declaratur imprimis ex quadam Inſcript. Rom. in Rom. Subterran. lib. 2. cap. 22. *Euſtathius humilis Peccator Servitor Beati Marcellini Martyris*; Inſuper etiam ſcribitur in Epiſtola Gildæ ad Rabanum Monachum, eaque inter Hibernicas eſt XXI. *Servitor Chriſti*; in Synodo Romana II. ſub Silveſtro Papa memoratur *Servitor Eccleſiæ*, nec non Epiſtola Nicolai II. Pontificis Maximi penes Hugonem Flaviniac. ad Rutenenſem Comitem data complectitur *Servitores Sancti Petri*, eoſdem ſane, ac *Miniſtros*.

[*a*] *Affectio*, ex Tullii ſententia, rectius, atque accuratius, ea, quæ vel intimam, vel exteriorem rerum naturam propius afficit; hinc impetus, quidam, ac nonnullæ perturbationes quibus humanus animus non raro commoveri ſolet, ut *lætitia*, *cupiditas*, *metus*, *moleſtia*, cæteraque hujuſmodi *animi affectiones* dicuntur, appellaturque præterea, *Bona*, ſeu *prava corporis affectio*, *ſalubritas*, *morbus*, *debilitas*, vel ſimile quidpiam aliud, quod *ex tempore aliqua de cauſſa commutatia* credi valeat; *Statum*, reique *Conſtitutionem* interdum *affectio* ex eodem Tullio ſignificat; inde quæ vulgo *Cæli* eſt *Conſtellatio*, de Fato, ab ipſo appellatur: *Aſtrorum affectio*, ac in lib. 2. de Divinat. cap. XLVII. *Fac*, inquit, *in puera referre, ex qua* affectione, Cœli, videlicet *Cæli conſtellatione*, *primum ſpiritum duxerit*; *Affectio*, ut hoc in loco, quæ *Amor*, *Benevolentia*, *ac Studium* eſt, Gellium habet Auctorem lib. X. Cap. XVIII. *Ultra* affectionis *humanæ Fidem*, & reperitur in Veter. Inſcript. Gruter. *Ob affectionem, & pietatem in ſe eximiam*.

[*b*] *Habilitas*, nempe *Convenientia habitudo*, vox & ipſa Ciceroniana; *Omitto*, ait idem Tullius de Legib. Cap. IX. *Opportunitates*, *habilitateſque reliqui corporis*; hoc ex Subſtantivo nomine fluxit adjectivum *Habilis*, quod & Cicero uſurpavit de Orat. I. Cap. 54. *Si mihi Calceos Sicyonios attuliſſes, non uterer, quamvis eſſent* Habiles, *& apti ad pedem, quia non eſſent utiles*; Virgil. Æneid. 9. 303.

Sic ait illacrimans: humero ſimul exſuit Enſem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnoſſius, atque *habilem* vagina aptarat eburna.

Habilem ſumens pro eo quod eſt *aptum*, *accomodatum*, *& optime quadrat*, ut ſenſus videtur innuere.

PHILIPPO MARIÆ INCLYTO

Mediolanenſium Duci

ANTONIUS PANORMITA S. P. D.

EPISTOLA QUARTA.

In ejus fidem ſe receptum eſſe plurimum gaudet, litteratos homines, ac Poetas præcipue apud veteres, Principum virorum gratia floruiſſe teſtatur, ſuique fore dicit illius laudes celebrare.

FAtebor ingenue præſertim apud te Princeps ſereniſſime, cui non minus animi ſimplicitatem, ſinceritatemque debeo, quàm reliqua ſi qua ſunt in me officia: cum legiſſem nuper epiſtolam tuam ad me ſuaviſſimam quidem illam, & ex tua vena, *(a)* tuaque humanitate vere proficiſcentem, non potuiſſe contineri, quin lætitia quadam geſtiente diffunderer, & quaſi triumphare mihi viſus ſim, quanquam id molle, atque indecorum eſt, nec certe ſecus quam dolore quempiam premi, contrahique: ego tamen is ſum, qui cum legò, atque audio tuam erga me, majoreſque meos gratiam pergere, non poſſum non gaudere ſuper modum, & præ lætitia non medius fere diſrumpi, clament in me licet philoſophi, vitæque duces, ac magiſtri. Ego a ſummo viro dilectus non gaudeam? a ſevero, & juſto judice laudatus non exultem? a ſapientiſſimo Principe probatus non glorier? ſane qui Principi hujuſmodi placuerit, is & a reliquis commendatiſſimus ſit oportebit, quaſi jam periculum fecerit & virtutis, & ingenii ſimul. Feciſti præterea, Philippe Princeps, ut quemadmodum equi fortes audita tuba, ac claſſico ad prælium incendi conſuevere, ſic ego viſa hac caritate tua toto quidem ſpiritu concitarer ad laudem, & amplitudinem nominis tui, & ſi qua vis ingenii mihi ſit, eſtq; ſane tenuis, eam tamen

(a) *Vena* per translationem priſcis vis ingenii fuit, qua homo indole, ac vi genuina ad quidpiam agendum cenſetur idoneus; Ducta autem eſt *Metaphora* a fontibus, quorum alii anguſtiore meatu, alii uberius fluunt, eaque ratione decurrunt, ut vel in rivos coarctentur, vel concreſcant in fluvios; manare etiam potuit translatio a metallis, quorum venæ multiplices non genere tantum, verum & copia differunt; Et *vena* pro ingenio accepta ad facultatem extenditur qua Poetæ ad carmina condenda ſe comparant; Eo ſenſu ait Horat. lib. 2. Carm. Od. XVIII.

At fides, & ingeni
Benigna vena eſt; pauperemque dives
Me petit.

Et in Epiſt. ad Piſones v. 408.

Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quæſitum eſt; ego nec ſtudium ſine divite *vena*,
Nec rude quid proſit video ingenium: Alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

Cæterum ab Auctore noſtro *vena* hic quoque latine dicta videtur, quod ex illius ſignificatione ingenium appareat ad liberales diſciplinas aptum, & expeditum.

tamen mirum in modum excitaveris, adauxerisque. Qua ex re non ego quidem, cum digne neutique possem, sed illustrium virorum animæ, quorum judicia mori non sinis, gratias tibi & habebunt, & persolvent. Scipio in primis ille superior qui quantopere in Ennium flagrarit, hinc facile deprehendimus, quod sepulchro eodem cum poeta contumulari voluerit. Divus item Augustus quis nesciat qua benevolentia, & beneficentia Virgilium, Horatium, (*a*) Varrum fuerit amplexus? sed ut omittam cæteros, quis non laudet & admiretur ob id saltem Neronem ipsum, qui cum alioqui crudelis extiterit, & immanis, solum in poetas facilis, & benignus inventus est, & quidem usque adeo, ut statim edito poemate Eximium quendam adoptasse traditum sit. (*b*) Ego vero Princeps humanissime etsi certus sum nequaquam posse tuas, aut divorum patrum res gestas pro dignitate litteris intexere, attentabo tamen ea ex parte tibi qualem potero gratiam referre. Nam si quidem tuis rebus, ac gloriæ par ingenium expectas, vereor ne præstantia virtutis, ac probitatis tuæ tibi nocumento futura sit, hoc est neminem usquam comperias, & interim Virtus ut sit obliteretur tua. Quare meo quidem judicio, principium fecisse præstabit, idque cordi est, quando & id tibi gratum fore intellexi. Vale, & triumpha.

PHI-

(*a*) Carpunt, nec injuria, plerique saniores interpretes Servium, qui in Eclogam IX. Virgilii *Varum* perperam accepit pro *Vario*: alter enim diversus ab altero, quum Varius Poeta fuerit non contemnendus, de quo Horatius Carm. lib. 2. ad Agrippam Ode VI.

Scriberis *Vario* fortis, & hostium
Victor, Mæonii carminis alite,
Quam rem cumque ferox navibus, aut equis
Miles, te duce gesserit.

Contra vero de *Varo* dissident vehementer Auctores, quorum nonnulli *Varum* Coplarum Ducem, plerique *Varum* Juris-Consultum, pauciores *Quintilium Cremonensem*, & *Vari* nomine ornatum, commemorant; sua cuique sententia maneat, unum tantum nos addimus, sub Augusti ætatem videlicet utrumque vixisse & *Varium*, & *Varum*, alterum quidem legionibus Præfectum, & Consulatu perfunctū anno Urb. Cond. DCCXLI. & alterum Epicum Poetam, qui ejusdem Augusti laudes Epico carmine est persecutus, & Tragedias præterea scripsit; Augusto inde accepti fuerunt, & *Varus*, & *Varius* alter bellicæ rei gloria, cujus tamen exitus fuit inauspicatus, quod deletis per Arminii hostis insidias Romanis legionibus, mortem sibi ex dolore consciverit, alter Poetici ornamenti laude cumulatus; verum ab Auctore nostro non *Varum*, sed *Varium* apponendum remur, quod Poetarum, in quorum ordine *Varius* est collocandus, quos Augusto gratos, illius ætas tulit, hic numerus recenseatur.

(*b*) Benignis auribus Poeticas lucubrationes ebibisse Neronem scripsit præcæteris C. Svetonius Tranquillus, quod præsertim illas vel ab ineunte ætate coluisset, cum ipsum a *Philosophia mater avertit, & a cognitione veterum Oratorum Seneca præceptor*; eoque studio Poesis abreptus est, ut versus nonnunquam exaraverit, quos *ex ipsius Chirographo scriptos, in suas manus venisse* confirmat idem Suetonius, adoptionis vero a Nerone factæ nec meminit ille, nec alius, qui Cæsarum res gestas memoriæ mandaverit; adoptioni itaque fidem ut præstemus, validiore firmanda est historico monumento.

PHILIPPO MARIÆ INCLYTO

Mediolanensium Duci

ANTONIUS PANORMITA S. P. D.

EPISTOLA QUINTA.

Illi plaudit de Supremi Magistratus cura Commissa Lanzalotto, cujus animi Virtutes eximie laudat.

CUm multa, ac varia quotidie tui gravissimi, & prope singularis judicii argumenta extent, sapientissime Princeps, sive in præficiendis rei bellicæ ductoribus, sive in designandis, creandisque Magistratibus, soleo ego cum pleraque omnia, tum hoc quod in Lanzaloto nuper edidisti cœlo tenus efferre: cum scilicet eum in amplissimo Patrum Conscriptorum (*a*) ordine collocasti, qui summum obiret, ac regeret Magistratum, recte quidem, & summa cura prudentissimorum homi-

(*a*) *Patrum* nomine *Ordo Senatorius* primum designatus est a Romanis, cujus vocis originem indicare visus est Livius Cap. 8. lib. 1. hæc scribens: *Patres certe ab honore, Patriciique progenies eorum appellati*; Eorum ab Urbis exordio numerum centenarium non excessisse credendum est cum Dionysio, Plutarcho, aliisque, tum præ cæteris Livio, qui paullo ante verba superius allata: *Centum*, ait, *creat Senatores, sive quia is numerus satis erat, sive quia soli centum erant, qui creari Patres possent*; Numeri autem centenarii perspicua nota fuit Luna dimidiata, litteræ *C* imaginem referens, quam Senatores gerebant in Calceis, illudque docemur ab Hotom Antiquit. Lib. 2. Cap. x. & ab Alexandro Neapolit. Lib. v. Cap. 28.; Vacat itaque dubietate hujusmodi prima creatio, quæ Romulo Parente gloriatur; quæ controversa res est apud Auctores, illa ducenda quandonam videlicet temporis ad τὸ *Patres* accesserit vox adjectiva *Conscripti*; plerique sunt arbitrati huic Vocabulo neque ipsam Romuli ætatem esse denegandam, ac propterea invaluisse cum acerbissimo Sabinorum bello confecto, ac Tatio in Regni societatem adscito, Romulus æquo jure susceptos Tatienses in Tribum Lucerum, Titiensiumque conjecit, ac perhonorifice Civitate donavit; Duplicato inde *Patriciorum* numero, *Patrum* quoque Cœtus est auctus, *Conscriptique* supra centum primos in Senatum centum alii, qui numerum ducentorum efficerent; ab hac sententia stat Dionysius, lib. 2.; Rati sunt nonnulli *Patres Conscriptos* Romulo non esse tribuendos, verum numerandos ab ineunte Tarquinii Prisci Regno, qui Plebis favorem sibi conciliaturus centum ex plebejo genere viros, quos antea in *Patricios* adlegerat, in Senatum postmodum legit, secundoque tantum *Senatorum* numerum a Prisco additum declarat propemodum Notatio, qua eosdemmet *Patres* vocatos novimus a Livio lib. 1. Cap. 35. *Minorum Gentium* contra ac primi a Romulo Instituti, qui *Majorum Gentium* nominabantur; *Ergo*, inquit Livius, *Virum*, nempe Tarquinium Priscum. *cætera egregium. sequuta, quam in petendo habuerat, etiam ambitio est, nec minus Regni sui firmandi, quam augendæ Reipublicæ memor; centum in* Patres *legit, qui deinde* Minorum Gentium *sunt appellati*; *Factio haud dubia Re-*

hominum commendatione, atque lætitia, nam & tu viri hujus industriam, ac fidem multifarie exploratam habes, & illud juste tecum omnes intelligunt, ejus neque vita quicquam probatius, & sanctius, neque justitia rectius, & innocentius, neque auctoritate clarius, & amabilius inveniri posse. Qua ex re ego quidem non adeo illi, quam dignitati gratulor, quæ a Lanzalotto plus utique ornamenti acceptura, quam datura est. Honoris enim ipse, nec gloriæ est cupidus, sed dum Ticinensem magnam illam, atque inclytam arcem vigilantissime custodiret, & a tuis aliquando rebus vacans optime Principum, philosophis, ac sacris literis operam impartiretur, ad hujus officii magnitu- di-

---

gis, cujus beneficio in Curiam venerat; Plurimis Auctoritate Festi ductis placuit affirmare *Patres Conscriptos* fuisse, qui Valerio Poplicola Consule ad Annum, ex Sigonio, Cond. Urb. CCXLV. iis, quos Priscus *Patres* elegerat, adjuncti sunt, & ipsi quidem assumpti ex Plebe: Festum lib. 15. ex fide Sigonii, qui mendosum locum restituit Animadversionibus factis in Livii lib. 2. cap. 1. ita legimus; *Qui* Patres, *quique* Conscripti, *creati sunt in curiam, quo tempore Regibus expulsit P. Valerius propter inopiam Patriciorum ex Plebe adlegit in numerum* Senatorum *centum sexaginta, & quatuor, ut expleret numerum trecentorum*; Multo tamen illi sunt plures, qui L. Junium Brutum Anno, ut supra CCLXV.; Consulatu functum, verum longe ante Poplicolam, ex gradu Equestri ad Senatoriam dignitatem quosdam evexisse opinantur ex Livio habente lib. 2. sub finem, cap. 1. *Deinde, quo plus Civium in Senatu frequentia Ordinis faceret, cædibus Regis*, hoc est Tarquinii, *diminutum* Patrum *numerum, primoribus Equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit*; In opinionum diversitate quod est consultius, ac sanius, eruditus lector perpendat, constituatque; Verumtamen, ad nos quod spectat, certe scimus servatum accurate discrimen inter *primævos Patres, & Patres Conscriptos*, sequimur hac in re Ducem Tit. Livium, qui subdit allatis superius verbis, *Traditumque inde fertur, ut in Senatum vocarentur qui* Patres, *quique* Conscripti *essent*; *Conscriptos videlicet in novum Senatum*, apponunt aliqui, cæterum depravate ex Sigonio, *Conscriptos videlicet novum Senatum appellabant lectos*; exploratum præterea *Patrum Conscriptorum* nomine ornatos qui Senatores fierent; Exinde Plutarchus in Romulo; *Nam nunc quoque*, ait, *Senatores exteræ Nationes, Prætores, & Imperatores, ipsi Romani, cum amplissimo, & honoratissimo, tam minime invidioso nomine*, Patres Conscriptos *vocant*: *Principio* Patres *tantum, post numero amplificato* Patres Conscriptos *appellavere*; ac postremo notum est, eos qui forent in Senatum legendi præcipue fuisse, qui ex ordine Equestri educerentur, illudque firmamus Persei sermone, qui XLIII. lib. Livii ita loquitur: *Equites Romanos Principes juventutis, Equites Seminarium Senatus, inde lectos in* Patrum *numerum Consules, inde Imperatores creant*; Et insuper reliqua ut omittamus, lex Syllæ hoc idem adstruit, qua perhibetur ad supplendum *Patrum* numerum relatos inter Senatores, qui ordinis Equestris essent, ut in Appiani extat historia; Patuit tamen Senatus nonnumquam Plebeiis, quorum familiæ inter Patres sunt adscitæ, si Zonaram audire libuerit a Servii Tullii ætate, qui Plebejos in Senatum vocavit, ut gratiam eis referret, quod rogationem de suo Regno magno animorum consensu jussissent; si Festo adhibeamus Fidem Anno primo libertatis id factum prodemus; aliquanto serius Plebi statuemus Senatum communicatum, si cum Dionysio senserimus, ad an-

dinem evocasti, rei quidem inscium, ac recusantem. Præcipua tua quidem, Philippe, laus, qui non inhiantibus dignitati, non ambientibus, sed benemeritis illam confers. In hoc quoque Romanorum prudentiam imitatus, qui Scipionem, quoniam consulatum petierat nunquam, bis Consulem effecere, & profecto qui honores, & magistratus appetunt, facile ostendunt eo ipso quod appetunt, esse indignos. Verum Lanzalotto id pro te quoque accidit, quod ante M. Catoni contigisse traditur: qui quo minus gloriam petebat, eo magis illam adsequebatur. Quare non modo sapientis, sed & gravissimi, ac beneficentissimi animi documenta exhibuisti, quippe qui hominem jam pridem tuis servitiis omnino devotum, cujus fidem, integritatem, perseveran-

---

num nēpe ab Urb. Cond. vel CCLX. vel CCLXIII. Secundo Coss. M. Minucio, & A. Sempronio, quod ipse Dionysius videtur denotare in exponenda contentione Patrum adversus plebem pro Coriolano, id enim tradit, quo multo post eum Annum id juris plebi impertitum esse demonstret: Nam ubi Coriolanum, Patricium virum, a Plebe Comitiis Tributis, novo exemplo ab Urbe pulsum narravit, subnectit: *Atque hinc quidem Plebis Opes creverunt: Optimates autem multas partes antiquæ dignitatis amiserunt, cum & Senatus, & Magistratuum, & Sacerdotiorum partem plebeiis fecissent, & alia etiam ornamenta communicassent, quæ propria Patriciorum fuerant*: quæ non obscuro indicio sunt verba aliquot post annos cum reliquos honores, tum Senatum pariter esse permissū Plebi, illudque dubitationem non habet penes Livium esse peractū ante Annum ab Urb. Cond. CCCXX Anno scilicet CCCXV. per eos ferme dies, quo Sp. Mælius Regnum affectans ab equitum Magistro C. Servilio Ahala est interemptus jussu Quint. Cincinnati tum temporis Dictatoris, in hanc opinionem affertur Cap. 15. lib. 3. Liviani, in quo dicitur: *Sp. Mælium, cui Tribunatus plebis magis optandus, quam sperandus fuerit, frumentarium divitem bilibris farris sperasse libertatem se Civium suorum emisse, ciboque objiciendo ratum victorem finitimorum omnium Populum in servitutem perlici posse, ut quem* Senatorem *concoquere Civitas vix posset, Regem ferret*. Abs re quoque non esse conjecturam existimamus, qua Sigonius autumat Plebeiis locum fuisse in Senatu Decemvirum Consularium tempore, quod Livius ita designat: *Anno trecentesimo altero, quam condita Roma erat, iterum mutatur forma Civitatis, ab Consulibus ad Decem-Viros; quemadmodum ab Regibus ante ad Consules venerat, translato Imperio*, præcipue quum ex Decem-Viris quidam e plebe fuerint, quibus decem-Virali Magistratu demandato, propter ejus amplitudinem neque Senatus denegatus fuisse credendus est, ac processu temporis alii conscribi ex plebejo genere sunt visi, maxime postquam vel Plebeii Tribunatu militari potiti fuerunt, cujus potestas non erat a Consulatu dissimilis; Canuleii Tribuni Plebis id concionē pervicisse Livius narrat lib. v. cap. vi. *Per hæc consilia eo deducta res est, ut Tribunos militum Consulari potestate promiscue ex Patribus ac plebe creari sinerent, de Consulibus creandis nihil mutaretur, eoque contenti Tribuni, contenta Plebs fuit*; quæ antea multa contra Patres pro rogatione sua omnium Tribunorum vi, ac pertinacia certaverat, Coss. M. Genucio, & C. Curtio, Anno Urb. Cond. CCCIX. Tametsi deinceps: *Eventus eorum Comitiorum docuit*, paullo inferius ait Livius, *Alios Animos in contentione libertatis dignitatisque, alios secundum deposita*

rantiam, stabilitatem, constantiam, & denique cujus animi sane invicti magnitudinem jam mille laboribus, jam mille terra, marique discriminibus periclitatam, probatamque habes, amplissimis tamdem honoribus affecisti: haudquaquam passus hominis divinam virtutem, & in te vix credibilem observantiam, & affectionem indonatam relinqui.

Quo

---

certamina, incorrupto judicio esse; Tribunos enim omnes Patricios *creavit Populus, contentus eo, quod ratio habita Plebejorum esset*; ac per ista sane postrema verba non mediocre ad Sigonii conjecturam robur accedit, in qua tamen si judicium nostrum requiratur, unum nobis satis se respondebimus lectoribus rerum peritis hominum præstantissimorum sententias proposuisse, iisque quidpiam addere summa esset impudentia: Attamen de *Plebejis* inter *Patres* cooptatis, sive prima Regum ætate, sive Republica constituta per Consules, res licet sit periculi, aleæque plena quidquam definire, collapsa dignitate Reipublicæ, occupatoque per C. Jul. Cæsarem Imperio novum ab illo esse habitum *Patrum* delectum, omni penitus dubitatione sublata liquet potissimum ex Svetonio, qui in ipsius Vita Cap 41. *Senatum*, ait, *supplevit, Patricios elegit*, legunt alii, *adlegit*, & ad nongentos auctum ab eo fuisse *Patrum* numerum, complures gravissimi Scriptores ferunt; illius deinde post cædem, nec ordine servato, nec genere, statuendæ iterum Reipublicæ gratia, vilissima etiam *Plebejorum* capita in Senatu collocasse Trium-Viros, Dionis, cæterorumque omnes prope loquuntur Historiæ, & qua teterrimum vitium ratione emendaverit, ejus successor D. Octavius Imperator Augustus, in illius vita cap. 35. sic describit idem Svetonius: *Senatorum affluentem numerum, deformi & incondita Turba (erant enim super mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam, & præmium allecti, quos Abortivos*, *Orcivos* hic apponit Jo: Baptista Egnatius, *Vulgus vocabat) ad modum pristinum, & splendorem redegit, duabus lectionibus: Prima ipsorum arbitratus quo vir virum legit, secunda suo, & Agrippæ, quo tempore æstimatur lorica sub veste munitus ferroque cinctus, præsedisse, decem valentissimis Senatorii Ordinis Amicis Sellam suam circumstantibus*: Nec dubitare quis potest aliquos, cujuscumque forent conditionis, vel cæteris jus fuisse Cæsaribus, in Senatum legendi, conscribendique & supremam hanc dignitatem, honorificentissimumque Magistratum ab Urbe postmodum commigrasse in Provincias; videndi propterea Auctores, qui *Senatorum* meminerunt sequioribus etiam Sæculis; *Senatorii seminis homo*, reperitur apud Sidonium Lib. 1. Epist. vi.; ab Eucherio Lib. de Contemptu Mundi laudatur *Clemens de vetusta Prosapia Senatorum*, & Gregorius Turonens. Histor. Lib. 10. Cap. 31. inquit: *Eufronius Præsbyter ordinatur Episcopus, ex genere illo, quod superius Senatorium nuncupavimus*, ac de Vitis Patrum Cap. xx. *Genere non quidem Senatorio, ingenuo tamen*; istis addendus est Fortunatus, qui hunc versum prodidit Lib. 4. Poem. 17.

Hic Puer Arcadius veniens de
Prole *Senatus*;

Perspicua magis est res ex Gregorio eodem Turonensi quo usi probatissimo. Teste Lib. 1. Histor. Cap. 29. *Nobiles* comperimus appellatos esse *Senatores, vel meliores loci*, ibi vero fit sermo de Urbe Bituricensi, ac in lib. de Vitis Patrum Cap. 4. *Post peractam igitur stragem*, inquit, *cladis Arvernæ, unus ex Senatoribus Comitatum illius agens &c.*, atque in Epitaphio Perpetui Episcopi item Turonensis legitur:

Clarus Avis, Atavisque potens
fuit, atque *Senator*.

Quo dum mentem adsertimus, non improbamus conjecturam, qua ad Vitam Sancti Eulogii Ambrosio Morali videntur Senatores vocati a Scriptoribus, qui ex vetusta Romanorum stir-

Quofacto mirifice quidem, & cæterorum animos ad virtutem, ac probitatem incendisti, & amorem tui, cum cognoscerent virtutem a te tantopere exornari, & decorari solere, & benefacta non perditum iri. Consuluisti præterea maxime populis, ac civitatibus tuis, videlicet

G illis

---

stirpe prodiissent, Senatorum quidem, qui a Provinciis in Romanum Senatum fuerunt pridem allecti, eo vel maxime quod constans sit sententia Augusto imperante ex Provinciarum incolis in Curiam propemodum innumeros transiisse, ac de Gallia Narbonensi vulgatum est; *Galli Braccas in Curia deposuerunt, latum Clavum sumpserunt*, eaque fuerunt gratia penes Cæsarem Senatores Narbonenses, ut nulla ipsius exquisita sententia iis res suas invisere liceret, quum pro cæteris ejusdem lege cautum esset, ne sine commeatu abire præsumerent, ex Tacito lib. 12.; nec prætermittimus Dionis locum in Lib. LII.; ubi in Oratione, quæ agit de Civitate Gallis danda, Claudius Imperator ista effatus inducitur: *Ornatissima ecce Colonia valentissimaque Viennensium, quam longo jam tempore Senatores huic Curiæ confert*; reprehendi tamen nequit, qui Senatoribus Romanis pronunciaverit longe inferiores qui e Provinciis delecti sunt Senatores; hos *Peregrinos* in Philosopho Capitolinus appellat, ac Plinius lib. VI. Epistola XIX. *deforme* inquit, *arbitratus*, Homulus appone, (*ut erat*) *honorem petituros*, *Urbem Italiamque non pro Patria*, *sed pro hospitio*, *aut stabulo*, *quasi Peregrinantes habere*; contra vero si particula *Romanus* adjecta nominaretur *Senator*, nobilitas magis insignis prodebatur; Consulendus hac in re Spartianus de Adriano Imperatore, cui Patria erat penes Hispanos: *Avus ejus*, legimus in ejusdem Spartiani libris, *Marcellinus qui primus in sua familia Senator populi Romani fuit*, & Trebellius Pollio in Vopisco: *Victorina Tetricum Senatorem Populi Romani ad Imperium hortata est*, ac istis similia refert Antoninus Victor In Pio, aliique, Recentiorum etiam Scriptorum ubi testimonia perpendantur, Avitus Viennensis in Galliis Episcopus adducitur Epistola 31. de se conscribens: *Quasi Senator ipse Romanus, quasi Christianus Episcopus obtestor*; & de illo Ado item Viennensis. *Avitus Viennensis Episcopus, & ejus Frater Apollinaris Valentiæ Episcopus*, ac paulo infra: *Isicii Senatoris primum Viri, postea Viennensis Episcopi, duo lumina, clarissimi Filii*, nec præterimus Gregorium Turonensem, qui in lib. de Gloria Confess. cap. idem sic exponit: *Audientes autem Senatores Urbis* [addendum Arvernæ] *qui tunc in loco illo nobilitatis Romanæ Stemmate refulgebant &c.*, et Fortunatus lib. 4. Poem. 10. Leontium Burdegalens. Præsulem ita commendat:

> Nobilitas altum ducens ab origine nomen,
> Quale genus *Romæ* forte *Senatus* habet.

Senatusque Romani meminit etiam S. Ildefonsus in Epitaphio Nicolai Avi.

> Quisquis *Romulidum* fasces, clarumque *Senatum*
> Concelebrare cupis, quod venereris habes.

Singula tamen, quæ hoc loco in unum compegimus, cum veritate ubi conferamus, primum non obscure deprehendemus, qui in Provinciis Senatores Romani sunt dicti eos utique fuisse, quibus ex Imperatorum gratia id muneris ac honoris esset delatum, deinceps quod ad Senatorum dignitatem spectat, illam fateri debemus iis communem censendam, qui jure Latii una cum Romanis fruerentur. Ex Strabone propterea hoc juris titulo donati numerantur Auscii, Gabali, Convenæ, idemque explicat suis Populos istos legibus redditos, ac, ne fortasse a proposito di-

iftis præficiens hominem, fane omnium, pace omnium dixerim, quos tua hæc Gallia, (a) & reliqua ferme omnis Italia nutrit, æquitate, atque animi moderatione præftantiffimum, aptiffimumque ad regendos, & gubernandos homines, & Magiftratus: is enim profecto eft, qui quantum omni diligentia, & induftria proficere poterit, id omne in confervandas tuorum civium utilitates adhibiturus fit, ac in tuæ omnis rei publicum decus, & dignitatem augendam, oblitus fcilicet, ac prorfus immemor commodorum fuorum. Videre equidem videor Lanzalottum ita adminiftrantem, ut fuum cuique tenere liceat, & pacifice, & libere poffidere, neque tenuioribus imbecillitatem; neque locupletibus invidiam obfuturam. Continentiam vero, & abftinentiam Lan-

greffi videamur, qui *Senatores*, iidem & vocati funt *Patres Confcripti*. quorum confpicuum Ordinem hic Auctor noft. commemoravit, ut ad illa ætatis tempora animum converteremus, quæ infigni *Patrum Confcriptorum* ferie apparent inftructa, maxime quod neque iftud ampliffimi Magiftratus ornamentum fit a Mediolanenfibus defideratum, quorum Senatus per nullum tempus, neque ignobilis, neque fuit inglorius.

(a) Satis apte hic a noftr. Panorm. confcribitur. *Tua hæc Gallia*; id nominis, Venetos, Ligurefque fi exceperis, in ea præfertim Italiæ parte locum habuit, quæ Gallorum irruptione olim patuit, de quibus Livius uberius, ac poft illum accurate Sigonius perhibet Tarquinio Prifco regnante Gallos in Italiam tranfcendiffe, Bituriges, videlicet, Arvernos, *Santones*, funt qui, jure an injuria non dicimus, legunt *Senones*, Æduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos; fuderunt hi Tufcos, quorum imperium late terra marique in utrumque mare vergebat, fuperum nempe, ac Inferum, deque fuis fedibus Incolis veteribus deturbatis, Urbes, agrofque occuparunt, qui Alpes inter, & Apenninum ad Aefim ufque flumen Cluverio Auctore funt pofiti. Multiplex apud Scriptores ejus Gentis divifio, ac fpectata locorum varietate diverfa funt nomina; tres autem enumerat folum illorum claffes Sigonius, Bojos, nempe Cænomanos, atque poftremo Infubres; Ad Cifalpinam Galliam hi pertinent omnes, eorumque fines, ut victoriæ, ac temporis ratio tulit, non omnino iidem fingulis; Boij ab Ortu Solis Senonibus, quod affirmat Polybius, ab Occafu, Liguribus Cifpadania ad Trebiam amnem adhæferunt, intra Apenninum quidem a Meridie, a Septentrione vero intra Padum conftituti, atque iftud fi falfitate careat, eorum Oppida comperimus fuiffe ultra Rubiconem ad Mare Ravennam. Intus Cæfenam, Faventiam, Claternam, Bononiam, Mutinam, Macros Campos, Nucerium, Tanetum, Parmam, Brixillum, Fidentiam. & Placentiam, ultra quam fluit Trebia, Cænomanorum fines cognofcere eft res quæ dubietate non vacat; quod autem nonnumquam Verona, quam interluit Athefis, in Cænomanis collocetur, videntur propterea Cænomani ab Oriente ad Athefim flumen conftitiffe, ab Occidente ad Ollium amnem, a quo nec Clufius eft procul, cujus mentio fit a Polybio dicente Romanos ex Infubribus, Clufio fluvio trajecto, in Cænomanos veniffe, iifque fociis adhibitis regreffos in Infubres copiis infeftis; a Septentrione contermini fuerunt Rhoetis, cæterifque accolis earum Alpium barbaris, a Meridie, Pado funt terminati; ex Ptolemæo intra iftos limites comprehenfæ funt, Verona, Brixia, Mantua, Tridentum, & Butrium; quafi divinans Sigonius, cujus Auctoritate hæc omnia protulimus, ultimo Infubres nominat; quos intra Ollium,

Lanzalotti quis non tota, ut ajunt, benevolentia complectatur? hujus maxime ut ego arbitror officiis, necnon justitiæ fama, is in omnium animos tantum influere videtur, atque ita homines inescare, ut nemo adhuc quem sciam inventus sit, qui hunc ipsum vel paulisper oderit, immo qui hunc ipsum non prolixe diligat, & observet. Jam vero illud & in hoc viro fore vaticinor, quod Crasso olim haud mediocri laudi tribuebatur, ut ne ipsi quidem judicio ab eo damnati, atque mulctati ipsum sint odio habituri: sed laudaturi, & benigne laturi, se ipsos potius incusantes qui deliquerint, quam eum qui in delinquentes jure animadverterit. Solet enim aliquod esse perituris solatium, si non injuria corrupto, pravoque judicio sese punitos intelligunt. Sed redeo ad abstinentiam, quæ ut magistratus, Remque publicam gubernantibus præcipua, & pernecessaria est, sic in Lanzalotto inesse, atque

---

& Ticinum flumina, Alpes, & Padum se tenuisse opinatur, eosque permulta coluisse Oppida existimat, hoc est Cremonam, Bergomum Mediolanum, Ticinum, Acerras, & Novariam; de Ticino ipse significat Livius, cum scribit; *Insubres trajectis Alpibus præter antiquam Gentem Lævor, Ligures citra Ticinum amnem incolentes expulisse, eamque Regionem occupasse*: Insubres autem vocatos primum Gallos, cum ex Arvis Ticino finitimis, tum ex Pago in Aeduis sito Livius docet his verbis: *Fusisque acie Tuscis, haud procul Ticino flumine, quum in quo consederant, Agrum Insubrium appellari audissent, cognomine Insubribus Pago Aeduorum, ibi omen sequentes loci, condidere Urbem, Mediolanum appellarunt*, se putat inde Cluverius assequutum conjectura, de qua Lector sapienter judicium ferat, Aeduos, & Aulercos Eburovices, in hac expeditione fuisse præcipuos, eaque de caussa ab Aeduorum Pago, seu Regiuncula, nec non ab Agri, ubi Tusci deleti fuerant, nomine, Insubrium appellatione donatam Universam illam Gentem, quæ ex multis Galliæ Populis coaluerat, cujus ne memoria oblivione periret, ab Urbe Eburovicum Principe *Mediolano*, inditum apud Italos Oppido communi Opera constructo, & *Mediolani* vocabulum; Ejus antiquitas explorata inprimis ex Polybii lib. II. Cap. XXXIV. Μεδιόλανον ἐπικρατέστατος τόπος τῆς τῶν Ἰσόμβρων, Ptolom. Lib. III. Ἰνσούβρων, Χώρα, *Mediolanum præcipuus locus est Insubrium, antiquum* scilicet *Oppidum* ex Cellario, & *genti suæ in Italia coævum*; Studia liberalium Artium probantur ex Plin. Lib. III. Epist. XIII., quæ *Mediolanum* liberalium studiorum sedem adeo fuisse demonstrat, ut inde *Novarum Athenarum* nomine sit aucta: id extat in Gruteriana Inscriptione sub Antonino Pio, ibidem reperta

AQUÆDUCTUM. IN. NOVIS.
ATHENIS. COEPTUM.
A. DIVO. HADRIANO.
PATRE. SUO.
CONSUMMAVIT. DEDICAVITQUE.

Idque augusti nominis tulisse videtur municipii pars, aut vicus, in quo literarum Domicilia continebantur: Præstantiâ *Mediolani* legitur penes Ausonium in Claris Urbibus

Et *Mediolani* mira omnia. Copia rerum,
Innumeræ, cultæque domus, facunda Virorum
Ingenia, & mores læti.

Hæc autem omnia ad eam volumus referri *Cisalpinam* Galliam, quam Insubres, & Boji diu tenuerunt non sine magno armorum discrimine a Romanis in suam potestatem redactam

que illucere eam quidem insigniter gaudeo, eoque plurimum, quia & semper, & in hac maxime tempestate perquam difficulter invenias, qui non capiatur admiratione divitiarum, nec donis, aut muneribus corrumpatur, usque adeo prostituta, quæstuaria, & depravata sunt omnia. Cæterum unus hic vir tantum meo quidem animo abest a sordibus, quantum reliqui fere omnes a puritate. Itaque non immerito eum magni æstimas, diligisque, atque adeo ad te ipsum applicas, & propius admoves. Præclare Plato cum vitæ, ac statui Principum studiose prospiceret, nullum dijudicavit aut uberius, aut præstantius prædiorum genus esse Principibus, quam eorum familiaritates hominum, qui cauponari nescirent. Nam quid unquam turpius, aut detestabilius esse potest, quam cum ii præsertim qui Reipub. & magistratibus præsunt, justi, æqui, severi, tristes, integri, puri, sancti, immutabiles esse debeant, reperiantur judicia licitari, atque omnia quæstui habere? aut quod rursum instabilius, & incertius ea civitate, in qua hæc tam dira, & execrabilis pestis irrepserit? Apollo Pythius, ut Tullius tradit, hoc olim Lacedæmoniis prædixit, Spartam eorum amplissimam civitatem nihil

Quæ hos inter, ac Gallos bella mutua inde exarsere, nota sunt, verumtamen profligatas Gallorum copias, cæteras ut omittamus, novimus a Consule M. Marcello, a bello Gallico Cisalpino ineunte Anno V. ab Urb. vero Cond.; juxta diversam numerandi seriem, vel DXXVIII.; vel DXXXI. tunc fore temporis, quo a Gallis pugna infelici ad Clastidium commissa, deditione facta, pecuniis, & agrorum parte sunt subinde mulctati. quo & in prælio cecidit Virdumarus hostium Summus Imperator, ac de illo Spolia Opima retulit ipse Marcellus in Consulatu acto triumpho celebris in Liv. lib. XXXIII. Cap. *Brevi post Marcellus Romam venit, triumphusque ei Magno consensu Patrum est Decretus. Triumphavit in Magistratu de Insubribus, Comensibusque*; Ita quæ Bojorum, ac Insubrium fuerat latissima Regio primo conditionem Provinciæ subire est compulsa, ubi non multo post Bello Punico secundo ingravescente, quarto scilicet ab Anno a Gallis devictis Coss. P. Cornelio Scipione, & T. Sempronio, sive Annus ab Urb. Cond. is fuerit DXXXII.; sive DXXXV. Coloniæ sunt constitutæ; quod enim accepissent Romani Annibalem jam Iberum esse transgressum, delectui confestim habendo quum decrevissent mittendos in Hispaniam Publium Cornelium, & Sempronium in Africam, deducere prius in Galliam Cisalpinam Colonias sunt conati τὴν μὲν μίαν, ait lib. III. Polybius, ἔκτιζον ἐπὶ τάδε τοῦ Πάδου ποταμοῦ, προσαγορεύσαντες Πλακεντίαν, τὴν δ᾽ ἄλλην ἐπὶ θάτερα, κατονομάσαντες Κρεμώνην; idest, *harum alteram, Coloniam sane, cis Padum condebant, cui nomen fecerunt Placentiæ; alteram trans Padum, quæ dicta est Cremona*, idemque in Livii Epit. xx. brevius; *Coloniæ deductæ in Agro de Gallis capto Placentia, & Cremona*, & a Vellejo Paterculo lib. I cap. XIV. *Sub adventum in Italiam Hannibalis, Cremona, atque Placentia* perhibentur Coloniæ esse deductæ, quarum opera Gallici tumultus, siqui cis, vel trans Padum forte exorirentur, conquiescerent extemplo; utraque Punicis armis invalescentibus, etsi Cisalpini Galli a Romanis defecissent, singulari prorsus integritatis exemplo, mansit in fide, ac Placentia Romanorum benevolentia insignis, *Coloniæ*, ex Tacito Hist. lib. 2. cap.

nihil ob aliud quam propter avaritiam perituram. Sed de hoc satis. Attingenda est etiam mansuetudo, & humanitas Lanzalotti; quæ ejusmodi est, ut nulla licet fecundissima, & affluentissima fortuna immutari queat: sed quanto sublimius illum evexeris, tanto se geret submissius: idem vultus, eadem frons semper in hoc Viro, & admirabilis

---

cap. XIX. *Virium, & opum valida*, quod pleræque ex aliis Coloniis, jus quoque *Municipii*, & nomen acquisivit: de illa Cicero in Pisonem cap. XXIII, sermonem habuit, inquiens: *O familiæ, non dicam Calpurniæ, sed Calventiæ; neque hujus Urbis, sed Placentini Municipii*, illudque in Fragmento ejusdem Orationis, & *Municipium de se optime meritum* appellat: Ea tamen fidelitate, qua Placentini; cæteri Citeriores Galli, in Romana societate non perstiterunt, quod in Agrum, jam Gallicum, deductas a Romanis Colonias ægre paterentur; Varia proinde exagitati bellorum fortuna, ut plurimum fugati semper, & cæsi, qui primum se Romanæ Reipublicæ ita subdiderant, ut ad Cn. Domitium Ahenobarbum Cons.; seu ab Urb. Cond. Ann. DLVIII; sive DLXI; bello Antiochino sæviente ultro cum Liberis & Præfecti cum Equitatu ex illorum SC. ad mille, & quingentos venissent, se armis denuo committere sunt ausi, belloque Romanos vexatos Ætolico iterum Boij sunt aggressi, infausteque decertantes ad deditionem rursus compulsi Anno ab Urb. Cond. vel DLIX; vel DLXII; a Cons P. Cornel. Scipione Nasica, qui Obsidibus acceptis illorum Gentem Agri parte fere dimidia spoliavit, quo si vellent Romani Colonias immitterent, Annoque subsequenti decretum est, ut duæ novæ deducerentur, & postero, sive is fuerit DLXI; sive DLXIV; *Bononia* fuit deducta, de illa, postquam narravit, expugnata Castra Lusitanorum a L. Æmilio Paullo hæc Livius exarat lib. XXXVII. cap. LVII. *Eodem anno*, quem nuper commemoravimus, *ante diem Tertium Kalendas Jannarias, Bononiam Latinam Coloniam ex se L. Valerius Flaccus, M. Atilius Seranus, L. Valerius Tappus III-Viri deduxerunt. Tria millia hominum sunt deducta: Equitibus septuagena jugera; cæteris Colonis quinquagena sunt data. Ager captus de Gallis Boijs fuerat: Tuscos expulerant*; ac de eadem Vellejus Paterculus lib. I. cap. XV *Cn. Manlio Volsone, M Fluvio Nobiliore Coss Bononia deducta Colonia*: Anno deinde, seu DLXIII. seu DLXVI. Urb. Cond. una cum C. Flaminio Consulatum gessit M Æmilius Lepidus, qui Galliam Cisalpinam Provinciam sortitus assiduis bellis tametsi vastatam, ac prope perditam, adhuc tamen arma retinentem in Provinciæ formam iterum adductam, Romanis subjecit, cujus rei argumento est non exiguo *Regium Lepidi*, quod Cluverius proprie, an improprie dicant Geographorum peritissimi *Forum Lepidi* vocat, ab Æmilio nomen ferens: Item Æmilia Via, quam nimirum stravit ipse Consul Æmilius, per Provinciam; Collegam enim Flaminium est imitatus, qui perdomitis, ex Liv. lib. XXXIX. cap. II. Liguribus, incursionibus Agrum Pisanum, & Bononiensem ita depopulatis, *ut coli non posset, pacem dedit finitimis, & quia a bello quieta ut esset Provincia, effecerat, ne in otio Militem haberet, viam a Bononia perduxit Arretium*, quæ tamen Straboni videtur strata a Roma per Etruriam, & Umbriam ad Ariminum usque; A Flaminio itaque ne diverso more se gereret Æmilius Lepidus, *Pacatis Liguribus*, ex Livio ibidem, *in agrum Gallicum exercitum duxit, viamque abs Placentia, ut Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit*; hinc Ariminum, Bononiam, Placentiam, inde Mediolanum, Bergomum, Veronam, Patavium, & Aquilejam juxta Alpium radices pertingens, etiam in gyrum Paludibus circumventrias Stra-

quædam æqualitas in omni fortuna, ejus quoque placabilitatem, & clementiam quis pro dignitate unquam recenseat? quis satis laudet? Tu autem, Philippe Princeps, qui hoc genere laudis maxime inter præstantissimos viros emines, & excellis, tum quidem vehementer oblectaberis, cum in alio te ipsum recognosces, id est cum eum gladium

bonis verba de viis Flaminia, Æmiliaque loquuti Italicæ Versioni sic reddit Alphonsus Buonaccipoli: *Conciossiacche Marco Lepido, e Cajo Flaminio fussero insieme Consoli, i quali avendo vinto i Genovesi, questo fece la via Flaminia da Roma per la Toscana, e per l' Ombrica, fin a luoghi intorno ad Arimino, e quelle fece il rimanente fin a Bologna, e di là in Aquileja, lungo le radici dell' Alpi, circondando le Paludi*; alterius prius viæ meminerat Strabo, quæ etiam Æmilia nominabatur, eaque per Pisas, & Lunam Dertonam ferebat, ae tribuenda est M. Æmilio Scauro Consulatu functo una cum M. Cæcilio Metello, Bello Thracico invalescente, anno Urb. Cond. vel DCXXXV; vel DCXXXVIII.; idemque Scaurus paludosis locis exsiccandis per transversos amnes viam a Placentina Urbe Parmam duxit, quo sensu restituerunt partim, & partim sunt interpretati Xilander, & Cluverius depravatum Strabonis locum, qui sic in libris habebatur: Α'λλ' ανέψυξε τα' πεδία ό Σκαῦρος διωρυγαῖς πλωταῖς, ἀπὸ τοῦ Πάδου μέχρι Παρμυστῶν; *Sed exsiccavit eas paludes Scaurus, fossis navigabilibus ductis a Placentia Parmam usque*; alii, non *Parmam* sed *Parmestas* scribunt, & Casaubono τὸ Παρμυστῶν nulla videtur esse cum *Parma* analogia: Utcumque se res habeat, ex duabus viis Aemiliis, quæ a M. Aemilio Lepido est facta, ab altera secernitur eo vel maxime quod *Flaminiam excipere* si credita; isque Marcus Æmilius Lepidus est, qui Ann. Urb. Cond. vel DLXVII; vel DLXX. ex Liv. lib. XXXIX. cap. LV. numeratus est inter Trium-Viros deducendis Coloniis Parma, & Mutina, in agro Boijs adempto Coss. Q. Fabio Labeone, M. Claudio Marcello, abs Consulatu Lepidi Anno V. ineunte: *Eodem anno*, quo nempe Aquileja Colonia latina erat deducta, *Mutina & Parma Coloniæ Romanorum Civium sunt deductæ: Bina millia hominum in Agro, qui proxime Bojorum, ante Tuscorum fuerat, octona jugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt. Deduxerunt Trium-Viri M. Aemilius Lepidus, T. Aebutius Carus, L. Quinctius Crispinus*; Utramque Coloniam laudat Cicero, ac de *Mutina* Philipp. v. cap. IX. Inquit: *Circumsedit*, Antonius, *Mutinam, firmissimam, & splendidissimam Pop. Romani Coloniam*, quin etiam Tacitus lib. I. Hist. cap. L. *Pharsaliam, Philippos, & Perusiam, ac Mutinam, nota publicarum Cladium nomina loquebantur*; & Silius lib. VIII. vers. DXCII. Mutinam, & Mutinense bellum non præterit, inquiens;

Certavit *Mutina* quassata *Placentia* Bello.

Ad *Parmam* vero quod attinet, deplorat idem Cicero Philipp. XIV. *Parmensem calamitatem* a L. Antonio eidem *Romanæ Coloniæ* bello Mutinensi illatam, & qui incolebant ibidem cap. III. vocat ipse Tullius, *Optimos viros, honestissimosque homines, maxime cum Auctoritate hujus*, (idest Senatorii) *Ordinis, Populique Romani dignitate conjunctos*. Collapsa Republica, Studiosissimus hujus Coloniæ fuit Augustus Cæsar, a quo JULIÆ AUGUSTÆ cognomen sumpsit, & lana Parmensis Agri celebratur a Plinio lib. VIII. cap. XLIIX; & Martiali pluribus in locis, præsertim lib. XIV. epigr. CLV.

Velleribus primis Apulia, *Parma*, secundis,
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.

Hæ in Gallia Cisalpina Coloniæ sunt

dium quem necis, ac vitæ Lanzalotto commendaveris inspicies, non cruore pollutum, non vindicta saturatum, non strictum ad necem: sed ad emendandum errantes, ad comminandum contumacibus, ad cohibendum retinentes. Vitia quidem insectatur, & delicta, non homines, nisi interdum pro causa severitas adhibenda fuerit, & habenda

---

impositæ sub id ferme tempus, quo *M. Claudius* Marcellus *Consul Gallis ex Provincia exactis Istricum bellum moliri cœpit*, nulli exinde, juxta Polybium, ulterius vel ex Boijs, vel ex Cænomanis circa Padum incoluerunt, ad Insubres autem quod spectat, sua quoque ætate apud Italos diversatos memoriæ mandavit Strabo, & illud extat Ciceronis in Pisonem: *Insuber quidam fuit idest mercator, & Præco*; A ted bus, quas occupaverant Gallis jam deturbatis, Provinciam Romani obtinuerunt, cui tamen adeo *Galliæ* nomen adhæsit, ut hac voce quo tempore Respublica Romana florebat ea pars fuerit plerumque denotata, quam Galli incoluerant: Eo usus vocabulo Cicero Philipp. XII. cap. IV. dum ait: *Quid? Galliam, quo tandem animo hanc rem audituram putatis?* paucisque interiectis: *Gallia D. Bruti nutum ipsum, ne dicam imperium, sequuta, armis, viris, pecunia, belli principia firmavit*, & paullo post; *Et ut omittam reliquas partes Galliæ, Patavini alios excluserunt, alios ejecerunt missos ab Antonio*: Vellejus Paterculus lib. II. cap. LX. *Galliæ* etiam nomen usurpavit: *Idem*, Antonius scilicet, *Provinciam D. Bruto designato Consuli decretam, Galliam occupare statuit*; ac Eutropius lib. II. cap. IX. *Conditæ a Romanis Civitates, Ariminum in Gallia, & Beneventum in Samnio.* Verum quod frequentissima Gallorum Natio, quæ Italiam invaserat, ac citra Alpes plurimum fuerat exspatiata, ultra Alpes, quæ ejus proprie Gentis sedes erat, maxime contineretur, nominum inductum est discrimen, & altera quæ cis Alpes se extenderet *Gallia Citerior*, altera, quæ trans Alpes porrecta foret, *Ulterior Gallia* est appellata; Demonstrat id Cicero de Provinciis Consular. Cap. XV. sic: *Illæ sententiæ Virorum Clarissimorum minime probandæ sunt, quorum alter Ulteriorem Galliam decernit cum Syria, alter Citeriorem*; Gallia etiam quæ *Citerior* prius, & *Ulterior*, ab eodem Tullio *Cisalpina* vocata est, & *Transalpina*, Pro Lege Manilia cap. XII. *Gallia Cisalpina præsidiis, ac navibus confirmata*, & Pro Murena cap. ult. *An se in contrariam partem terrarum abdet, ut Gallia Transalpina, quem nuper summo cum Imperio libentissime viderit, eumdem nunc lugentem, mærentem, exsulem videat?* At quum hic nobis de *Cisalpina Gallia* sit sermo, illam quoque designatam novimus *Galliæ Togatæ* nomine, sive, ut Dioni Cassio in fine Lib. XLVI. videtur, quod *Gallia Transalpina* fuerit multo pacatior, sive quod Romana Toga peculiari more sit usa quod & Martialis animadvertit Lib. III. Epigram. I. ad Lectorem.

Hoc sibi, quidquid id est Longinquis mittit ab oris
Gallia Romanæ nomine dicta *Togæ*.

Togatæ Galliæ nomen ductum pariter existimat Cellarius Geograph. Antiq. Lib. II. Cap. IX. a frequentibus Coloniis, unaque simul a Provinciæ Toga, quæ eo familiarior ibidem fuit, quo major ibi numeratus est Civium Romanorum cœtus, illic itaque, nec novus Romanorum habitus, nec novi fuere mores Romanorum, & sermo Latinus ea ibi fuit venustate, ut etiam e Gallia Romæ Oratores sint inventi quærenti propterea Bruto, quis urbanitatis color esset, respondit Cicero in Lib. de Clar. Orat. *Id tu, Brute, etiam intelliges, cum in Galliam veneris: Audies tu quidem verba non trita Romæ, sed hæc mutari, dediscique*

da justitiæ ratio, & Reipub. potius quam facilitatis, & misericordiæ. Nam qui prius illum monentem, hortantem, placidum, lenem viderunt, nisi obtemperaverint, nisi pœnitentiam egerint, seque recorrexerint, eundem postea rigidum, durum, inexorabilem sentiant oportebit. Nulla adulatoribus fides adhibetur, nulla auris maledicis præ-

---

possunt: Illud est majus, quod in vocibus nostrorum Oratorum recinit quiddam, & resonat urbanius, nec hoc in Oratoribus modo apparet, sed etiam in cæteris. Ego memini T. Tincam Placentinum hominem facetissimum cum familiari nostro Q. Granio præcone dicacitate certare; sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo. Quos habuerit limites Togata Gallia facile non est deprehendere, coarctat illam Ptolemæus eo usque, ut Alpibus, Liguriæque montibus, seu Apennino, ac Pado flumine ad Ravennam includat; Pompejus Festus Bojum Agrum describens: *Boicus*, inquit *Ager dicitur, qui fuit Bojorum Gallorum. Is autem est in Gallia citra Alpes, quæ Togata dicitur, in qua sunt Mediolanenses* Et Plinius lib. III. cap. XIV. ait: *Ab Ancona Gallica ora incipit, Togatæ Galliæ cognomine*; postremo autem lib. II. cap. IV. Mela scripsit: *Interiora ejus*, Italiæ videlicet, *aliæ aliæque Gentes: sinistra parte Carni, & Veneti colunt Togatam Galliam*. Qui hominum gravissimorum veremur Auctoritatem, judicio nostro incertam rem perpendere non audemus, judicium sapientis Lectoris expectaturi, id tantum proponimus, quod omnibus est exploratum, hoc est Romanam Rempublicam eo felicitatis devenisse, ut quidquid erat *Subalpinæ Italiæ*, vel Imperii potestate, vel fœderis ratione sibi devinxerit; antequam propterea infestis armis Romanos Annibal in Italia peteret, Veneti ab ipsis recepti in societatem narrantur a Polybio, præterea Ligures compluribus bellis fugati, victi, deleti reperiuntur penes multos Auctores; in Livianis vero præsertim Epitomis, apud Obsequentem, postremo in vetustis Romanorum Tabulis, nempe Capitolinis reperitur; Sigonio perhibente, M. Fulvium Nobiliorem, qui una cum Cn. Cornelio Dolabella, vel ab Urb. Cōd. Anno DXCI; vel DXCIV. fuit Consul, per id tempus, quo Pro-Consul erat, de Liguribus triumphasse, Anno Cond. Urb. vel DXCII; vel ex aliorum recensione DXCV. Coss. M. Aemilio Lepido, C. Popillio Læna, a coepto bello Ligustico Anno Urb. Cond. seu DXIII.; seu DXVI. Coss. L. Cornelio Lentulo Caudino, Q. Fulvio Flacco, ineunte Anno XXC; & hanc præclaram Victoriam, ab ipso Sigonio Strabo lib. IV. Geographo doctus est commemorasse, quod videlicet memoriæ, *Salyes primos omnium Trans-Alpinorum Gallorum* a Romanis perdomitos, *gesto contra eos, & Ligures diuturno bello, quod his illis aditum per Maris Oram in Hispania interclusissent; Etenim Ligures isti terra marique latrocinia excercebant, tanta potentia præditi, ut iter vix magnis Excercitibus facere liceret, & Romani bello per XXC. annos tracto vix obtinuerunt, ut duodecim stadiorum amplitudine via pateret*, ac paullo infra: *Posterioribus autē temporibus universos Ligures subegerunt Romani. & formam Reipublicæ iis præscripserant, imposito stipendio*. Paruit ergo Liguria Romanis, eamque rexit Prætor in Provinciam redactam ex Sigonio post Consulatum M. Aemilii Scauri, sive Anno DCXXXV; sive DCXXXVIII. is Consulatu sit functus, tunc enim temporis in bellis Romanis Ligurum tamquam Sociorum, facta est mentio; Venetos etiam fidem semel Romanis datam castissime coluisse eo demonstratur, quod nullis se finitimarum Gentium præliis adversos Roma-

præstatur hæc; atque alia in hoc viro ornamenta mirifice effulgent, veluti prudentia, sermonis suavitas, & diligentia: quæ, ne te longe

---

manos gestis implicuerint, Romano tamen Prætori obtemperasse Sigonios præsertim evincit ex Livii historia, in qua narratur Senatum Romanum ægre tulisse Gallos quosdam Trans-Alpinos sine consensu Prætoris, qui in Provincia præerat, Oppidum ædificandum in Venetia suscepisse, ac Venetos quidem, eodem Sigonio teste, illos comperimus esse, qui supra Cenomanos, & infra Carnos forent collocati; *Quidquid autem agri, ab Occidente Athesi, ab Oriente sinu Adriatico, a Septentrione, ut ait Strabo, Natisone flumine, a Meridie Pado est comprehensum, id totum fuit Venetorum, eaque Regio Universa est Venetia nominata*, quæ deinde ad Istriam usque sibi conterminam est propagata, quod Venetis, quorum vulgata omnibus erat fama, Carni attributi, eorom pariter sibi nomen adscivissent, *quod sine dubio intellexisse Catonem in Epitomis Italicarum Originum*, Sigonius adnotat, *cum Venetiam*, Cato, *scripsit ab Istria usque ad Padi Ostia pertinere*. Gloriosum vero tametsi omni fuerit ætate Venetorum nomen, nunquam tamen sic illud ubique terrarum prædicatum est summa cum honoris existimatione, ut a nato Divino humani generis Servatore sæculo V.; quo tempore jacta sunt fundamenta Urbis opulentissimæ Venetiarum, potentissimæque Reipublicæ Venetorum, quæ mirifice in dies Civitatum, Provinciarum, Regnorumque ditione aucta per nullam ætatem est interitura; Occasio verò tum oblata, cum *Hunnorum gens*, ex Ammiano Marcellino lib. XXXI. cap. II. *Monimentis veteribus leviter nota, ultra paludes Mæoticas, glacialem Oceanum accolens, omnemque modum feritatis excedens*, & juxta Cellarium, Natio inter Sauromatas *ita vaga, ut sæpe sedes permutaverit*, Duce Attila, qui vulgo *Flagellum Dei, totam Oram Venetam*, ut ait Gaspar Contarenus, *insignem Italiæ Provinciam*, æstuariisque finitimam, quæ ubi Adriaticum Mare ad continentem Terram attinet, spatiosa panduntur, *igne, ac cædibus devastabat. In qua calamitate Patavii, Aquilejæ, Opitergii, Concordiæ, atque Altini Illustrium Venetiæ Urbium Cives, qui & Nobilitate, & divitiis aliis præstitere, primum se cum familiis recepere in nonnullas Insulas, seu potius Tumulos, qui in æstuariis iisce paululum e mari eminebant, ibidemque Oppida extruxere, in quibus tanquam in tutissimo Portu turbulentissimam illam Attilæ tempestatem effugerent; necnon eodem tempore in littore, quod intra vada, breviaque assurgit, veluti agger quidam, nonnulla Oppida fuere, eo convenientibus ejusdem Oræ incolis, qui primas item sedes reliquerunt, ab Hunnis direptas, ac dirutas, tutumque locum quæsierunt Uxoribus, liberisque, ac ut ita dicam, Diis Penatibus. Postmodum Caroli, Pipinique Regum temporibus, communi consilio omnes in Rivoaltum convenere velati in locum omnium tutissimum, eo maxime commodam, sicque & loci convenientibus omnibus, quicumque vexationem, & devastationem eam Italiæ illatam ab omni Barbarorum illuvie effugere potuerunt, in eam magnitudinem, quam nunc cernimus, excreverunt Venetiæ*, eoque Majestatis devenit una cum urbe Venetorum Respublica, ut Religioni, libertatique propemodum sacram cunctæ suspexerint, mirataeque sint Gentes; neque de Venetis sermo quum occurrat, id nos prætereundum sumus rati, quod multo, vetustate, splendore, virtute, Italiæ non tantum, verum Europæ Universæ, præsidio est ornamentoque; Ad Venetos priscos jam redeamus, sive cum Græcis, & Livio, aspiratione H in V consonantem commutato, Paphlagonum quidam credantur ab Asia in Italiam profecti, sive Transalpinæ Galliæ Populus, cum Strabone, ultimas partes Oce-

majoribus, atque utilioribus curis districtum ulterius morer, de industria prætéribo nam & tu Diis adjuvantibus aliquando eris otiosior, & ego

---

ni pridem accolens, sive, cum Cluverio, Illyricorum genus, quicumque fuerint, & undecumque venerint, servatis propriis sedibus, proprioque nomine, tunc solum sunt Galliæ Cisalpinæ adjecti, cum primum hæc a Romanis Provincia est facta; quin etiam nec variata denominatione Veneti sunt appellati, licet ad Romanos æqua ratione spectaverint; idem de Liguria affirmandum, quæ cum Cisalpina Gallia est conjungenda per illam ætatem, qua Romanorum viribus victi, fugati, profligatique in Italia sunt Galli, sic Ligures, Venetique sensim in Romanos transducti mores, latiusque Cisalpinæ Galliæ Provinciæ est exspatiata, & quæ nec Venetos antea, neque Ligures complectebatur, Romanis deinde legibus addicta, utramque Gentem comprehendit, mirari propterea non debemus in jus Romanæ Togæ omnem transiisse Citeriorem Galliam, & a Mela cum Carnis Togatæ Galliæ adscriptos quoque Venetos, qui a Romanis institutis nusquam abhorruere; veruntamen de Liguria si loquamur serius Togam assumpsit ex Lucani libro 1. vers. 442; antea enim comam nutrierat, dicta inde *Comata*.

Et nunc Tonse Ligur, quondam per colla decora
Crinibus effusis toti prælate *Comatæ*.

Et processu deinceps temporis una cum Romanis moribus Romanum habitum induit, Ligures mortanos si demas, qui ad Augusti tantum ætatem fuere perdomiti; Hæc Gallia Cisalpina, quæ præcipue dignoscitur ex proprio jure, quod nomine Peculiari *Jus Provinciæ Galliæ* vocatum est, diversum a Latino, quo nec *partem Romanæ Civitatis, nec ullum ad Romanam Civitatem aditum* habuere Galli Cisalpini, deterius Italico, quo nec *legibus Patriis, nec Magistratibus propriis liberi regebantur*, illud situm in eo erat, quo nec *Civitatis Romanæ ullo modo participes, nec legum, vel suæ libertatis compotes, in Auxiliis stipendia facerent*; Gallicorum auxiliorum meminit Livius: *M. Junius Consul*, is autem Consulatum gessit An. Urb. Cõd. sive DLXXXIII. sive DLXXXVI. cum Q. Aelio Pæto; *Bellò Istrico*, cœpto COSS. C. Claudio Pulchro, T. Sempronio Graccho, ab Urb Cõd. vel DLXXIII. vel Anno DLXXVI. *transire in Galliam ab Civitatibus, quantum quæque posset, Militum exigere jussus*, a bello tamen Italico, juxta Sigonium, Julia lege, & Pompeja *Jus Provinciæ Galliæ* est commutatum, ac meliore conditione donati sunt Romana Civitate Galli Cisalpini, quibus addit Cluverius in Alpibus commorantes *Taurinos*, inter lævam Padi ripam, Alpium radices, & Orgum fluvium, *Salassos* in Valle, quam Duria amnis mediam secat, *Lepontios* circa lacum Verbanum, Euganeosque collocatos inter Larium, sive Comensem lacum, & Athesim fluvium; Omnes isti Galli Cisalpini sunt nominandi, & quod singuli Romana Toga sint insigniti, nihil dicere prohibet; igitur fuere *Togati*, & omnis *Cisalpina Gallia*, etiam *Gallia Togata* est credenda, quæ nec ad Italiam propriam, nec ad Latium potest referri, quæ ex Veterum Romanorum consuetudine, Italiæ totius erat accurata divisio; Qua vero bona voluntate, quo ardore in Romanos foret hac Gallia, notum ex Cicerone ad Cassium Epist. v. lib. XIII. *Præter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus studiosissimam Reipublicæ*; Illa potiremo, qua *Gallia Cisalpina* Romanis prius fuerat, sub Augusti postea tempora partita per Regiones invenitur apud Plinium lib. III. qui Italiæ nomine universam *Galliam* exhibet distributam in Regiones, Octavam ab *Arimino ad Padum, & Apenninum*, cap. XV. Nonam, in qua Liguria, cap. V. decimam, in qua *Transpadana Maritima est, & quæ huic vicina in Me-*

& ego ad hujus ſpectatiſſimi viri laudes reſcribendas paratior, Vale, & triumpha.

ANTONIUS PANORMITA BARTHOLOMEO GUASCO S. P. D.

EPISTOLA SEXTA.

De Amico Reperto exultat, cui de ſuæ Vitæ Ratione Certiore facto Operam ſuam Navare vehementer exoptat.

EX particula quadam litterarum Mercurii Rancii viri humaniſſimi ad Catonem juriſconſ. intellexi, te Rethoricam Cherii (a) profiteri: qua de re non tibi admodum quidem, ſed auditoribus tuis, quippe qui eruditiſſimum, atque eloquentiſſimum præceptorem ſortiti ſunt, immortaliter ſum gratulatus, mihi etiam qui virum amiciſſimum, & me fere alterum jamdudum pene deperditum repererim. Haud facile quidem ſcripſerim quanta animi lætitia ſim affectus, ut ſi par altera ſuperacceſſerit, mirum quin immortalis fiam. Argento enim invento fuerunt qui præ gaudio geſtientes vitam efflarint. Quid putas me facturum amico, quem vel præ me ipſo diligam, reperto? Is profecto ſum qui ſemper amicitiam tuam præſertim omnibus rebus antepoſuerim nec quicquam jucundius, neque felicius in vita mihi contigiſſe judicaverim. Cæterum quæres, aut forte etiam admiraberis quid ego huc loci negotii agam: quæ ſpes ſit, quæ fortuna, paucis expediam.. Cum Pontificem Mediolanenſem Januæ viſitaſſem, eſt enim ut noſti non vulgari mecum benevolentia conjunctus, ejus perſuaſionibus factum eſt, ut Papiam potius ſtudiorum cauſa diverterem, ubi gentium mo-

diterraneis, cap. XVIII., & Undecimam. in qua pars eſt *Tranſpadana Subalpina*, cap. XVII., ibique præ cæteris *Mediolanenſes*. quæ noviſſimis etiam a Salute Chriſtiana temporibus, barbararum, exterarumque Gentium incurſionibus Regio patuit, præſertim tamen eſt occupata a Longobardis, quorum Imperium ad duo ſæcula protractum eſt, ab Anno videlicet poſt Chriſtum Dominum DLXXI. quo proclamatus eſt Rex Italiæ Alboinus, quo Duce Gothi, Septem-Trionales Germani ex Gothia ampla Scandinaviæ, ſeu Svevorum Provincia orti, Italiam invaſerunt, ad annum a Reparata humana ſalute, DCCLXXII. a quo Deſiderius Rex Longobardorum ultimus, victus cum ſuis, in Tranſalpinam quoque Galliam a Carolo Magno eſt abductus: *Inſubres* autem denominati ſunt *Mediolanenſes* antiquarum Gentium retento vocabulo, & *Gallia hæc tua* a Panorm. Noſt. ſcripta eſt Urbs Potentiſſima Mediolani, quod Romanis Scriptoribus eleganter, juxta morem, adhæſerit.

(a) *Cherium* Oppidum in Pedemontio, Tribus paſſuum millibus ab Augusta Taurinorum in Ortum porrectum.

moram producturus sum, quoad quisquam vel Deorum, vel amicorum alio me evocaverit. Spes nonnulla interim mihi sublanditur, quamquam, ut stultorum, sic & avarorum plena sunt omnia: fortuna vero illa eadem perstat, aut verius non usque adeo tenuis, & adversa. Tu contra, quæ mens, quæ fors, quæ spes, quis status te detineat, me condoce, quo tecum una vel distrahi lætitia possim, vel contrahi mœrore. Plura quidem enarranda sunt, sed his brevibus satis sit factum initio litterarum nostrarum. Vale, & Mercurio scholasticorum Rectori ex me plurimam salutem dices. Papiæ.

ANTONIUS PANORMITA

NARDO SUO S. P. D.

EPISTOLA SEPTIMA

Delatore litterarum Plura Nuntiaturo suæ Vitæ statum brevi exponit, seque, suumque Ministerium ei libens exhibet.

NI fores accepturus a Petro meo & fortunam, & valetudinem meam vivis affatibus, significassem tibi idipsum hodierno die, & quidem prolixiore epistola: sed ab eo longe suavius, siquidem ex voce, fronte, supercilio fortunam sane amplissimam deprehendes, atque concipies, modo non angatur absentia mea. Huic maximo Mediolanensium Principi Philippo pergratus, atque in primis jucundus effectus sum: me quidem oblectatur, me subgloriatur, me denique, meoque ingenio suavissime fruitur. Salarium mihi decrevit pro tempore satis grande, aureos videlicet octingentos annuos: verum ego non auro, sed gratiæ ipsius solum inhio, quam jamjam adsequutus Disgratia mihi videor, nec illius modo, sed Mecœnatis, ac primorum Procerum,(a) eorūdemque illustrium virorum: verum hæc ab Augusta meo

(a) *Proceres* ex Charisio lib. I. apud Voss. Ἔξαρχοι, Πρωτάρχοντες, *Civitatis Principes*, fortune a Πρωχὺς, quod est *Eminens*: At hoc nomine *Viri* non tantum in Civitate, verum in alio quovis Ordine *Primarii* significantur: hujusmodi plane sensu *Proceres* Latini Scriptores usurparunt: Ita Livius I. Libr. Cap. XLV. nominat *Proceres Latinorum*, & Virgilius Lib. I. V. DCCXLII.

Ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro,
Post alii *Proceres*.

Singulari numero *Procer* quoque dictus est a Latinis: Consule Juvenal. Satyr. VIII. vers. XXIII.

Sanctus haberi,
Justitiæque tenax factis, dictisque mereris,
Agnosco *Procerem*. Salve Gaetulice....

Et Capitolinus in Maximino cap. II. *In prima*, ait, *pueritia fuit Pastor*, *nonnumquam* Procer, *qui latronibus insidiaretur*. *Proceres*, *Capita Trabium*, *sive Mutulos*, *quæ partes ex-stan-*

meo plenius. Tu siquid me tua gratia moliri posse arbitrabere, jubeto: nulla quidem fortuna, quæ quidem sit lautissima ab nostra vetere amicitia minimum mutari potero; amor enim quem virtus conciliat, perennis est. Vale cum conjuge dulcissima, ac singularis exempli fœmina. Papiæ.



K AN-

Stantes Trabium sunt ad 1. Aeneid. scripsit Servius, unde nonnulli existimant *Proceres* appellatos, quod illi nempe sic emineant in Republica, ut *Proceres* in ædificio, id tamen ex ipso Vo.f perperam cui placet vocare *Proceres*, qui sunt *Eminentes*, *Prominentes*, *&* *qui aliqua in re primas tenent*. *Procum Patricium* legimus in Festo, in descriptione Classium Servii Tullii, ubi vero sensus inspiciatur, liquet hic *Procum* valere idem, ac *Procerum*, & *Procum Patricium*, esse *Procerum Principum*. *Proceres* vocem pariter fuisse *Medii*, quod dicunt, *Ævi*, constat ex pluribus gravissimis Monumentis, eique significationem attribuit Isidorus lib. IX. Orig. cap. IV. *Proceres Principes Civium*, nec solum *Proceres*, verum & *Procer* invenitur, quod maximæ dignitatis vocabulum fuit penes Wisigothos: In Concilio Tolet. VIII. subscribunt *Dabila Comes*, *&* *Procer*, *&* *Frolla Comes*, *&* *Procer*. *Proceres* primis Francorum Regibus unicos fuisse *Optimates*, *&* *Comites*, qui una cum Regibus in judiciis Palatinis considebant discimus præsertim ex Monacho Sangallensi lib. I. de Carolo Magn. cap. XXXIV. *In conspectu*, inquit enim, *Serenissimi Regis*. *&* Procerum *ejus*, & apud Agobardum, Matfredus *Procer Palatii* dicitur, in Epistola ad eundem, ubi & *Minister Imperatoris*, *&* *Imperii* appellatur. Quod vero *Proceres* essent sub Principis Auctoritate, ad significandum Subditum, vulgo *Vassallum* usus est hoc nomine Theganus de Gestis Ludovici Pii, cap. XII. *Eodem tempore venit Bernhardus filius fratris sui Pippini, & tradidit semetipsum ei ad Procerem, & fidelitatem ei cum juramento promisit*, & Charta Vuillelmi Comitis Pictavensis apud Beslium pag. 425. habet: *Et causam ejus calumniæ, querimoniæ ante meos* Proceres, *qui mecum venerunt simul cum Talemondensibus, judicare, ac dissolvere præcepi*. *Proceres* insuper, qui & *Summates*, *&* *Optimates*, non alios olim fuisse, quam *Senatores* ostendit Capitolinus in Marco: & Gloss. Antiquis MSS. apud Du-Fresne, sunt *Proceres*, *Præceptores*, *Doctores*, *Magistri*, *Scientes Veterum*, *Scriptores*: cæterum in omni sensu eos *Proceres* denominandos compertum est, qui supra alios emineant.

ANTONIO CREMONÆ. S. P. D.

EPISTOLA OCTAVA.

Sibi in Epiſtolis Majus Amoris, quam eloquentiæ Studium eſſe Profitetur.

SI vales gaudeo. Suades ut vel ſingulis horis ad te litteras dem, ut quæ probentur, & amentur a doctis, ac gravibus viris, at ego Antoni non ideo ad te frequentius ſcribo, aut ſcripturus ſum, quia meis hiſce ut ita loquar ineptiis aut exiſtimem, aut velim ingenii laudem aliquam venari, illas enim probe novi: ſed ea una ratione id ſedulo & feci, & facturus ſum, ut in dies magis ac magis innoteſcat amor erga te meus, ſimplex, ingens, & verus. Non eloquentiæ, ſed benevolentiæ certamen eſt: non Cicero videri tibi, & reliquis concupiſco, ſed Pylades, (*a*) aut Damon. (*b*) Major aliquanto mihi animus eſt, quam ut

(*a*) Inſignis Amicitiæ monumento commendatur *Pylades*; tanto enim fuit in Oreſtem ſtudio, eaque benevolentia, ut illi ſe non tantum adderet Comitem omnium profectionum, ſociumque periculorum, verum in Taurica Cherſoneſo ſe interficiendum offeret, Amici Oreſtis, quem Rex quærebat ad necem, incolumitati conſulturus; Hoc *in Lælio*, ſive *de Amicitia* Tullius docet coram Populo expreſſum a Pacuvio Aurei Ævi Scriptore, cujus injuria Temporis libri perierunt; *Qui clamores*, ait Cicero, *tota Cavea nuper in hoſpitis, & Amici mei M. Pacuvii fuerunt nova fabula? cum ignorante Rege, uter eorum eſſet Oreſtes, Pylades Oreſtem ſe eſſe diceret ut pro illo necaretur. Oreſtes autem, ita ut erat, Oreſtem ſe eſſe perſeveraret? Stantes tamen plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera fuiſſe facturos? Facile indicabat ipſa natura vim ſuam, quum homines, quod facere ipſi non poſſent, id recte fieri in altero judicarent*: Præter Tullium, Pyladis quoque egregium prodit exemplum, Naſo libr. Triſt. IV; Elegia item IV.

Nec procul a nobis locus eſt, ubi Taurica dira
Cæde pharetratæ ſpargitur Ara Deæ.
Hæc prius, ut memorant, non invidioſa nefandis,
Nec cupienda bonis, Regna Thoantis erant.
Hic pro ſuppoſita Virgo Pelopeja Cerva
Sacra Deæ coluit qualiacumque ſuæ.
Quo poſtquam, dubium eſt pius, an ſceleratus Oreſtes,
Exactus furiis venerat ipſe ſuis:
Et Comes exemplum veri Phocæus Amoris,
Qui duo Corporibus, mentibus unus erant.
Protinus evincti triſtem ducuntur ad Aram,
Quæ ſtabat geminas ante cruenta fores;
Nec tamen hunc ſua mors, nec mors ſua terruit illum,
Alter ab alterius funere mœſtus erat;
Et jam conſtiterat ſtricto mucrone Sacerdos,
Cinxerat & Grajas barbara Vitta Comas;
Quum vice ſermonis fratrem cognovit, & illi

ut difertus haberi cupiam, id eſt amicum eſſe, & ejus generis amicum, quales ſemper rariſſimi reperti ſunt. Itaque epiſtolarum ſi qua facis exemplaria, non eſt quod exultem, quia laudem compoſitæ orationis adeptum me putem: ſed gaudebo ſi nomen amicitiæ noſtræ divulgari, atque nobilitari ſenſero. Scribis perveniſſe literas in manus domini Mecœnatis, & ab eo maxime commendatas: dic obſecro cujus eſt laus? hercule illius, qui quicquid contingit aurum faciat. Si vero non epiſtolam, ſed perſeverantiam in te amando, ſi prudentiam in te judicando, ſi denique ea quæ animi ſunt commendaverit, hæc laus utique ſingularis mea erit: hæc ideo ad te ſcripſi, ut poſt hac potiſſimum inter nos ſtudium ſit amoris, potius quam ſermonis, exiſtimemuſque eam laudem eſſe præcipuam, quæ a virtute animi, quæ ab amicitia atque conſtantia proficiſcitur. Vale.

Pro nece, complexu Iphigenia dedit.

Id quoque perſequutus eſt argumentum M. Manilius, Auctor in auream quoque ætatem conjiciendus, cujus hoc libet in loco verſus contexere.

Idcirco nihil ex ſe met Natura creavit.
Pectora Amicitiæ majus, nec rarius unquam;
Unus erat Pylades, unus qui mallet Oreſtes
Ipſe mori, lis una fuit pea ſæcula Mortis,
Alter quod raperet fatum, non cederet alter.
Et duo, qui potuere ſequi, vix noxia pœna
Sponſoremque reus timuit, ne ſolveret ipſum.
Perque tot ætates, hominum, tot tempora, & Annos,
Tot bella, & varios etiam ſub pace labores,
Quum fortuna fidem quærat, vix invenit uſquam.

(*b*) Pythagoricam Doctrinam ſequutus eſt Damon, quem inauditæ propemodum Amicitiæ, cæteriſque demirandum proponit Cicero in Lib. III. de Offic. ubi Inquit: *Loquor autem de communibus Amicitiis.... Damonem, & Pythiam Pytagboreos ferunt hoc animo inter ſe fuiſſe, ut quum eorum alteri Dionyſius Tyrannus diem necis deſtinaviſſet, & is qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies commendandorum ſuorum cauſa poſtulaviſſet, reus factus eſt alter ejus ſiſtendi, ut ſi ille non revertiſſet, moriendum eſſet ipſi, qui quum ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorum fidem Tyrannus, petivit ut ſe in amicitiam tertium adſcriberent*: Eorumdem & in Tuſculanis Quæſt. V. meminit idem Cicero, & poſt Ciceronem Valer. Max. Lib. IV. amicorumque eadem plane fides admirationi fuiſſe ipſi Tyranno Dionyſio memoratur in Fabulis ab Hyginio, ubi duo inveniuntur Amici, nominibus forte immutatis Mœrus, & Selinuncius, ac poſtremo Budæus in Annot. prioribus in L. Poſteriorem de Orig. Juris de Vadibus loquutus, quos Feſto Auctore, *Sponſores in re capitali* dici ait, *Elargitos* eos vocari teſtatur: qui vadimonio ſunt obſtricti, eaque lege dimiſſi, ut in certum diem ſiſtantur, quo loco documenti gratia adducit, quæ Tullius de Damone, ac Pythia narrat.

ANTONIUS PANORMITA ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA NONA.

Illi suadet, ut ad bellum adversus Florentinos gerendum proficiscatur & iturum ad castra, diem genialiter acturus secum habere desiderat.

Cum puto, ac gaudeo te bellum gerere contra Florentinos, proque tua salute vota quotidie suscipio, perlatum mihi est ab Ergotele te esse Mediolani, sanum quidem, & fortem. Qua ex re nisi ob negotia tui Herculis conjectarem te regressum, angerer mediusfidius, eo maxime quod non mediocrem laudem, atque fortunam in Tuscia te vaticinabar adepturum, ubi de gloria, ubi de salute, ac tranquillitate nostri Principis est certamen, ubi etiam mori vita, & voluptas est. Gloria quæ ex bellis proficiscitur ea sane præcipua est. Nec sane te minus sum demiratus ab animi magnitudine, quam te hactenus amaverim, suspexerimque ob egregiam animi facilitatem, ac suaviloquentiam. Nulla sive ingenii, seu animi dote æque honestaberis, ac si fortis, & excelsi animi aliquando speciem exhibueris. Hanc laudem dic per Deos omnes te quæso, Mediolani ne es assequuturus, ubi regnant dominæ voluptates, (a) ubi ignis tuus ille imperialis te delinit, fran-

---

[a] *Dominæ Voluptates*, illo, ut sanius existimamus, sensu ab Auctore Nost. consulto vocantur, quo Corpus pariter, Animusque lætitia gestire dicuntur: Hoc a Cicerone didicimus, qui lib. II. de Fin. cap. IV. ait: *Voluptatis verbo omnes qui latine sciunt duas res subjiciunt, lætitiam in animo, commotionem suavem jucunditatis in Corpore*; Animo itaque, nec non & Corpori dominantur Voluptates, nam utramque hominis partem gaudio, ac suavitate perfundunt, *Omne autem id*, II. quoque de Fin. conscribit idem Cicero, cap. XXXVII; *quo gaudemus Voluptas est, ut omne quo offendimur, dolor*. Hanc ipsam *Voluptatem* Romani, exterarum Gentium longe superstitiosissimi in deorum numero habuere, illam ex Fabulis esse rati, quæ Cupidinis Primi, ex Psyche Filiæ Apollinis Progenies foret; nec uno tantum, verum plurimis etiam donavere nominibus, quæ de Nat. Deor. lib. II. recenset Tullius, *Cupidinis*, inquiens, *& Voluptatis, & Lubentinæ Veneris vocabula consecrata sunt, Vitiosarum rerum, sed tamen ea ipsa vitia vehementius naturam sæpe pulsant*; Ex *Voluptate Volupia* pariter prodiit, teste Augustino de Civit. Dei lib. IV; Nomina sane in Deorum cœtum a Romanis invecta ut Liberius voluptatibus indulgerent, nec id propterea admirationi esse debet, si prope innumera occurrunt passim in Romanorum historia luxus portenta, contra quæ frustra clamarunt Seneca Plinius, aliique Scriptores complurimi, id enim ex eo manavit, quo in pravum sensum detorta Voluptas vitiis, infandisque criminibus locum præbuit, quæ Animis, Corporibusq; recreandis prius data hominibus fuerat; Quamobrem illa sensim in mala humanos animos abripiente, ex Cicerone mox allato, de Fin. cap. 12.

frangit, & vere in te imperat, ubi perditionis denique mille viæ, mille nocendi artes? quid hæc? ut quam ocissime potes mea sententia discedas. Nam quamquam tua hæc profectio nulli tam incommoda, tamque inutilis, & inimica est futura, quam mihi, non sum is tamen qui amici, & veri quidem amici laudem meæ nolim anteponere utilitati. Plane tuam hanc absentiam tuo cum honore, ac gloria compensabo, ut quantum illinc incommoder, tantum hinc capiam voluptatis, ero præ-

---

Divinus Plato escam malorum voluptatem appellat, quod ea videlicet homines capiantur, ut hamo pisces; hinc profecto *se dedere voluptatibus* idem prorsus est, quam se labis cujuscumque sordido inquinare cœno, corpusque turpissimis fœdare sceleribus, nec ulla exinde *Capitalior pestis, quam voluptas corporis* ab eodem Tullio fugienda declaratur, qua quidem in re ad minimam voluptatum partem animum convertimus, quæ Romanos vehementer oblectavit, eamque fluxisse a spectaculis, ludisque Scenicis gravium Scriptorum auctoritate comperimus; sic Trebell. Poll. in Gallien. cap. IX. *Quæ Voluptates,* ait, *paratæ sunt, & qualis cras erit Scena?* Insuper Capitolinus *in Marco*: *Absens,* inquit, *Populi Romani voluptates curari vehementer præcepit per ditissimos Editores;* Usurpatie igitur venuste latini Sermonis elegantiam putandus est Cassiodorus, quo referente lib. 4. epist. XIX; & lib. VII. epist. X. Auctorum latinorum testimonio, qui Scenicis ludis præessent, *Tribuni Voluptatum* sunt nominati, ac XLII. in Vita Tiberii Svetonius pronunciat, illum jam Imperatorem, *novum* instituisse *Officium a Voluptatibus, Præposito Equite Romano T. Cæsonio, & Censorio Prisco*. Deterius vero dubio procul a Plutarch. de Fortun. Alex. Orat. II. accepimus quidpiam de Sardanapalo, positum ipsi videlicet *Simulacrum Voluptatis*, Statuam nempe lapideam, secum ipsa tripudiantem, Ritu barbarico, digitisque supra Caput concrepantem, his verbis inscriptam: *Ede, bibe, Veneri indulge, cætera nihil sunt*, quum è contrario, Plutarch. eodem teste in Apophthegm. *Voluptatum fastidium illis legem Lycurgi attulisse* graviter dixerit Agesilaus, quos vel Ethnicos homines, utinam gentes fuissent imitatæ, quibus Divinæ veritatis Evangelicum lumen affulsit, non enim impie adeo nefarieque a recta via deflexissent, in quodvis effrænatæ Voluptatis genus ultro incurrentes; Tota semper horrescet nomine Carpocratis Alexandrini Catholica Religio, qui a Christo Domino Redemptore Sæculo II. perditissime voluptatibus indulsit, seque, suosque *Gnosticos*, idest *Sapientes* ausus appellare in omnem libidinem est effusus, uti narrat hæresi XXVI. S. Epiphanius; ingens excitata propterea in Ecclesia morum voluntatumque divisio, non sine mediocri Catholici nominis detrimento diu est pervagata; Neque is voluptatibus finis; illas enim ab humana Reparatione Sæculo VII. scelestissimus omnium instauravit Mahumedes, qui non unam tantum Superstitionem hominibus dum viverent oblectandis in terras invexit, jejunio, voluptatibusque mutuo permixtis, verum post mortem, æternam animorum felicitatem, in voluptatibus, ac sensuum oblectationibus perfricta fronte collocavit, quod animadvertit S. Thomas Aquinas Contr. Gent. cap. VI. inquiens: *Mahomet Carnalium Voluptatum promissis, ad quarum desiderium Carnalis concupiscentia instigat, Populos illexit*: Plura hoc in negotio congessit Jo: Forbesius, Instruct. Historico-Theolog. lib. I. cap. XXXVII; nec non libr. IV. cap. II; alibique, permultique alii, qui fusius Catholica Dogmata exponunt; ad id vero nequitiæ voluptates non accessisse credendæ sunt, nisi ex prav

terea licet absens tecum, tecum equitabo, tecum jaculabor, tecum hostes fugabo, tecum castra diripiam, denique tecum orabo, atque triumphabo, his itaque imaginibus me consolabor, meque oblectabo, quoad te tandem recipias victor, & fortis. Illud postremo peto, ut illuc ire statuens, hac transitum des, mecumque vel diem saltem agas genialiter. Vale mea omnis suavitas.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA DECIMA.

Urget, ut ad se veniat, ac sua quædam sibi deferat, sua nonnulla item alia in adventu illi daturus.

GAudeo quod ad me una cum Ferussino venturus es. Verum gaudeo si celeriter, amor enim non patitur moram. Et te ex peregrinatione redeuntem, & illum ex lecto resurgentem visere magnopere concupisco: maturate igitur vos oro, & me ab hac desiderii ægritudine liberate, ut itinere, ille febribus, ego desiderio laboro: quis nostrum vero gravius, sat scio, qui & peregre profectus sum, & febrem passus, sed qui desiderat is profecto jacet gravissime. Tecum afferas si me amas Oratiunculam primam ad Genuenses meam, (a) qua de re aliâs ad te prolixius scripsi, & quia aberas literæ redditæ fuerunt Piccinino filio. Item adferas ab Iphicleo nunc te rogo Tulliolum suum, & quicquid præterea suavitatis, & mellis in te est. Interim parabo tibi Gurgulionem, & delitias meas. Vale tu, & ut valeat Ferussinus elabora.

consuetudine, usuque immoderato, eaque de caussa cum leguntur in Auctore Nostr. *Dominæ Voluptates Mediolani regnasse* illæ sunt accipiendæ, quarum honesta delectatione ingenuus animus relaxabatur, hic tantum vitandæ, quod hominem bellatorem otiose detinerent.

(a) Orationem ad Genuenses habitam scimus ab Auct. Nostr.; qua illos ad struendam Classem est disertissime cohortatus, nam adversus Turcas acerrimum bellum erat suscipiendum: Ad prælium autem incendit præsertim, quod ageretur de Reipublicæ augenda dignitate, Italiæque salute amplificanda.

ANTONIUS PANORMITA
ANTONIO CREMONÆ S. P. D.
EPISTOLA UNDECIMA.

Exquirit, cur ad se raro perscribat, Olearium Causidicum illi commendat, una cum litteris ad Guarinum cito perferendis.

SI vales bene est, ego valeo. Post Ergotelis adventum, & tuum, illud regium, & te dignum donum, quatuor ad te litteras misi; quibus adhuc nihil respondes, aut quia absens es, aut quia Dominici nostri obsequelis (*a*) totus es deditus, utraque excusabilis causa, Dominici etiam laudabilis, etenim illi dum servis, & invigilas, neque litteras a te postulo, neque verbum ullum. Sin vero alia fortassis causa obticescis, si resciero ut sum in amore tenerrimus, ægre feram, uni autem Dominico concedo, immo ut uni illi intentus, & adscriptus sis, te etiam atque etiam hortor, & rogo. Sat scribis, sat epistolis operam das, si jacentem, eumque amicissimum erigis, aut certe refocillas. Scribo ad Picininum, eumque obtestor, ut mea causa Joannem Olearium Causidicum amicum meum Mecœnati commendet, tu item si tantisper a Dominico vacare potes, dum hunc Causidicum familiarem nostrum Mecœnati tradideris, facies mihi quam maxime gratum, saltem Piccininum excita ad id quod honestissime pro honestissimo viro postulo, qua de re quid actum fuerit, si per te licet, fac ut intelligam etiam ante Causidici regressum. Vale, & has Guariniastræ nostræ litteras Guarino nostro quam potes citissime perferendas cura. Papiæ.

AN-

[*a*] *Obsequelam* legit Taubman. In Plaut. Asin. Act. 1. Sc. 1. v. XLIX.

Omnes Parentes, Libane, liberis suis,
Qui mihi auscultabunt, facient *Obsequelam* jam.

Ac τὸ *facient Obsequelam* explicat, *obsequentur*, *indulgebunt*, contra ac sentiat Gruterus, qui ex MSS. fide expungit illud *jam*, & *Obsequelam*, ut invenit in Ipsis MSS. improbans, suspicatur locum solum sic restitui posse, *facient Obsequetiam*, pro *Obsequentiam*; Cæterum ab Acidallo corrigitur, *Obsequelam eam*, vel *fac Obsequelam*; Quodcumque dicatur, *Obsequelam* a latinitate eliminari non posse arbitramur, illudque significare ducimus, quod *Obsequium*, derivatione hausta ab *Obsequor*, quod est *morem gerere*: Hoc vero sensu ab Auct. Nostr. *Obsequelæ* vocabulum non credimus usurpari, verum cum dicit *Obsequelis es deditus*, idem esse censemus, ac si diceret: *Ministras*, vel *Inservis*.

ANTONIUS PANORMITA
ANTONIO CREMONÆ S. P. D.
EPISTOLA DUODECIMA.

De ejus valetudine, ac de Marcolino, & Feruffino ægrotantibus sibi aliquid certi nuntiari postulat, nec non suam Oratiunculam ad se commodato vel ad dies mitti.

Nunquam putavi te adeo curis distringi posse quamvis arduis, & infinitis, quin mihi meisque litteris responderes. Quid enim potius alicui curæ esse debet, quam amicus? Cedunt & Principes amicitiæ. Quinque, si rite dinumero, litteras ad te misi, & tu tamen siles, ut silex, & maxime quum de valetudine clarissimorum scribarum, eorundemque amicissimorum certior reddi sitiam, ac prope tabescam. Quid hoc sit vaticinari nequeo, nisi quod abominor ne tu simul ægrotes, nam absens neque es, neque esse debes, Marcolino, & Feruffino jacentibus: aut si adeo illis curandis deditus es, quo laudabilius nihil facere potes, quid hoc nobis non significas vel unico verbo? Rescribere statim te rogo illorum statum, ac tuum, nam si diutius tacere pergis, certum est te etiam adfici, quod Dii vetent. Pensa qua solicitudine interea affligar, jam intelligis, quid facto opus sit. Indigeo & quidem vehementer Oratiuncula illa prima, quam ad Genuenses, conscripsimus: eam mihi ad pauculos dies commodato mitte, aut si eam ipse non habes a Piccinino magno sume, quam e vestigio (a) mittas, si meam gloriam amas. Vale mea lux.

AN-

(a) *E vestigio* formula est, qua latine exprimitur, *confestim, celeritate magna* ducta Sermonis proprietate ab ipsamet natura vestigii; nihil enim pene citius fit quam vestigium; Celeritati itaque denotandæ accomodavit hunc loquendi modum præ cæteris Tullius I. Verr. *Repente* e vestiglo *ex homine, tamquam aliquo Circæo poculo factus est Verres*, & lib. IV. Familiar. E vestigio *eo sum profectus prima luce*; Hujusmodi dicendi rationi, alia quoque latina consonat egregia loquutio: *E regione*, eodem plane jure efformata, significatque *ex adverso, ex opposito*, quod id innuatur, quod opponitur regioni, in qua consistimus: Cæsar hoc habet lib. VII. de Bell. Gall. *Quum uterque utrique esset exercitus in conspectu, fereque* e regione, *castra castris opponeret*, & clarius Cic. Academ IV. *Nonne etiam dicitis esse* e regione *nobis, e contraria parte Terræ, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos Antipodas vocatis?* Sic particula *E* lepore multo, ac venustate latini sermonis usui convenit.

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA DECIMATERTIA.

Illum, quod redierit gratulabundus alloquitur, videndique cupiditate flagrat, & quædam ei promittit, nec non ab eo quædam petit.

QUod redieris gratulor mihi, quod sospes tibi, quod re bene gesta Principi, quod cito Feruffino nostro. Celeritas hæc enim tua cum Principi, & Mecœnati grata, atque utilis esse debet tum convalescentiæ maxime conducet Feruthni, & Marcolini. Suavitas, & urbani mores ad valetudinem valent, & ut quisque jucundissimus est, ita Medicus acceptior. Nam ingenii suavitate quantum polleas dicere aut scribere admodum vereor, ne partim natura ipsius tua, partim prædicatione amicorum, partim merito tuo aliquando in isthanc curiam intrudaris, aut rectius sepeliaris, quod ut nosti pridem vaticinor, ac veritus sum te non perdere, quique te novit de te facile divinus est. Hoc igitur omisso, tuo adventu plurimum gaudeo, sexcentis odiis, sexcentis obtrectatoribus circumventus sum. Unus ex omnibus relictus es consolatio angorum meorum, & innocentiæ tutela. Bene igitur veneris mea spes, mea voluptas, mea laurea, unum te illud rogo, scilicet me invise. Erit viæ pretium quod biduo tibi Gurgulionem legam, aut si non licet, patere saltem, ut ipse ad te veniam: & repete mihi Mannum meum ab Abbate Palatino, qui isthic est, & una alterum ex tuis ad me mitte. Nisi te videro tabescam miser: ita me velut poculo amatorio (*a*) occupatum tenes. Vale unicum desiderium. Papiæ.

M AN-

(*a*) ***Amatorium Poculum*** cum Tullio vocavit Auct. Nostr. id omne quod animum perducit ad amorem: huic autem *Poculo Amoris* nomen etiam fuisse legitur in priscis Scriptoribus, illoque vocabulo comprehensum quidquid vei invitas voluntates censeretur in amorem pertrahere liquet in ejusdem Poculi usu, ac magis expresse notione *Philtrorum* quoque appellarunt latini ex sensu Græcæ vocis φίλτρον; Ejus quidem ministerio plurimum in homines desævierunt Thessalæ Mulieres, primæ inter Pharmaceutrias, plerisque rebus simul permixtis, quarum ex conjuctione multa Philtrorum genera coalescerent; in his porro numerantur *Inanima*, ut *Trochus*, scilicet *Rota Veneficarum*, alio nomine *Rhombus*, in libr. IX. epigr. XXX. Martialis expressus ad Incantationes denorandas:

> Quæ nunc Thessalico Lunam deducere *Rhombo*,
> Quæ sciet hos, illos vendere Lena Toros.

Atque cum Trocho, *Pili*, *Ungues*, ex ipsorum Ustrina ad Philtra conficienda assumpti, quemadmodum & *Capilli*, ex Apulejo libr. III; & *Unguium præsegmina*, & *Taeniæ*, Recensentur & *Plant-Animalia*, seu *Re*-

ANTONIUS PANORMITA
ANTONIO CREMONÆ S. P. D.
EPISTOLA DECIMAQUARTA.

Hortatur, ut quod in sui Antistitis Gratiam cœpit Opus perficiat, ad Librarium deinde quæ spectant breviter attingit.

REpetens mecum quid id esse possit, quod pro nostro divino Antistite sis nuperrime molitus, quod scilicet utilitati cederet flore-

---

diculæ, *herbæ*, *furculi*, habenturque postremo *Animalia*, videlicet *Sauræ*, idest *Lacertæ*, quæ in *amatoriis Veneficiis* nimium valuerunt, ex Theocrito, *Bicodulæ*, Aves nempe Veneficarum, ex assidua caudæ vibratione duplicem visæ Caudam ostendere, ac *Hinnientium dulcedines*, hoc est *Hippomanes*, nimirum Caruncula in fronte Pulli Equini statim edito partu ab Equa dentibus avulsa, & vorata; Singula ad Amorem ingerendum inventa, *Philtrorum* sunt portenta, quæ, postquam enumeravit, infirmari ait Lævius, si contra illa quæratur *Antipathes*; Id prodidit ipse in *Apologia Apuleji* his versibus:

Antipathes illud quærito:
Philtra omnia undique irtuunt,
Trochus, pili, ungues, Tæniæ,
Radiculæ, herbæ, Surculi,
Sauræ, illices bicodulæ; Hin-
Nientium dulcedines.

Cæterum *Antipathes* si adhibeas non tam consulis Amori, quam Insaniam arces, vel furorem, ad furendum enim vel insaniendum pessimum illud Veneni genus homines adigit, Inimicum propterea Puellis φάρμακον Ovidius execratur Artis Amat. Lib. II. v. CV.

Nec data profuerint pallentia *Philtra* Puellis,
Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Viam ad Incantationem noxie parari *Amoris Poculo* in Canidia Venefica gravissime carpit Horatius, cujus artem, pravosque mores, nec non iniquos Ritus, deterrimamque Superstitionem, hoc in loco describimus ex eodem Horatio Epodon V.

Canidia brevibus implicata Viperis
Crines, & incomptum Caput,
Jubet Sepulcris Caprificos erutas,
Jubet Cupressus funebres,
Et uncta turpis ova Ranæ sanguine,
Plumamque nocturnæ Strigis,
Herbasque quas & Jolchos, atque Iberia
Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta jejunæ Canis
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana per totum domum
Spargens Avernales aquas,
Horret Capillis, ut Marinus, asperis
Echinus, aut currens Aper.
Abacta nulla Veja conscientia,
Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus,
Quo posset infossus Puer
Longo die bis terve mutatæ Dapis
Inemori spectaculo:
Cum prumineret ore quantum extant aqua
Suspensa mento Corpora:
Exucta uti medulla, & aridum jecur
Amoris esset *Poculum*,
Interminata cum semel fixæ cibo
Intabuissent pupulæ,
Non defuisse masculæ libidinis
Ariminensem Foliam,
Et otiosa credidit Neapolis,

renorum (*a*) centum annuatim, illud vaticinor fore, puta foci ut vulgo loquar exemptionem: quod si ita est, ut conjecto pro conjunctione tua cum Vitelliano viro clarissimo, quid est per Deum te quæso quod ante digressum tuum beneficium non perficias, & Antistiti pandas quid id est, uti & rebus suis consulere possit, & tibi gratias peringentes habere: hoc primum quod ut expedias te pariter adjuro: deinde studeas, ut librarius noster ad me mittat reliquum Ciceronis, ac membranas accipiat. Vale, atque i feliciter meum cor. Ex Lauda.

AN-

Et omne vicinum Oppidum:
Quæ sydera excantata voce Thessala
Lunamque Cœlo deripit.

Quod vero cum amore plerumque conjungatur desiderium, inde *Poculum desiderii* eodem Horatio Auctore nominatum fuit *Poculum Amatorium*, & illud ultimo Epodon pandit Canidia, artis veneficia explicans his versibus adversus ipsum Horatium:

An quæ movere cereas Imagines
(Ut ipse nosti curiosus) & polo
Deripere Lunã vocibus possim meis;
Possim crematos excitare mortuos,
Desiderique temperare *Poculum*:
Plo... Artis in te nullum habentis exitum?

Omnia autem malorum Dæmonum opera *Philtra* tentata docet Origenes contra Celsum, eaque hic ab Auct. Nostr. haud proponuntur: De *Amatorio Poculo* ille sermonem habens in sua Epistola, illud declarat quod propius ad amoris benevolentiam, nulla autem ratione ad veneficiorum naturam pertineat.

(*a*) E Florentia, teste Joan. Villan. prodiit Florenus, Nummus Aureus Florentinorum Cusus primum Anno ab Humana Reparatione MCCLII: Titulo XXIV. Ceratiorum, quorum octo unciam conficiebant: In una Floreni parte insculptus est *Flos Lilii*, unde Nummo *Floreno*, nomen fuit; in altera effectus S. Jo: Baptista, referente eodem Villan. Lib. VI. Cap. LIV; cui potest addi Jo: Hocsemius in Episcopis Leodiens: *Florenum* pariter appellans: *Aureum Numisma Florentinum*; Hinc Nummis Aureis fere cœteris indicta *Floreni* est appellatio ut habetur in Computo Thesaurariorum Franciæ Ann. MCCCXVI. in Camera Comput. apud Du-Freso. in Gloss. *Parisiis Florenus æstimatur XIV. Sol.* Eodem Villan. perhibente docemur lib. IX. sub Annum ferme MCCCXXII. Summum Pontificem Jo: XXII. excudisse forma & pondere Florentinis pares aureos Florenos, ea solum diversitate, qua in circulo legebatur nomen illius ea parte ubi S. Jo: Baptista effictus erat, ad latus S. Jo: Baptistæ Infula Pontificia locabatur: ubi lilium apparebat, apparebant voces: *S. Petrus*, *S. Paulus*; anathemate subinde puniit idem Pontifex Maximus Marchiones Monferratenses, Spinulas Genuenses, aliosque Italicos Principes hujusmodi florenos cudere aggressos, Florenique Pontificii *Floreni* vulgo *Auri de Camera* sunt nuncupati; Rythmi quoque in Obitum Henrici VII. Imperatoris Floreni meminerunt, versusque transcribimus ex ipso Du-Fresne Gloss.

Paulinum quemdam variis
Corrumpit cum denariis
Quampluribus *Florenis*
Ut Principem pissimum
Monarcham potentissimum
Inficiat venenis.

Et infra legitur.

Te cœcum cœci muneris
Præcipitant *Floreni*.

Nunc temporis apud Germanos *Florenus* argenteus plurimum est in usu.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA DECIMAQUINTA.

Litteras ac vinum ad se pervenisse scribit, litterarum autem jucunditatem vino præponit ideoque rogat ut litteris ad se tantum datis, donis abstineat.

EPistolam simul & vinum a te hodie accepi, persuave quidem utrumque, sed epistolam aliquanto fortassis suaviorem: quanquam enim id moleste fers: malles tu quidem vinum iri præpositum, tamen epistola sane dulcior, atque suavior. Sicut enim quicquid a te mihi dono datur, it deperditum, sic & mihi jam insuave est: seu quia vini minime peritus sum, haud dubie epistolarum lepori, atque sapori magis accedo. Cæterum tu, per ingenium tuum te nunc obtestor, quid mecum, id est cum homine conjunctissimo, ac deditissimo vulgaribus hisce donationibus agis? an putas a me propterea plusculum amari? vinum quidem lætificat hominum corda non gignit, non continet amicitiam. Perge tu ut cœpisti honestatem colere, litteris, & bonis artibus assidere, me amare, nec vino inter nos, neque munusculis opus erit. Nam tu cum sis humanitatis, ac modestiæ exemplum, unde putasti tuum vinum jucundius esse, quam ipse sis? equidem fateor & vinum esse rem persuavem, hilarem, sanctam, sed qui Cremonæ mores semel degustaverit, vel nectar, vel mulsum, (a) vel Bacchum ipsum floc-

(a) *Mulsum* demonstravit Cicero quid esset de Orat. Lib. II. Cap. LXX. cum ait, *Quum vocem in dicendo obtudisset, suadebat Granius, ut* Mulsum *frigidum biberet simul ac domum rediisset*; Voci autem ex Mulso præstatur accomodata Potio, quæ ex vino, & Melle conficitur, ac lenitate quadam Venas mulcet: ejus vero accuratam concinnandi rationem exhibet Dioscorid. lib. v. cap. VIII; Palladiusque Lib. II. Cap. XVII; Auctoresque cœteri Geoponicon lib. VIII. cap. XXV; qua in re id quod perscribitur a Talmudicis in Tract. de Idolol; *Mulsum*, dicentibus, *esse vinum & mel & Piper simul temperata*, videtur ad Conditum pertinere, cum per se bibatur *Mulsum* quacumque dempta odorum conditura; Illud sane, & optimum esset, ac perfectissimum a Romanis, ex recenti melle, & vetusto vino temperari consuevit, Massico præsertim, & Falerno, quæ vina fuerunt cœteris robustiora, Mel vel Siculum, vel Atticum erat usitatius, quod Martialis commemorat, primum quidem Libr. XIII. Epigr. CV.

Cum dederis Siculos mediis de collibus Hyblæ,
Cecropios dicas tu licet esse favos.

Posterius vero ejusdē lib. Epigr. CVIII.

Attica nectareum turbatis mella Falernum,
Misceri decet hoc a Ganymede merum.

Explicatur pariter Mulsi conficiendi modus a Virgil. Georg. IV. aptissime Vers. C.

Hinc cœli tempore certo

floccifaciat oportebit. Ego te equidem malo, quam tua, ut post hæc si a me amari desideras ab hujusmodi muneribus supersedeas: est enim in te cur homines inebries non vini, sed morum suavitate, & eloquentia: dabis posthac vinum aliis, mihi unum te ipsum trade, immo jampridem traditum firma. Vale mea dulcis epistola, cætera transigemus coram.

N AN·

Dulcia mella premes, nec tantum dulcia, quantum
Et liquida, & durum Bacchi domitura saporem.

Ad convivia autem solebant primo Veteres adhibere *Promulsidem*, nimimirum Mulsi potionem, illudque testatur Varro de Re Rust. hir Verbis lib. III. cap. XVI. *Venit favus ad altaria, & Mel ad principia convivii*, eaque potio interdum apponebatur jam confecta, nonnumquam Vinum, ac Mel separatim, ut convivæ utrumque permiscent more suo, arbitrioque sibi mulsum faceret; Arguit propterea Horatius libr. II. Satyr. IV. vers. XXIV. Aufidium, qui mulsum ex austeriore Falerno Catio ministraverat, quum delicato, fastidiosoque illius palato mulsum e Mustico leniori magis placuisset.

Aufidius forti miscebat Mella Falerno,
Mendose, quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene docet: leni præcordia *Mulso*
Prolueris melius....

Mulsum ab Aristeo inventum olim ante Circen, Plinius tradit libr. XIV. cap. IV. sic, *Arystæum primum omnium*, ajunt, *Mel miscuisse Vino*, contra vero Plutarch. Symposiac. libr. VIII, quæst. IX. inter ea, quæ nuper sunt inventa *Mulsum* recenset; *Multa enim*, inquit ipse, *quæ gustari olim, & comedi non volebant, nunc pro suavissimis habentur, ut* Mulsum, *& vulva*: Quod omni caret difficultate, cetroque liquet, illud est deinde, a Plinio de Mulsi utilitate expressum libr. XXII. cap. XXIV. *Multi senectam longam* Mulsi *tantum nutritu toleraverunt, neque alio ullo cibo celebrè Pollionis exemplo: Centesimum annum excedentem eum Divus Augustus hospes interrogavit, quanam ratione maxime vigorem illum animi, corporisque custodisset; At ille respondit Intus* Mulso, *foris Olea*. *Mulsi* naturam solertius etiam declarat Plinius, Mulsum, inquiens, *ex vetere vino utilissimum, facillimeque cum melle concorporatur, quod in dulci numquam evenit; Ex austero factum non implet Stomachum, neque ex decocto melle, minusque inflat, quod fere evenit. Appetendi quoque revocat aviditatem cibi*. Plura de *Mulso* quærentibus occurrunt passim in Dioscorid. lib V. cap XVI; & Macrob. libr. VII. cap. XII. Turneb. præterea, ac Lipsius *Mulsum* datum in Triumpho Militibus asserunt ex Livio, cujus ex libr. X. cap. XLII. affertur locus *De Mulsi Pocillo* voto Jovi a Romano Consule in Bello Samnitico: *In ipso discrimine, quo Templa Diis immortalibus voveri mos erat, voverat Jovi Victori, si legiones hostium fudisset*, Pocillum Mulsi, *priusquam temetum biberet se se facturum; id votum diis cordi fuit, & auspicia in bonum verterunt*; Plautus pariter Mulsum redditum Militum virtuti commendat in Bacchid. Act. IV. Sc. IX. Vers. XLVII.

Nunc alteris etiam ducentis usus est, qui dispensentur
Ilio Capto; ut sit *Mulsum* qui triumphent Milites.

Mulsique facit mentionem aliis plerisque in locis, quos consulto omittimur, ne molestius quam par est Urbanum Lectorem detineamus.

ANTONIUS PANORMITA
ANTONIO CREMONÆ S. P. D.
EPISTOLA DECIMASEXTA.

Carmina in laudem Elisæ conscripta Ergoteli perferenda tradit, quæ quanti facienda sint, diligenter perscrutatur.

VErsus, quos jamdudum a me pro tuo jure efflagitasti in laudem Elysæ mulieris, [a] aut rectius Nymphæ præstantissimæ, per Ergotelem ad te mitto: non ut desiderio tuo, & virtuti ac pulcritudini illius satis me fecisse arbitrer, nam illa & ingenia, & laudes hominum facile supergressa est, sed quemadmodum hi qui grandi ære alieno obstringuntur, (a) quo creditores interim obticescant, aliqua qua saltem possunt ex parte solvere consueverunt: sic ego qui tuæ in me benevolentiæ, ac beneficentiæ tantum debeo, quantum haud facile scripserim tibi, in amica, ac domina tua pro parte saltem satisfacere conatus sum. Re-

---

(a) Dura nimis, asperaque lege tenebantur Veterum Legibus debitores, eaque adeo gravi, ac ferme intolerabili, ut illorum ea querela memoretur a Livio lib. II. cap. XXIII. *Se foris pro libertate. & Imperio dimicantes a Civibus captos & oppressos esse, tutioremque in bello, quam in pace, inter hostes quam inter Cives libertatem plebis esse*. Decem-Virum porro Auctoritate solutionis causa *justi dies* triginta sunt constituti debitoribus, atque hoc deinde menstruum tempus est protractum ad *Bimestre*, postremoque a Jusliniano ad quatuor menses productum; Triginta postea diebus lapsis, nisi judicatum faceret reus, aut vindicem inveniret, qui fidem ejus præstaret, & creditoris approbante sententia in se debitum susciperet, manibus in debitorem injectis, illum ad Prætorem rapere ac pro Servo addicendum sibi curare, Creditori fas erat, itque, qui debiti gratia ita foret addictus Creditori *Nexus*, & *Obæratus* appellabatur ob servitutem, quam ex ære alieno subibat, quod ex Atheniensium jure, post Solonis quidem legem sublato, in Romanorum leges est relatum: Qui deinceps sic addicti debitores, ne aufugerent, in ipsamet Creditoris domo, ut in privato carcere, vinciri potuerunt nervo, & compedibus, catena injecta non majore quindecim pondo; ac si luberet, vivere ex propriis substantiis poterant sic vincti, si illud gratum iis non esset, ex Creditoris bonis capere cibum, vestitumque, qui *Victus* nomine intelliguntur: Victum autem Decem-Viri definierunt *libras farris in dies*, idque pro libra farris in singulos dies exponunt eruditi, tametsi repugnent nonnulli, quibus hæc Verba XII. Tabul. ex Gellio desumta visa fuerunt suspecta, tum propter obscuritatem, tum quia mitius actum esset cum debitoribus, quibus selibra farris, victus hominum frugi quotidianus, satis debuisset esse, ne large magis quam par erat *obæratis*, & *servis* cibus porrigeretur: Hinc apud Nonium Bibaculus de Valerio Catone

Quem tres Cauliculi, selibra farris,
Racemi duo, tegula sub una
Ad summam prope nutriant senectam.

Et Titinius

Recte quidem, modo tu interim agas ſilentium, ac perferas. Nam cum cæteris in rebus temperans ſis, & modeſtus, vereor ne quid Andria apportet mali, & propter amorem, ut fit, ex modeſto immodeſtus fias, & importunus mihi. Etenim cordi eſt, niſi me præcipites, Elyſam tuam accuratius efferre, & quantum in me fuerit immortalitati conſecrare, Debeo, daboque id profecto amicitiæ noſtræ, quippe

cum

Libram ajebat ſatis
Eſſe ambobus farris intriti; plus comeſt ſola
Uxor . . . . . .

Cæterum optime legitur, *libras farris in dies*, eo vel maxime quod obærati ad ſerviles Operas, improbumque laborem firma valetudine, integriſque viribus quum eſſe deberent, mirum non erat, ſi libra farris utique nutrirentur. Sic addicti habebant poſtea ſexaginta dierum ſpatium ad paciſcendum cum Creditore, vel majores inducias, vel aliquod ab eo levamen impetraturi, Creditor autem ſi foret inexorabilis, triginta diebus exactis licebat illi ad Prætorem debitorem ducere, indeque per ternos nundinales dies, cum nempe turmatim ex agris negotiorum cauſa ad urbem Populus confluerer, eum ſive producebat in publicum, ſive palam in foro proclamandum curabat quanti eſſet damnatus, ut emptorem inveniret; *Trinundinum* hoc dicebatur, quod ordiri ſic oportet, ut extremus nundinarum dies incidas in ſexageſimum, ad vitandam iſta in lege ſententiarum repugnantiam, notatam primo, ac ejuſmodi ſubinde Interpretatione ſublatam ab Hottomanno; Civium ſi nullus emeret, juſte creditor debitorem vendebat Peregrino, eumque ob id trans Tiberim ducebat; Si pluribus fortaſſe Creditoribus Debitor eſſet obnoxius, XII. Tabul. legibus Creditoribus permittebatur, conciſo Debitoris corpore ſibi viritim membrum ſumere, cujus metu pœnæ factum eſt, ut nemo ſupra vires ære alieno gravaretur, nec lege vigente in hanc pœnam quiſquam incurrit; Illam equidem legem diræ immanitatis Decem-Viralibus in legibus accuſanti penes Gellium Favorino, reſpondit Cœcilius Ictus id lenitudinis cauſa ſancitum, ob rationem nuper allatam, ut nempe timore pœnæ criminis periculum averteretur, nec homines ſupra facultates aliquid ſuſciperent. Cæterum abrogata lex eſt, ac Sectioni Corporis bonorum ſectio ſucceſſit, ea conditione, ut miſſis in poſſeſſionem bonorum Debitoris Creditoribus ex Prætoris Edicto, iis venditis, pecuniam quiſque ſuam ſervaret; *Sectionis* autem nomen ideo ſervatum eſt, ut veneratio demonſtraretur antiquæ legis, cujus in illo vocabulo ſententia viſa eſt conſervari; Si Creditor porro careret ſufficientibus bonis, tunc beneficium Ceſſionis invaluit; Legis autē verba ſubnectimus, quæ iſta ſunt:

Æris confeſſi, rebuſque jure judicatis XXX. Dies juſti ſunto poſt deinde manus injectio eſto, in jus ducito, ni judicatum facit, aut quips endo eo in jure vindicit, ſecum educito, vincito aut nervo, aut compedibus XV. pondo ne majore: aut ſi volet minore vincito.

Si volet ſuo vivito ni ſuo vivit, qui em vinctum habebit libras farris endo dies dato: ſi volet plus dato.

Ni cum eo pacit LX. dies endo vinculis retineto, interibi trinis nundinis continuis in comitium procitato, æriſque æſtimiam judicari prædicato.

At ſi plures erunt rei tertiis nundinis partes ſecanto: ſi plus minuſve ſecuerint ſe fraude eſto: ſi volent uls Tiberim peregre venumdanto.

tum nulla in re tibi æque intelligam placere posse, quam in commendanda, atque honestanda tua hac imperatrice corona nympharum: interim hos accipies in partem solutionis, de quibus quid sentias sine adsentatione a te scire concupisco: ut si tibi fuerint grati gaudeam voluptate tua, sin minus studeam post hac tibi diligentius satisfacere. Vale, reliqua ab Ergotele intelliges.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA DECIMASEPTIMA.

Illi, quod versus in laudem Elysæ compositos perhumaniter exceperit, seque opipare muneratus sit, plurimas habet gratias.

Quod versus nuper a me editi in commendationem Elysæ tuæ (a) tibi tantopere grati sint gaudeo, & proinde maxime quod in ea haud parvam tuæ felicitatis partem consistere opinaris, cum illam magis quam te ipsum diligas. Nos quoque olim amavimus, & quis non? & nulla in re mihi morem geri potius desiderabam, quam in Moni-

---

Per partes autem distributam legem interpretatur I. Vincent. Gravina in expositione legum XII. Tabul. ex quo cuncta decerpsimus.

Si debitum quis confessus fuerit, vel condemnatus iure fuerit, inducia ei menstruæ XXX. dierum ad debitum exolvendum dantor.

Si intra dies XXX. illos debitor non satisfaciat, tum creditori capere eum, sive prebendere, atque in jus ducere jus esto.

Debitor ita nexus si poterit suo vivat: si non habeat, tum creditor, qui eum vinctum habebit, singulas farris libras in singulos dies ei dato: si volet plus, ei pro arbitrio dare liceto.

Si & tum judicatum non solvat, neque interea quisquam eum in jure defendat, proque eo interveniat, in privatum carcerem, seu vincula adducere Creditori jus esto, eumque vel nervo, vel compedibus vincire: sic tamen ut vincula non sint graviora, quam XV. pondo: leviora enim adhibere pro arbitrio jus esto.

Paciscendi interea addicto cum Creditore jus esto: si non pactus fuerit, LX. diebus Creditori addictum in vinculis habere jus esto: Intra eos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem in Comitium producitor, quantæque pecuniæ judicatus esset prædicator.

Ast si plures erunt Creditores, tertiis nundinis, idest XXVII. die Corpus Rei in partes secanto: si plus minusve secuerint, sine fraude esto: si malent, trans Tiberim eum peregre venumdanto.

Hoc erant deteriore olim statu *Debitores*, cum *Reis* plerumque collati, laudandus propterea Nost. Panormita, qui ab illorum se ordine dividis, debitumque, vel ad solam benevolentiam referendum, quoad sui muneris est, lucubratione jucunda Carminum extemplo solvit.

(a) Ingenium aptum Musis eleganter ostendit Auct. Nost., præsertim cum in laudem Elysæ suaves edidit versus: illos oblectaturi Lectorem benevolum hoc in loco transcribimus, qui sunt ejusmodi:

Ely-

niphila mea, hoc illi nomen erat: itaque malorum haud ignarus, ut ait ille, miseris succurrere disco, quod libenter equidem facio, & si quando feci gaudeo, ut dixi. Nam quod tam mirifice de versibus sentis, mihi nec cristæ surgunt, nec tamen moveor, satis me ipse cognovi; sed amantes judicio carent, quod vitium in te præsertim dolerem, nisi eo factum foret, ut pro versiculis mihi sericum dono misisses. Dum enim ob amorem judicio privaris, atque inebriaris, me fortassis Homerum putans, qui tibi amice gratificatus fuerim, profundis, atque dilapidas tuum: sed putasti, ut arbitror, me repudiaturum donum, errasti, non sum ego Socrates, quem a nullo unquam neque donum, neque mercedem accepisse traditum est, majoris enim & liberalioris animi existimo, quod ab amico optimo animo confertur acceptare, nam qui accipiunt & ipsi laudandi sunt, & eo quidem magis, quod nisi id fieret liberales non essent. Avarorum est, ut nihil dare, sic & nihil acceptare, ne quando & ipsi dare, aut gratiam referre cogantur. Utrumque igitur donum accepi, & quidem hilari fronte: tu posthac disces ad me nihil mittere, quod tibi remittendum speres: sum enim tuum mel, sic enim me appellas in epistolis: mel enim pennas, siquas contigit, non deserit; hactenus de dono tuo tecum jocatus sum, quid de eo autem serio judicem, erit simplicitatis meæ, non ad te, sed ad Piccininum scribere. Vale, & ut valeat Ferussinus splendor Ducalis enixe cura.

Elysia auricomas inter celeberrima Nymphas,
Quis valeat laudes enumerare tuas?
Colla nives, & labra rosas, & lumina vincunt
Sidera: culta Helene, nuda Diana Dea es.
Cum loqueris, pulchro manat tibi nectar ab ore,
Dignaque cœlicolum sunt tua verba choro.
Quid loquar artifices digitos? quid penla? quid artes?
Et qu bus evitas otia mille modos?
Inter opus tantum dulce, o dulcissima, cantas,
Et cantu ignorans pectora dura feris:
Nam saltu licet ipsa liræ, licet ipsa choreæ,
Sis decus, ad thyasos rara vocata venis.
At si quando venis paulum cessura labori,
Te Charites sociant, te comitatur Amor.
Quocunque incedis, spirant violæque rosæque,
Incedis noctu: nox fit & illa dies.
Quicquid habent omnes divi, divæque decoris,
Quicquid habent laudis, tu quoque laudis habes.
Hoc etiam felix, quod formosissima pulchro
Scilicet, & casto casta puella places.
Ipsa puellarum decus es, decus ille virorum,
Clari ambo, claris moribus ambo pares.
Ambos, oro, Deus longævos servet in annos,
Sæpius & timidos jungat utrunque Venus.

ANTONIUS PANORMITA ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA DECIMAOCTAVA.

Enixe obtestatur ut Amico jacenti succurrat, pro quo & ipse levando non mediocriter angitur.

Die Saturni litteras ad te dedi, quibus respondi tuo illi peregregio dono: nunc te rogo si quid vides me jucunditatis adferre posse Dominico jacenti id perquiras, & mature significes. Advolabo mehercle si qua ex parte sensero, me humanissimo adolescenti, & de me in primis benemerito profuturum. Non tu tam libenter ad Elysam profecturus es, quam ego ad Ferussinum meum. Interim tu hortare hominem ad bonam spem valetudinis, & quantum in te est, fac domus tota deliciis defluat, unus omnium salute dignus est, & Deorum gratia, tu nulla in re, & mortalium, & immortalium benevolentiam promptius comparabis, quam ægrotis, hisque virtute præditis subveniendo: cantabis, saltabis, ridebis, jacentium causa omnia licent, histrionem (*a*) agas licebit, adfectis ea optima medicina est, quæ illis jucunda,

(*a*) Histriones qui agerent non unius apud universas gentes olim erant conditionis, omni culpa vacabant Græci, quos inter Sophocles, Aristophanesque in Scenam prodiere, a qua neque Attici Cives arcebantur: Solonis tantum hac in re lex recitabatur istis verbis expressa: *Histrio fabulam ne agito annorum triginta minor*: Romanis autem Histrionum genus erat infame lege clamante: *Ait Prætor qui in Scenam prodierit infamis est*; Spectaculorum autem obsequiis Scenici debebantur ea ratione, ut ad illa præstanda compelli possent vel inviti, publico dedecore proinde notati, *siquando ad arma vocati sunt*, ex Sigonio de Antiq. Jur. Civ. Rom. lib. 1. cap. xv: *Nonnisi cogente necessitate in dubiis rebus Reipublicæ* fuerunt vocati; & ad Catholicos Fidei Sanctæ mores quod pertinet, A. C. Dionysiano CCCLXXI. constituit primum Valentinianus Imper: ad extremum vitæ periculum redactos duntaxat, lustralibus Baptismatis undis ablui posse, evadentesque noluit ad Scenam revocari; Mulieres vero Scenicis prognatas, priusquam officia Scenica præstare valerent, regenerationis lavacro tingi licere statuit l. 2. Cod. Theod.; quin etiam Scenicæ Mulieri, ubi ad Catholicos accessisset, Baptismum desideranti, eo si nomine a Scenicis ludis recedere vellet, ultro permittebatur ex l. 8. Cod. Theod; eam autem quum nacta veniam foret sacro jure Religionis, corpore quæstum faciens, Scenis iterum addicta criminis in pœnam *ludicris ministeriis* deputabatur, in illis nonnisi ridiculas Anus repræsentatura ad id usque tempus, quo fieret Senectute deformis, neque tunc etiam absolvebatur, tametsi, quod ætatis supererat, servitutis, ac deformitatis gratia, non posset non pudice traducere: Infamiam qui penes Rumanos, nec inter Histriones, indecore subisent, Attellanarum Actores erant, illas enim, illisque sparsim conserta Exodia, Romana quondam juventus tenuit, neque Livio teste lib. vii. *ab Histrionibus pollui passa est*; cæteri quum deinde Histriones illas agere cœpissent Fabulas, omnium semper ludionum honestissimis, Attellanarum actoribus honos est habitus, quo nec moveren-

da, & accepta est: me vel mimum (a) constituas, dum illi solatiolo, aut fomento sim adventurus. Vale, & quod facis Feruffini valetudinem diesque noctesque procura.

ANTONIUS PANORMITA ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA DECIMANONA.

De temperantiæ usu, Feruffini gratia, cum illo agit, domum locatam alteri dicit, seque a Piccinino literas accepisse nuntiat.

Quod scribis te comessationibus non lectionibus esse occupatum, ægre, & moleste fero, nam qui comedit ut alii, mihi crede, sapit ut alii. Cicero ad ovum famem servabat, vobis neque flumina, neque nemora sufficiunt ad gulam. Obsecro devorato isthoc misero castello, quo postea tendetis pullorum, vitulorum, leporum, ac piscium calamitates? Formidant Polyphemos oppida, quocunque enim acce-

---

tur a Tribubus. neque a stipendiis repellerentur, Ætate inspecta & ipsi vocati sunt *Juvenes*: De illorum ludis, præter alios plerosque, loquitur Samuel Petitus Comm. in Leges Atticas lib. 1. Tit. 1. iidemque passim reperiuntur expressi in vetustis Inscriptionibus. Histrionum demum si placeat Originem Romæ perpendere, haurietur ex Livio sub initium lib. VII. cujus verba transcribimus; *Sine carmine ullo, sine imitandorum Carminum actu ludiones ex Hetruria acciti ad Tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Thusco dabant. Imitari deinde eos juventus simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus coepere, nec absoni a voce motus erant: accepta itaque res, sæpiusque usurpando excitata, vernaculis Artificibus quia hister Thusco Verbo ludio vocabatur, nomen Histrionibus inditum*; quorum animadversione Verborum, oblectamento Romanis Histriones fuisse liquet qui voluptatis caussa cunctis pridem Gentibus delectandis insudaverant: Ægrotantem propterea Amicum recreaturus, ab arte omnium longe jucundissima Nost. Panorm. consulto non abhorret.

(a) Infirmi Amici solatio bene post Histrionem a Nostr. Auct. Mimus inducitur: ejus porro consuetudo ad jocos omnes venuste composita, mores, actionesque hominum semper expressit, quod innuit his versibus Petronius

> Grex agit in Scena *Mimum*, Pater ille vocatur,
> Filius hic, nomen divitis ille tenet.
> Mox ubi ridendas inclusit Pagina partes,
> Vera redit facies, dissimulata perit.

Cæterum ex Vocabuli notatione, Donati, ac Diomedis Auctoritate, penes Vossium, *Mimus* generatim pro illo exponitur, *qui sermones, ac facta cujusque imitetur cum lascivia*. Carpendis equidem hominum moribus primum de Mimo in Theatrum producendo est cogitatum, qui ridicula gesticulatione Chorum suppleturus, absoluto Comœdiæ Actu Spectatorum animos jucunde reficeret, & in Attellana vocatum fuit *Exodium*: eo deinde in lusu plurimum oblectamenti quum hausisset Populus, nova

acceditis rerum caritatem infertis: Ticinum prorsus effectum est exsangue, neque vos certe minus quam Xerxis velut exercitum pertimescit. Sed Ferussino meo vereor, ne dum a valetudine confirmari studet, sentiat tandem epistolarum fructum, ne luctum dixerim, tu ne ægroti comes addictus es? tu ne sanitatis custos? ad reintegrandos invalidos nihil æque facit atque temperantia, crapula etiam fortes expugnat, ac perimit, vide nunc quid facto opus sit, si Ferussino suavissimo prodesse vis, & tuæ laudi prospicere. De domo conducenda amplius non labores, locata est alteri: A Piccinino tandem litteras accepimus plenas pietatis, & suavitatis antiquæ, cui ni responsurus essem actutum, (*a*) tecum nunc essem prolixior plus etiam quam velles. Vale.

AN-

---

fabulæ series est orta *Mimi* nomine designata, quæ constituit quamdam speciem ejus, quæ absque Socco nudis pedibus gesticulari consuevit, latinisque dicta est *Planipedia*, & in Italiam translata, salibus, tantaque dicacitate argumenta Mimica locupletavit, ut unus Publius universam Graciam Mimico prius lusu illustratam ea laude spoliavit, subindeque Laberius elegantia sermonis latinos omnes propemodum vicerit: Hi sane Mimi quos una cum aliis Histrionibus a Scena in Convivium familiarissime receptos, ab Asia devicta; conqueritur acriter Liv. Hist. lib XXXIX. inquiens: *Luxuriæ enim peregrinæ Origo ab Exercitu Asiatico invecta in Urbem; Ii primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia, & abacos Romam advexerunt, tam Psaltriæ, Sambucistriæque, & universa ludionum oblectamenta addita Epulis*, & apud Sallustium in Jugurtha Marius, *Sordidum me*, inquit, *& incultis moribus ajunt, quia parum scite convivium exorno, neque Histrionem ullum, neque pluris pretii Coquum, quam Villicum habeo*, & hac præterea in re S. Augustinus de Civ. Dei lib. III. cap. XXI. satis apte multa colligit: Ad funera quoque Mimi sunt adhibiti, atque ex Guther. lib. I. cap. XXIV; *In exequiarum ordine, & pompa Libertos Archimimus sequebatur, qui Personam mortui fingebat, & imitabatur: Mimorum Grex Sicinnam saltabat: solus Archimimus facta ac dicta Viri imitabatur*; Svetonius proinde in Vespasiano cap. XIX. *Sed & in funere*, ait, *Favo Archimimus Personam ejus ferens, imitansque (ut mos est) facta, ac dicta Viri, interrogatis palam Procuratoribus, quanti funus, & pompa constaret, ut audiit HS. centies exclamavit, centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent*, ea venusta imitatione defuncti Cæsaris avaritiam perstringens. Alia plurima, quæ ad Mimos referuntur, præterimus, ne docto Lectori fastidium ingeramus, uberiora optanti consulendum monemus *Syntagma de Mimis, & Pantomimis Nicolai Calliachii Patavii* evulgatum anno 1713; videndaque Dissertatio *Octavii Ferrarii* edita Wolfembutelii 1715.; Mimicum quiddam, hic tantum addimus, nostra hac etiam ætate, in Comœdiis haberi, quando actibus singulis absolutis mores Rusticorum repræsentantur, aliave ridicula παρέργως leporis gratia inspérguntur.

(*a*) *Actutum* temporis adverbium a celeritate dimanans, quod Donatus advertit, quasi id reddat, *Dictum factum*, sive, eodem ferme sensu: *Actum factum*, non uti ex utroque conflatum, sed ab *Actum* solum ortum, *Actutum* enim sonat tam cito, quam agere possis, ut mox, quam cito te possis monere: Hinc Priscianus in XV. *Actutum*, inquit, *derivatum est ab actu, idest celeritate*: Hac significatione vox ista legitur in Virgil. Æneid. VIII.

Tum cætera reddet
Actutum pius Æneas, atque integer Ævi
Ascanius.

ANTONIO CREMONÆ. S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMA.

Nonnulla ad vinum dono acceptum jocose referuntur; de illius ad se adventu sollicitudinem nonnulla declarant.

SUperioribus meis tibi abunde ut arbitror respondi, quibus profecto talem tibi gratiam retuli, qualem tua ista donandi prava consuetudo commereri videbatur: qua in re si tibi ingratus, ac pene rusticus visum sum, illud compensa (*a*) quod tu mihi prodigus, ac pene dicam inamabilis judicatus es. I nunc, & tuum prodigas: posthac tibi habe tuum vinum, mihi divinum tuum istud ingenium impartias, tuas orationes, te ipsum, alioqui frustra laboras, & vinum perdis. Non

P tua

(*a*) *Compensa* scribit Auct. Nost. perinde ac si diceret, *simul pondera*: Hæc est latina istius Verbi, & propria significatio, quæ tamen latii ipsius auctoritate in sensum Metaphoricum detorta, innuit *Compensare* idem esse, ac *Remunerari*, videlicet *Pari fere pondere rependere*; Ita Cicero pro Mur. *Neque ulla re alia, quæ a nobis consequuntur, nisi Opera sua, compensari putant posse*, & de Seneƈt. *Vitia Senectutis diligentia compensanda sunt*. A Verbo *Compensare* fluxit *Compensatio*, vox & ipsa latina, proprie *Actum* indicans, *quo addendo aliquid æquales redduntur lances*, translate dicta a Modest. l. 1. ff. *de Compens. debiti, & crediti inter se contributio*. Sic in lib. iv. Auct. ad Herenn. *Fortitudo est contemptio periculi cum ratione utilitatis, & compensatione commodorum*, & Cic. v. Tuscul. *Hac usurum compensatione Sapientem, ut voluptatem fugiat*. Hæc quidem a latinis excerpta Scriptoribus difficultatem non patiuntur, difficilioris est tantum explicationis vocabulum *Compensus*, sive *Compensum*, Mediæ, vel Infimæ latinitatis, cui & Verbum *Compensare* originem præbuit; Doctis plerisque Viris *Compensus* visus est denotare *Serotinum Cœtum*; proinde *Compensos facere* sunt interpretati, *Serotinos cœtus habere*, quibus Mulieres certum lanæ aut Staminis pensum, Sacris postea Altaribus offerendum, in votum Sancti alicujus, nendo olim, texendove conficiebant; ad quod operis Ministerium verba ista revocant Martini Braccarens. Cap. LXXV. *Non liceat Mulieres Cristianas aliquam vanitatem in suis lanificiis observare, sed Deum invocent Adjutorem, qui eis Sapientiam texendi dedit*; *Compensos* plerique exponunt pro *oblationibus, quæ in domibus privatis fiebant*, una simul ibi peractis Sanctorum Vigiliis, derelictis Ecclesiis, istamque consuetudinem damnavit cum aliis multis Laodicena Synodus, Can. LVIII.; ac Tertullian. de Spectac. *Probiberi*, ait C. LXXXI.; *Caremonias, & Religionem Deorum domesticorum*; Veruntamen hac in re quidquid sit affirmandum, alienum a veritate non credimus, de aliqua *Oblatione*, seu *Collatione*, vel *Præstatione*, in idem enim recidunt ista vocabula, sermonem ut plurimum haberi; Verosimile id existimamus ducti præsertim Auctoritate Concil. Monspeliens. A. C. 1214. cap. xxxiii.; cujus hæc sunt Verba: *Qui commonitus a Paciariis infra XV. dies ad cognitionem*

tua magni facio, sed te, vinum terræ redditur, tu immortalis, mingam quod mittis, te ipsum lingam; sed si donum æquo animo recepisse me vis, veni, & vinum tibi tuum combibe, nec ad Herculem alia proficiscare, quam hacce, si modo ad Herculem profecturus es: sinminus, promissi fidem exsolve, quod, est, si ad me mecum permansurus contendis. Vale.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAPRIMA.

De litteris ad illum datis sermonem habet, eique maturandum ad se adventum suadet.

NOn est quod me taciturnitatis accuses, si justus es, nam nudiustertius, id est eo illo die, quo tuas accepi, tibi respondi, tuoque reditu gratulatus sum & litteris, & animo:

Cantavique Deis laudes, Regique supremo
Candida (a) persanctis cæsa juvenca focis,

Cre-

Paciariorum facere vel firmare noluerit, Episcopus eum excommunicet, & de Pace dejiciat, & terram ejus interdicto supponat; Quod si & homines sui ei faverint. post XIV. die ejiciantur Pace & restituatur eis Compensum, siquid dederunt; Sed si homines ipsi velint mandatis parere, dimittantur in pace; Quæ si fortasse sano Lectori conjectura non arriserit, ejus erudito judicio acquiescentes, sententiam non ægre mutabimus.

(a) Apposite porro *Candida Juvenca* a Nostr. Auct. memoratur habita Veterum Sacrificiorum ratione; Cædebatur hæc hostia in Ducum triumphantium reditu, quod liquet ex LX. Epod. Hor.

Io Triumphe, tu moraris Aureos
Currus, & *intactas Boves*:

Ad alia quoque Sacrificia *Juvencæ Candidæ*, & *injuges* requirebantur, illas Napæis devovendas exprimit Virgil. in Georg. lib IV. v. DXXXVII.

Sed modus orandi qui sit prius ordine dicam.
Quatuor eximios præstanti Corpore Tauros,
Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycæi
Delige, & *intactas* totidem cervice *Juvencas*.

Et Ascanius Jovis ope implorata *Juvencum Candentem* eidem pollicetur apud ipsum Virgil. Æneid. IX. v. DCXXV.

Juppiter omnipotens audacibus adnue cœptis.
Ipse tibi, ad tua Templa feram sollemnia dona,
Et Statuam ante aras aurata fronte *Juvencum*
Candentem, pariterque caput cum Matre ferentem
Jam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.

Quæ si diligenter expendamus, aperte intelligemus verum esse, *albas hostias* Deorum placationi valde quondam profuisse; Servii hac in sententia placet Auctoritatem sequi, cui videtur pro Numinum diversitate, diversitas invaluisse hostiarum, *Nigras* immolarunt prisci, ut averterent mala, *albas*, ut optanda conciliarent: Ita Servio Auctore expla-

Creditæ sunt litteræ cuidam, qui præsidet portæ novæ ex clientela Antonii Beccariæ, apud quem facile hominem offendes. Adornatur tibi camera, (a) cupio a te scire, an circa diem festum, quod malo, venturus es: alioqui alio invitatus extra urbem ire non abnuam, fac igitur ne frauder hac, & illa voluptate, hoc est veni, tecumque feras Charites, Veneres, jocos, & amores, comperturus hic delitias omnes, & lac, & nectar. Vale. Papia. AN-

nandus idem Virgil. Æneid. III. v. CXVII.

Sic fatus meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, Taurum tibi pulcher Apollo,
Nigram hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Istam vero Sacrificiorum consuetudinem sacro pridem ritu consecratam ex Divina Institutione Legibus Hæbreorum, in morem profanum conversam cæco stultarum Gentium errore dolendum est; Sacratum passim Scripturarum volumina produnt, qui fuerit usus recte sacrificandi, patent omnibus Divini Libri, eorumque lectione plane constat, maximo habitam fuisse in pretio *Juvencam* præsertim, *Rufam*, *immaculatam*, *injugem*, cujus immolatio extra castra perficiebatur, ibique tota comburebatur a Sacerdote, ejus cineribus deinde mundatis quicumque polluti forent; Id expendit Numer. cap. XIX. *Juvenca* pariter, quæ jugum non subiiset, in Vallem asperam deducta, ac decollata, cædem hominis ab Auctore ignoto patratam, Deus expiari mandavit. Deuter. cap. XXI.; *Expiationis* præterea *festum diem*, quomodo Sacerdos *Juvenci* immolatione celebraverit, videatur in Levit. cap XVI.; Postremo post Divinum Cultum restitutum ab Ezechia Rege cæsos *Septem Juvencos*, nec non alia complura huc etiam pertinentia recensentur a Samuel. Bochart. Hierozoici Part. Prim. lib. II. cap. XXXIII. indicaturque per singula ad inanium Deorum Cultum impie translata Sacrificia, quibus justo Religionis Instituto fuerat olim immortali Deo litatum.

(a) *Camera*, latinum nomen a *Curvatione ductum* ex Festo, atque ex Isidor. lib. XV. cap. VIII. *Cameræ sunt volumina introrsum respicientia, appellata a curvo, Καμπύλον enim Græce Curvum est*; Servio vero, & Nonio *Camera* dicta videtur a Vocabulo *Camurus*, quo *Curvus* sive *Obtortur* significatur; Quacumque ratione *Camera* percipiatur, sententiæ in eo non discrepant, quod *Curvationem* innuat, eaque in re Vitruvii plurimum valet Auctoritas, cujus ex lib. V. cap. X. locus iste profertur: *Cameræ culmina sunt Arcuata. sive ex lapide, sive ex contignatione*. Adstruunt hinc latini Auctores diversitatem inter *Fornicem*, & *Cameram*; Fornix sane singulos Cameræ arcus comprehendit, Camera autem de universo tecto fornicato dicitur, qua utitur acceptione Tull. ad Q. Fratr. lib. III. ep. I. *Cameram quandam non probavi*, loquitur vero de Fornice ipse Cicer. in Top. cap. IV. *Non debebit præstare quod Fornix vitium fecerit*. Hæc de recto *Cameræ* usu sana latinitas tulit, de qua & medii, vel infimi Ævi Scriptores etiam Sermonem habuerunt, sensu tamen longe diverso: Dixerunt isti *Cameram* idem esse, ac *Domum*, *Cubiculum*. *Cœnaculum*, *Conclave*, & in eo tantum certæ latinitati adhæserunt, quod primæva institutio *Cameræ* ab illa desumeretur; *Camera*, ait Papias, a *Curvitate dicta, est enim volumen introrsum respiciens*; & Iso Magist. in Glossis; Καμπύλον, inquit, *Græce Curvum, inde Camerata Domus, cujus testuda Curva est*. Huic sensui inhærere videtur Auct. Nost. eaque plane de caussa vel paullo a latina puritate recessisse credendus. *Cameræ* permultas alias præterimus hic significatione, sive latinæ ætati accomodatas, sive deterioribus infimi Ævi Scriptoribus communes, quod urbanos lectores multis detinere nolimus; Plura cupientibus lexic., & Gloss. passim occurrunt.

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMASECUNDA.

Juvenem litterarum adlatorem illi commendat.

Fortunatum *(a)* hunc litterarum adlatorem, juvenem sane elegantem, & mihi pridem benevolentia conjunctum, tuæ fidei, tuæque beneficentiæ commendo: cupit enim isthic locari, maxime apud Fulginatem nostrum virum amplissimum, vel apud quem alium unus Fulginas decreverit: quod ut assequatur enixissime velim labores, ac studeas. Feceris mihi admodum gratum, feceris & officium tuum, quod est, honestos adolescentes honestissimus ipse ut juves, & augeas: virtuti virtus debetur. Vale.

(a) *Fortunatus*, duplici sensu communiter sumitur, primo idem ac *Felix*, seu homo, *cujus votis fortuna respondet*. ita Cic. de Orat. lib II. cap. LXXXVI. *Scopas fortunatus homo, & nobilis*; Secundo dicitur pro *fausto*, sive *propitio*: Sic Afran. *Deos omnes, ut fortunati sint precor*; Inde *fortunare* est *secundare*, *prosperare* ex eodem Tull. lib. II. Familiar. ep. II. *Tibi patrimonium Dii fortunent*. Fluxerunt ab isto vocabulo *Fortunatæ Insulæ*, de quibus In Trinum. Act. II. Sc. IV. v. CXLVIII. Plautus

Sicut *Fortunatorum* memorant Insulas,
Quo cuncti, qui ætatem egerunt caste suam
Conveniant.

Horatius vero uberius Epod. XVI.

Nos manet Oceanus circumvagus, arva, *Beata*
Petamus arva *Divites & Insulas*
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret usque vinea;
Germinat & nunquam fallentis termes Olivæ,
Suamque pulla ficus ornat arborem:
Mella cava manant ex ilice; montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.

Quas autem dixit Horatius *Insulas divites*, alii; *Fortunatas Insulas*, vocavit Isaac. Casaub. *Beatorum Insulas*, In lib. I. Strabonis explanaturus Græcas voces Μακάρων νῆσοι, Insulas videlicet, quas obtinerent homines Beati, *illas* equidem *quas dicimus*, inquit Casaubon. ibid.; *Intelligimus Insulas eorum, qui extremas continentis partes ad Oceanum Occiduum incolunt; quorum quia nota erat fælicitas, & rerum omnium copia, ideo propinquas ipsis Insulas veteres vocarunt Beatorum Insulas*. Cæterum de his Insulis apud Plutarchum uberiora reperiuntur, recentioresque Geographi etiam plura habent.

ANTONIUS PANORMITA
ANTONIO CREMONÆ S. P. D.
EPISTOLA VIGESIMATERTIA.

Illius adventum expectat, Gaudentiumque ipsius fidei committit.

BInis superioribus ad te meis nihil respondes, nec propterea te digressum Mediolano existimo: nam quam aliam facturus es viam, nisi qua suavissimum tuum illud vinum esses offensurus? Puto tamen te per hoc tempus maxime districtum negotiis Philippi Ducis, atque Herculis tui: sed ut res habet vini sis memor, id est hac transitum des ad Herculem iturus. Quod sequitur, si mihi unquam alias [a] auscultasti, dato operam, ut hic epistolarum adlator Gaudentii nostri necessarius recta dirigatur, deducatur, atque absolvatur mature: tuo consilio, tuoque auxilio indiget. Tu rebus illius ita consule, ut meis suesti; nosti jam mihi nihil æque jucundum, ac voluptuosum esse, quam Gaudentium, & Gaudentianos omnes. Vale flos veteris vini.



[a] *Auscultasti*, videlicet, *Obtemperasti*, sano loquendi more scripsit Auct. Nost.; ex Varrone enim de L. L. lib. v. cap. VIII. *Hi auscultare dicuntur, qui auditis parent*, & Terent. In Andr. Act. I. Sc. III. v. IV.

Nec quid agam, certum est, Pamphilum ne adjutem, aut *Auscultem* Seni.

Latinitate postea ad barbariem adducta *Auscultare* quoque dictum est, illo tamen sensu, quo denotarentur Monachi priusquam in Ecclesia quidquam sibi demandatum legerent, recitarent, aut canerent, ab alio qui sacris istis Cæremoniis præesset edocendi fuisse non tantum Lectionis seriem, verum & recitationis, & cantus accentum: Lanfrancus propterea in Decretis pro Ordine Sancti Benedicti: *Quicunque*, ait cap. v., *lecturus, vel cantaturus est aliquid in Monasterio, si necesse habeat, ab eo*, nempe Cantore, *priusquam incipiat, debet auscultare*.

ANTONIUS PANORMITA
ANTONIO CREMONÆ S.P.D.
EPISTOLA VIGESIMAQUARTA.

Ad commendationem ejus litterarum plurima, ad conducendam domum reliqua pertinent.

SEntio de epiſtola hac tua ad Piccininum, quod de epiſtolis Tullii ſoleo ad Lentulum, aut Atticum, aut Brutum; nec mihi perſuadere poſſum in itinere hujuſmodi exaratas epiſtolas, quæ ſapiunt, redolenteque non modo otium, ſed otium academicum. Sunt nimirum elegantes, ſunt copioſæ, ſunt ſuaves, ſunt denique non de voluptate ſcriptæ, ſed voluptas ipſa, atque haud ſcio, an majorem iſthic voluptatem perceperis ex mille delitiis, quam ego, & qui mecum aderant, ex epiſtola tua. Reddita mihi eſt in convivio in mediis poculis, placuit multis, id eſt iis omnibus, qui eam perlegerunt, non ſecus ac condimentum (*a*) aliquod præcipuum. Dicerem de te plura, ſi de te apud te loqui liceret: ad hæc tua ſtudia incumbe, & aut vanus ſum vates, au evades in eloquentia clarus, & inſignis. Clemens de Petra, qui iſthic vitam degit, habet hic Ticini domum locandam, amœnam, ac noſtris deſideriis, & ſtudiis apprime accommodam: cura, impera, ut eam conducam mercede conſueta: quod ſi feceris, nihil mihi potes per hæc tempora, aut gratius, aut utilius afferre, de qua re ſcribas velim, quam potes ociſſime, & eris ocellus aureus. Vale, Ticino ex mediis poculis.

AN-

(*a*) *Condimentum* latinis proprie id omne quod obſoniis condiendis eſt aptum: Hoc ſenſu Cic. II. de Finib. cap. XXVIII. inquit: *Socratem audio dicentem, cibi* Condimentum *eſſe famem, potionis ſitim*, & Plaut. Pſeud. Act. III. Sc. II. v. XXXVII.

Quid tu? Divinis *Condimentis* utere,
Qui prorogare vitam poſſis hominibus,
Qui ea culpes condimenta?

Impropria vero ſignificatione latine vocatum eſt *Condimentum* illud etiam, quod aliquam in rebus jucunditatem inferret: Ita Cic. ipſe de Orat. lib. III. *Facetias* appellavit *omnium Sermonum* Condimenta, & in Læl. cap. XVIII clarius: *Accedat*, ait, *huc ſuavitas*, *oportet*, *ſermonum*, *atque morum*, *haudquaquam mediocre* Condimentum *amicitiæ*. Uter de duobus Auct. Noſtr. ſenſus placuerit, ad latinum alterem propius acceſſit.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMA QVINTA.

Ejus ingenium laudat, & de Maphæi amore, necnon de valetudine Gabrielis postea verba facit.

LItteræ tuæ, quas hodie tandem accepi, effecere, ut epistolæ litteras intexerem, cum secus statuissem præ capitis dolore infestissimo: verum adeo dicendi vi, & suavitate ingenii præstas jam, ut non dicam ægrotantem, sed prorsus mortuum possis excitare, & quovis impellere. Non blandior, mi Cremona, potes mea quidem sententia in disertissimis nostræ ætatis hominibus haud injuria recipi, es copiosus, luculentus, acer, vehemens, (*a*) elegans, & usque adeo dulcis, & suavis, ut me jam invaletudine (*b*) implicitum curaveris, sanaverisque. Perge quod facis, exerceas ingenium, quod tibi natura molle, & versatile est, exercitatio enim vel præcipue conducit eloquentiæ. Maphæus tibi devinctus, & irretitus est.

Tu quoque Maphæi dulci cantabere musa,
Tu quoque musarum dignus amore venis.

Illum tu mutuo diligas, si a me diligi, atque observari vis. Gabriel tuus valens, & lætus est. Interdum vero

Suspirat longo non visam tempore matrem.

Tu filioli personam sustinebis opinor apud elegantissimam mulierem. Nos pollicitationi nostræ non deerimus. Vale mea salus, & voluptas unica.

(*a*) *Vehement* non sine magno laudis ornamento cum Orator, tum Poeta jure optimo dicitur, quod utrumque scribendi genus vox ista complectatur: Hinc Tull. de Orat. cap. XLIX. *Tunc*, ait, *admiscere huic generi Orationis*, vehementi, *atque atroci*, *genus illud alterum*, *de quo ante disputari*, *lenitatis*, *& mansuetudinis cœpi*; Horat. autem de Poetis ita loquitur Epistol. lib. II. Epist. II. v. CXLX.

Adsciscet nova, quæ genitor produxerit usus;
Vehemens, & liquidus, puroque simillimus Amni,
Fundet opes, Latiumque beabit divite lingua.

Amicus itaque, cum inter cætera a Nost. Auct. *Vehemens* prædicatur, disertus æque Orator, ac bonus habetur Poeta.

(*b*) *Invaletudinem* pro Imbecillitate recte usurpavit Panorm. Nost; ejusque latinum vocis usum habemus præ aliis in Cicer. de Amicit. *Quod autem his Nonis in Collegio nostro non affuisses*, invaletudinem *respondeo caussam*, *non mæstitiam fuisse*; Ad Attic. præterea lib. VII. Invaletudo *tua me valde conturbat*; *significant enim tuæ litteræ prorsus laborare*; Invaletudinis eodem sensu *Invalentia* reperitur in Gell. lib. XX. cap. I. *Vitium aliquod imbecillitatis*, *atque invalentiæ demonstratur*. *Invaletudinarius ex invaletudine* vocatus est pariter, qui ægrotaret Auctoritate Senec. in Præfat. lib. I. Quæst. Nat. *Non video*, *quare sibi placeat*, *qui robustior est* Invaletudinario; quo & spectat illud Thvvroczii in Andrea Rege Hungar. cap. XLIV. *Senio confectus*, *ac* Invaletudinarius, hoc est, qui viribus non valeat, laboretque *Invaletudine*.

ANTONIUS PANORMITA ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMASEXTA.

Ab eo litteras poscit, Epigramma a se factum commemorat, Pelles Camutias, Mæcænatique commendari ardenter cupit.

EX Jacobo Modosiensi viro dulcissimo litteras a te non accepi: cum quærerem quid esset in causa, respondit, Palatinus (*a*) effectus est. Placuit mehercle fortuna isthæc tua, & tu non solum palatio, sed cœli regia dignus es. Cæterum si eo pacto te perditurus sum, odi, atque execror & palatium, & palatinos omnes, memineris tamen amicitiæ nostræ, alioqui indignus est prosperitate, qui gratias mortalium parvi facit. Circumspicias quid te eo loci perduxerit, & comperies benevolentiam hominum extitisse, occupationes sint licet undequaque, amicorum causa præcipua esse debet. Adolescentibus nostris epigramma feci, & misi, auctori nihil ingratum est; retractabitur tamen pro eorum sententia. Camutias pelles adhuc non accepi, puto id rejicias ad ver, cumque illis minime indiguero. Postremo si Mecœnati me de meliore nota commendaveris, nihil liberalitate, aut humanitate tua alienum feceris. Vale.

AN-

(*a*) *Palatinus* ex Auct. Nostr. qui pertinet ad Palatium, Vir nempe qui constitutus in summa dignitate cæteris est præferendus; Inde Palatini iidem ac *Proceres, & Optimates Palatii*, in Vita S. Genulfi cap. VII. *Primores Palatii*, & apud Saxonic. Poet. *Palatini Principes*, his additur a Claudian. de IV. Honorii Consulatu *Senatus Palatinus*:

Et in mediis effulget curia Castris
Ipsa *Palatino* circumvallata *Senatu*.

Hoc ex nomine ab Infimæ Ætatis Auctoribus ducta est unius litteræ variatione vox *Paladinus*, & vocati sunt *Paladini Regni Proceres*, in libr. de Castr. Ambasiæ: *Quæ mulier de Paladinorum stirpe descendit ex linea Regis Sanguinis*, in quibus verbis perperam immutatum est a nonnullis *Paladinorum*, appositumque *Palladiorum*; Eodem omnino sensu appellati fuere *Paladini*, seu veri, seu fictitii Caroli Magni Comites in expeditionibus bellicis, præcipuique Copiarum Duces, Orlandus, Renaldus, Oliverius, aliique; quos etiam Παλαδῖνοι dictos esse animadvertit Laonic. lib. II.; Plura de Palatinis complectitur Scholiastes Juliani Antecess. cap. LXXXII. his verbis: *Palatini dicuntur, qui pertinent ad Comitem rerum privatarum, vel ad Comitem Sacrarum largitionum*, & *Palatinus* apud Hungaros honore præcipuo insignis describitur in Decretis Andreæ Regis Hungar. Anno Christi MCCXXII. cap. X. *Palatinus omnes homines Regni nostri indifferenter discutiat ad causam Nobilium; quæ autem ad productionem capitis vel ad destructionem positionum pertinent sine conscientia Regis terminare non possit*; reliqua lagas in Gloss. Du-Fresn.

ANTONIUS PANORMITA.

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMASEPTIMA.

Est commendatitia Valpergæ, suique Mediolanum quamprimum ituri.

SI vales, valeam opus est. Jacobus Valperga Vir nobilissimus, & ut nostri socius, & contubernalis meus rem agit in Curia (*a*) Domini nostri Principis: qua in re ut deducatur, atque etiam peritior fiat, indiget opera, & auxilio tuo, illum audias perbenigne, ut meos

R sue-

(*a*) *Curiam* agendis negotiis idoneam nominat Auct. Nost. ex prisca latinorum institutione: *Curia*, ait enim Festus, *locus est, ubi publicas curas gerebant*, a *Curis* propterea nomen *Curiæ* inditum penes Non. a Varr. lib. II. de Vita Pop. Rom. *Itaque propter curam locus quoque, quo suam quisque Senator confert, Curiam appellat*, ea videlicet primo *Curia*, in qua Senatus consideret, consuleretque, *Curiaque* deinde, in qua Sacra curarentur, perficerenturque: Duplicem hanc significationem idem affert Varr. lib. VI. de ling. lat. ita scribens: *Curiæ duorum generum sunt; nam & ubi curarent Sacerdotes res Divinas, ut Curiæ Veteres, & ubi Senotus humanus, ut Curia Hostilia, quam primus ædificavit Hostilius Rex. Curias* istas qui administrarent *Curiones* nuncupat, ipso teste Varr. lib. IV. de ling. lat. *Curiones dicti a Curiis, qui fiunt ut in his Sacra faciant*, nam quot erant numero *Curiæ*, & *Curiones* totidem erant, quibus omnibus ille qui præerat, ex Festo, *Curio maximus* dicebatur, ejusque non infrequens mentio apud Livium. Ad hæc accedit Curiam veteribus quoque fuisse *Decimam Tribus cujusque partem*, quod nempe Romulus, Populum Romanum in *Partes tres* quum distribuisset, quas a numero *Tribus* dixit, singulas *Tribus* divisit in partes denas, easque *Curias vocari voluit*, quarum *cuique Sacra sua partitus est*, *assignatis in singulas Diis, & Dæmonibus, quos perpetuo colerent, sumptusque in hæc attribuit ex Ærario publico, quæ quoties celebrarentur aderant Curiæ suis vicibus, Epulumque diebus festis præbebatur Curialibus* (hoc est viris ipsius Curiæ) *in aula cuique Curiæ propria*, ut docemur auctoritate Festi, & ex Dionys. Halicarnass. lib II. *c* Inde fluxerunt *Curiata Comitia*, in quibus *Curiatim* dicebatur suffragium, ut *quod plures Curiæ statuissent*, id *jussum Populi* diceretur. Publicia Curis obnoxias *Curias* deterior latinitatis ætas convertit ad significandum *Forum Seculare*, ut habent Jura, & Consuetudines Normanniæ cap. LIII. his verbis: *Laicalis Curia est Congregatio eorum certo loco, & die assignato, per quos jus est, super querelam contentionis placitantibus exhibendum*, cautumque est leg. Longobard. lib. II. tit. LI. § XII. Ne quis *Clericus, vel Diaconus, vel Presbyter pro qualibet causa intret in Curiam, nec ante Judicem causam dicere præsumat, quoniam omnis Curia a Cruore dicitur, & immolatione simulachrorum*: *Curiam Christianitatis* nonnumquam in latinitate infima reperimus, eoque nomine vulgo *Jurisdictio Ecclesiastica*, seu *Ecclesiasticum Forum* denotatur, in quo de Causis, ac quæstionibus agitur ad Religionem attinentibus, quas cognoscere Episcoporum semper fuit ex leg. I. Cod. Theodos. de Religione, cujus hæc sunt Verba: *Quoties*

ſueviſti, & ſi fuerit opus etiam, atque etiam committas Palatio filio: in ſumma (*a*) aut a te inſtruatur, aut a Palatio, plura in hac re ſcriberem tibi, ni malles ſemper exequi voluntatem meam, quam prolixius a me orari. Ego die Jovis me conferam Mediolanum, fac pares quicquid ſuavitatis, ac mellis in te eſt, cætera agemus coram. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.
ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAOCTAVA.

Summo ejus litterarum deſiderio tenetur.

Decem ab hinc dies nihil exaras, expectas ut opinor meas, verum non eſt id veræ amicitiæ fœnerare vices, & beneficia, noſti me diſtrictum, & ingenuo quidem negotio, tum res etiam ad te attinet: nam adoleſcentium trium eſt, quos tu, vel præ te diligis, & amas, ut ſi deinceps me abjudicaveris a lepore litterarum tuarum, aut amicitiæ munus deferas, aut amicis invideas oportebit, ſcin tu quid expecto? Epiſtolas tuas. Vale.

AN-

de Religione agitur, Epiſcopos convenit judicare, cæteras vero cauſas, quæ ad Ordinarios cognitores, vel ad uſum publici juris pertinent legibus oportet audiri; Iſtius autem rei meminimus, ut explanemus, quo ſenſu a collapſa etiam latinitate invaluerit vox *Curia*, latinum duntaxat quid ſapiens ex priſca nominis inſtitutione, qua curarum publicarum locus fuit expreſſus.

(*a*) *In ſumma* ex latinis auctoribus decerpſit Panorm. Noſt.; uſus hac præ cæteris formula Cic. ad Q. Fratr. lib. II. Ep. ult. ita ſcribens: *Druſus erat de prævaricatione a Tribunis Ærariis abſolutus; in ſumma quatuor ſententiis, quum Senatores, & Equites damnaſſent*. Præterea omnem ſummam habet idem Cic. ad ipſum Q. Fratr. lib. III. Ep. V. *Eo in omni ſumma ad otium me converto*. Adde Plin. lib. I. Ep. XII. qui ait: *In ſumma, non facile quis quenquam ex iſtis, qui ſapientiæ ſtudium habitu corporis proferunt, huic Viro* (nempe T. Ariſtoni) *compararit*; poſtremo Quintilianus: *In ſumma*, inquir, *non recedo, fas eſt mihi invitis etiam Parentibus pie facere*.

ANTONIUS PANORMITA.

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMANONA.

De illius reditu exultat, ad se veniendi propositum laudat, se Lampognino satisfacturum promittit, cupit Plautum habere, nuntiatque valere Iphicleum.

GAudeo, ac Diis habeo gratias, quod te mihi, & patriæ, & amicis restituerunt incolumem, & salvum, eoque magis, & gaudeo, & obligor Diis, quod præter quam quod te mihi ex tam multis, & variis hostium periculis reducem fecere, fecere etiam ut animo institueres, ac velles omnino mecum condegere, atque una philosophari, quasi naufragio ejectus volueris Dei cujuspiam sacris initiari. (*a*) Laudo tuum hoc propositum, & nostrum utrique plurimum gratulor; mihi, quod amici verissimi conversatione ingentem equidem voluptatem perccpturus sum, tibi, quod litteris præcipuæ, & humanitati mihi natus videris: ut si naturam sequi vis, tibique non deesse, magnum profecto ingenii fructum, & laudem haud dubie sempiternam adepturus es. Mea autem ut tibi debita sunt, sic & communia esse volo, libros, fa-

(*a*) *Initiari sacris* ex veterum loquutione desumsit Nost. Panorm. illud autem *Sacrorum est Verbum*, quo dictus est aliquis *Sacrum suscipere*, sive *percipere*; *Initiatus* Vir est *Sacris imbutus*, quæ quidem mirum qualia fuerint, quantaque diversitate, Matris Deum in Samothracia, plerisque aliis in locis Hecatæ, Bacchi in Bæotia, Mithræ in Asia, Orphei passim in Græcia, Isidis in Ægypto, alibique ut plurimum alia, referente Apulejo, qui ea τελετάς vocat, attento videlicet Sacrorum fine, quo perduceretur animus, vel ad illam perfectionis naturam, qua enitebat priusquam in corpus descenderet, ut docuit Olympiodor. in Platon. Phædon. vel eo pertingeret, quo Deo simillimus evaderet, ac si fieri posset Deus ipse, ut Platonici senserunt; Antiquorum vero tulit communis sententia, qui essent *Initiati* cum Diis habitaturos; ac se voluturos e contrario in cæno lutoq; qui non essent *Initiati*, *sacraque* ipsa non raro dixerunt *Initia*, *melioris*, nempe *vitæ Initium*, ex Varr. de Re Rust. lib II. cap. IV. & lib. III. cap. I.; quorum felicitatem describens Cic. II. de Leg. cap. XIV. *Initia*, inquit, *ista revera principia vitæ cognovimus*, *neque solum cum lætitia vivendi rationem accepimus*, *sed etiam cum spe meliore moriendi*, ascendebant scilicet ad Deos post mortem *Initiati*, qui dum viverent Sacrorum disciplina imbuti, sublatis flagitiorum inquinamentis, ac sordibus, per certos *gradus*, ac definita *temporum intervalla* ad ingentium quorumdam Arcanorum perceptionem, notitiamque devenerant; Proserpinæ, & Cereris Eleusine præsertim in Attica sacra eminebant, *Initiatique* Sacris istis puri scelerum credebantur, ut diximus ex Capitolino in Marco, *qui Orientalibus rebus ordinatis*, *Athenis fuit*, *&* *Initalia*, eadem sane ac *Initia*, *Cereris adiit*, *ut se innocentem probaret*, arcebantur enim sacris homines criminum sibi conscii, cum in Eleusiniis,

facultates, doctrinam, musas denique ipsas, & delitias omnes. Expecto te igitur haud minore quidem desiderio, quam tu teneris me adeundi simul & deosculandi. A Lampognino strenuo milite litteras adhuc nusquam accipio, quas tamen audio mihi illum obsignasse; quamprimum vero illas olfecero, respondebo, ac faciam probe satis. Interim virum suavissimum ex me saluere jubeas. Tu vale, & Plautum quam potes ocius ad nos præmitte. Iphicleus valet, & domus reliqua.

ANTONIUS PANORMITA.

ANTONIO MERCURIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMA.

Epigramma in laudem Ambrosiæ illi pollicetur, suam tarditatem excusat, amicitiamque confirmat.

RAtum, acceptumque fero Mercuri jucundissime quicquid Ambrosiæ tuæ mulieri ornatissimæ pollicitus es nomine meo, mandatum quidem geris ut velis cunque obligandi me, quam primum igitur Augustam meum absolvero, quod statim est, componam epigramma illud ut jubes in elegantissimæ mulieris laudem. Qua de re tibi, non mihi gratias agat volo: mihi quidem satis abunde sit, si quando honestissimæ tuæ voluntati morem gero, alioqui tua voluptas, & mea est. Verum ne deinceps queraris tarditatem, aut negligentiam meam Laudæ agens: nam si Mediolani nunc sis, offendes jam epistolas, & insuperabilem Panormitam, neque in me, meosque mores putes, fortunam imperium gerere. Si qua flecti, aut immutari possum, amicitia solum flecti, & immutari possum. Vale, meque, ut suesti, ama.

AN-

de quibus hic, tum & in aliis sacris illudque describit eleganter Grarius num. CCCCXLVI.

Emicat ipse, manu ramum pallente Sacerdos
Termiteum quatiens, procul hinc extorribus ire
Edico præsente Deo, præsentibus aris,
Queis scelus, aut manibus sumptum aut in pectore motum est,
Inclamat, cecidere animis trepidantia membra.

Hæc porro tribuenda sunt omnia *Initiatis*, & *Initiis*, quæ fusius persequitur Lomej. de Lustrat.; aliique non paucis; De illis S. Augustinus quum loqueretur de Trin. lib. III. cap. X. *Diabolum*, inquit, *animas deceptas, illusasque præcipitasse, quum polliceretur purgationem Animæ, per eas quas τελετὰς appellant, transfigurando se in Angelum lucis, per multiformem machinationem, in signis, & prodigiis mendacii.* Spiritus vero malus, qui in errores, impietatemque homines diu mentitus abrepserat, *Initiatos* per Evangelicæ lucis fulgorem ad Sanctæ Catholicæ Religionis usus converti demum vidit, quum intemeratæ Fidei Divinæ Mysteria *Initiati tantum noverunt*, quorum præclaram dignitatem spectare possumus in veteribus Patribus, potissimum in S. Basilio de Spir. Sancto cap. XXVII. quem studiosus lector erudite disserentem, hac in re consulat.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMAPRIMA.

De Pauli reditu gaudet, seque, suaque offert Antonio, cujus postquam enarravit, quomodo Secum, & cum Riciis agatur, valetudinis nuntium, adventumque concupiscit.

PAulum virum officiosissimum, & amicitiæ specimen advenisse præsertim incolumem gaudeo. Verum cum per istam aeris malignitatem se receperit, & illi angor, & nec minus tibi.

Res est solliciti plena timoris amor.

Quod autem possum, id est pro vestra utriusque salute vota suscipere, id pie sanćteque persolvo. Cæterum tibi meam domum oblatam, & deditam facio.

Heu fuge crudeles terras, fuge sidus iniquum,
Et tibi si non vis parcere, parce mihi.

Hic saltem pestilentiæ gratias aliquas habere poteris, quod mecum lectitabis, poetaberis, philosophaberis. Jube an velis tibi cameram adornem, & factum puta, aut quod malo, nil mihi rescribas, veni. Quæ mea sunt, tibi sunt jure optimo debita, alioqui salus tua mea est, voluptas tua mea est. Nobiscum salubriter agitur, & cum Riciis etiam largiter, & opipare. Vale tu mea exoptatissima valetudo, & nunc cum maxime opus est, tuam salutem frequenter renuntia, aut quod expecto potius veni, immo, ut Catullus ait, viam vora. Iterum, atque iterum vale cum Paulo dulcissimo.

ANTONIUS PANORMITA.

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMASECUNDA.

Regresso Cremona fausta ominatur, a Catone, si quas detulerit cum rogat ut impetret haleces impertiendas Abbati, tum flaminis voluntatem cognoscendam affirmat, petitque Caballos ad illum profecturus.

EX Cremona Urbe te recepisse gaudeo, eo præsertim, quod in via latet anguis in herba. Quare deinceps te pariter & nos custodias quæso, hoc est, quoad licet te Mediolani contineas, ac cures molliter. Item & Catonem nostrum rediisse fama est, eum ut convenias te ro-

gat Abbas (*a*) ille omnium suavissimus, atque lepidissimus, ejusque verbis hominem ora, si quas ex Helvetiis Haleces (*b*) detulerit, illi ut impartiat. Quid sibi velit, cupiatque flamen urbanissimus a Catone ipso optimo interprete cognosces. Quam primum Princeps repetierit Jovis arcem, ad me remittas Caballos, (*c*) ut ad te adeam. Interim me somnies concupiverim. Vale. Ticino, AN-

---

(*a*) *Abbas* labentis latinitatis vocabulum ad Catholicæ Religionis usum accomodatum, quo Monachorum Antistes, vel cujuspiam Societatis, aut Collegii Rector pridem est designatus: hanc vocem in Sidonio leges Carm. XVI.; Cæterum hoc in nomine latinam non tantum, verum Syriacam institutionem juvat attendere, qua *Abbas* est idem ac *Pater*; Innuit illud S. Augustinus, nam Epistol. CLXXVII. *Paulus*, inquit, *dicit Romanis scribens, in quo clamamus, Abba, Pater, in uno nomine duabus utitur linguis; dicit enim Abba Hebræo vocabulo Patrem, & latine nominat identidem Patrem*; & Ebrard, Betun. in Græcismo;

Abba Pater signat, hinc Absalon exit, & *Abbas*.

Nomen itaque hoc Auctoritatis & honoris insigne ad dignitatem subinde revocatum, qua in Ecclesiastico præsertim ordine quispiam effulgeret, ut ex Du Fresn. perspicuum in Gloss. eamque videtur indicare Panorm. Nost. cum Abbatis hoc in loco meminit.

(*b*) *Haleces*, si cum aspiratione scripserimus, significationis Græcæ usus non improbabitur, quæ vocem hauriens ab ἅλς, idest *Mare* ad id plane refertur, quod in Mari continetur, nempe *salsuginem*, hoc inde sensu *Halecem* non certum sed minimum quemque, ac vilissimum piscem dixerimus sale conditum, illumque non tam ex Sosipatro, & Prisciano, esse piscem accepimus, quam ex Columella de cibis piscium qui servantur in vivariis, sic inter alia scribente lib. VIII. cap. XVII. *Hinc esca jacentium mollior esse debet quam Saxatilium: nam quia dentibus carent, aut lambunt cibos, aut integros hauriunt, mandere quidem non possunt: Itaque præberi convenit tabentes haleculas, & salibus exesam chalcidem, putremque Sardiniam, nec minus Scombrorum branchias, vel quicquid intestini pelamis, aut lacertus gerit: tum scombri, carchariique, & elacatæ ventriculos: & ne per singula enumerem salsamentorum omnium purgamenta, quæ cetariorum officinis everruntur*; Communius vero *Halecem* quum interpremur, eum vocamus minimum pisciculum qui muria conditur, ac sale, illa tamen lege, ut etiam Halecis nomine intelligatur liquamen ex tabefactis piscium intestinis, seu fæx piscium; Ita Plinius lib. XXXI. cap. VIII. quasdam Civitates quum dixisset Garo, quasdam *muria* laudari, subjicit: *Vitium hujus alex, imperfecta, nec colata fæx*, & Horat. Sat. IV. lib. II.

Rectius Albanam fumo duraveris uvam,
Hunc ego cum malis, ego fœcem primus, & *Alec*
Primus & inveni, piper album cum sale nigro
Incretum puris circumposuisse catillis.

Itaque cum *Haleces* nominat Panorm. Nost.; sive de pisce, sive de piscium fæce loquatur, latinitatis decorem servat.

(*c*) *Caballos* ab Auctore Nostr. memoratos latine prisci dixerunt, sic tamen, ut vilissimos Equos intelligerent; Ita penes Non. in voce Caballus Lucill. abjectum Equum describit.

Succussatoris, tetri, tardique Caballi.

Horatius etiam humili servitio, & ministerio *Caballum* exprimit addictum his verbis;

Ad imum
Thrax erit, aut Olitoris aget mercede *Caballum*.

Plura hac in re habet Cornutus Adnotationibus in Pers.; & Pompon. in L. si ita in principio D. de Instruct. & Instrum. legat. Caballos vocat eos, qui in Pristino essent.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO MERCURIO CREMONÆ S.P.D.

EPISTOLA TRIGESIMATERTIA.

Excusationem affert, cur adhuc in laudem Ambrosiæ Epigramma non fecerit, seque facturum in posterum denuo promittit.

EPigramma illud, quod tantopere expetiscis in commendationem Ambrosiæ tuæ, nisi fecero, tu posthac neque divini, neque humani quicquam mihi credas volo, id equidem & pollicitus sum, & promisi tibi, sed cum tale quid factito, non ex sententia, sed ex furore id facere soleo, hoc te vehementer oro, diem mihi ne præscribas in hac re, si egregium, & duraturum aliquid a me desideras: atque eo pacto consules voluptati tuæ, & illius suavissimæ fœminæ laudi, ac gloriæ. Sin vero, ut in amore evenit, moram ægre laturus es, faciam quod jubes, vel stans pede in uno. Vale puellarum cura.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMAQUARTA.

Quid actum sit de Saphiris interrogat.

PRoxime ad te litteras binas dedi, itaque nostræ illi litterariæ constitutioni nec defui, nec defuturus sum; tu contra obmutuisti jam, quod cum mihi ingratum admodum sit, tamen quia succumbis, & exsuperaris, ea utique voluptate consolor, ut haud sciam victoriane magis deliniar, an litterarum tuarum frequentia, cum sint illæ quidem suavissimæ. Sed his missis, esset jam amodo diligentiæ tuæ mihi litteris significare siquid egeris de gemmis illis Saphiriis (a) an proscripseris nec ne, aut saltem si emptorem reperiant, aut conditionem aliquam, ad hæc rescribas volo si me diligis: nam reliqua tractavi superioribus epistolis. Vale cum diis adolescentibus, & Palatiolis. Papia.

AN-

(a) *Saphiria gemma* eadem ac *Saphirus*, quod nomen est ab Oriente, de quo uberiora vide in Plin. l. XXXVII. cap. IX.: ex illo tantum nos delibamus. *Saphirum pretiosum* lapidem esse, coloris aerii, aureisque punctis collucentem; ex Saphiro Saphiratus quoque, ac eodem ex Plin. *Lapis Saphirinus* est dictus.

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMAQUINTA.

Se in scribendo tardiorem excusat, illiusque litteras expectat.

PEr Jovem (*a*) placabilem te oro, atque obtestor, Antoni suavissime, noli succensere lentitudini meæ, & parsimoniæ, ut ita dixerim, litterarum: ardua quidem res benevolis, & familiaribus tardum me reddit meis. Licebit fortassis aliquando te litteris sepeliam: in præsentia, ne Cambio quidem ipsi, cui omnia debeo, possum exarare. Si quid cum scriba construxeris renuntiato. De Farafalla meo si quid senseris scribe, nec meo exemplo tardior fias. Sed dummodo rescribas, una tantum lineola contentus sum. Vale. Ticino.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMASEXTA.

Illi, a quo litteras exigit, silentii sui rationem aperit: de Augusta suo quædam, addit nonnulla de Quinternionibus, & Palatioli adventum sciscitatur.

ERit etiam humanitatis, ac mansuetudinis tuæ, si nostro isti silentio, ac contumaciæ non succenseas: dum enim studeo satisfacere, ac commodare adolescentibus nostris, abducor abs te vel invitus, illis enim primum commentariolos ad Plautum promisi, quos nunc a me exigunt jure optimo, patiare igitur te obsecro priores tempore, ut legulei dicerent, potiores esse jure. Pernoctabo igitur cum asinis Plautinis, verum id ita, ut saltem tecum, ut soles dicere, sabbatizem: (*b*) nullo enim pacto defuturus sum muneri tuo, sed spatium po-

(*a*) Auctores latinos sequutus *Jovem* hic nominavit Auct. Nost. ut Virum aliquem honore singulari dignum exprimeret; is quidem & priscis Scriptoribus interdum sensus fuit, qui non tantum Jovem fallaci superstitione superum Principem dixerunt, verum & hoc Augustos perhonorifico nomine compellarunt; Sic Horat. lib. I, ep. XIX.

Rides, ait, & *Jovis* auribus ista
Servas; fidis enim manare poetica mella
Te solum, tibi pulcher.

Jovis autem Augustus fuit veteribus, quod Imperatoriam esse divinam dignitatem propemodum ducerent.

(*b*) *Sabbatizare* ex Tertull. advers. Jud.

posco. Tum Saturni quoque die litteras a me expecta, si non quales ipse expetis, at saltem quales ex mediis asinis quivero, tu vero frequentius mecum agas, nec metiaris otium tuum ex negotio meo. Augusta meus ita a nobis abiit quasi poculo quodam amatorio insanus, senex est, nihilque vehementius admiratur jam pridem, quam tuam, & adolescentium urbanitatem, nam Mecoenatem colit religiosissime sed te Dii sospitent, superstitentque: ego ad Plautum redeo. Vale, & Cambianum illud numen ex me saluta. Iterum vale suadela mea. Papia.

Mitto quammaturissime Quinterniones (a) illos ad Mitiensem nostrum, Item an Palatiolus ad nos iturus sit, me certiores. Quæ mea sunt, illi dividua erunt omnia.



T AN-

cap. II. est Sabbatum servare, seu colere; hoc est vacare ab opere, feriari, otiari, quod ipsa vox indicat, nam *Sabbatum* idem est prorsus, ac requies: Ita loquitur Jo: de Garlandia in Æquivocis:

Sabbata dicuntur requies, & vita perennis.

Magnus equidem penes Judæos erat Sabbati cultus, præsertim situs in quiete, eoque recto quietis usu, ut capitale foret Opus facere, præter illud, quod Opus esset *Charitatis*, *Pietatis*, sive honoris in Deum, & *Absolutæ Necessitatis*: his Operibus impune peractis bonum sacræ quietis usum servabant, mutuis colloquiis in cœtus coeuntes, revolventes istius quietis Mysterium, æternique Dei precibus, ac reliquo cultu opem implorantes; Sacris autem post Christi Servatoris adventum a Judæorum gente deinde sublatis, cultui, qui *Sabbato* Deo exhibebatur dies Dominicus est addictus, de quo more loquutus Hayto Basileensis Episcopus cap. VIII. *Sabbatum vero*, ait, *operandum a mane usque ad vesperam, ne in Judaismo capiantur*. At *Sabbatizandi* usum, quo vacare ab Operibus denotaretur, ad Diem quoque Dominicum accomodandum docuit S. Bonifacius Archiepisc. Mogunt. cap. XXXVI. his verbis: *Admonient Præsbiteri diebus Dominicis per annum Sabbatizandum*. *Sabbatizare* itaque cum Amico ex Auct. Nostr. est a cæteris vacare Sabbato, cura tantum, & studio ad illum perscribendi.

(a) *Quinterniones* infimæ latinitatis vocabulo Panorm. commemorat, eosdem plane ac quinque foliorum libellos, ut *Quaterniones* quatuor i hoc sensu in Concil. Pisan. II scriptum est: *Johannes Burchardus tenens in manibus suis duos Quinterniones, dixit &c.* Alia voce, quæ eodem recidit, ipsi quinque foliorum libelli, *Quinterneti* nomine sunt comprehensi, legitur enim in Miracul. S. Goslini Abb. cap. VI. *De quibus omnibus fit mentio in Quinterneto Miraculorum ipsius Goslini*.

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMASEPTIMA.

De Columnulæ valetudine, ac moribus loquitur, Antonio in itinere, ac reditu fausta precatur, cui, Laudensem Pontificem salutandum, Herculiq; & Caucino alia nuntianda mandans, in rei Guarinianæ, Catonianæque cura laudem plurimam tribuit.

QUoniam te adeo solicitum, ac prope anxium video in Columnulæ nostri salutem, ut ne Thetis illa poetica in Achillis quidem magis: omnium primum fortem, & valentem, addas & lætum, & hilarem puellam renuntio, cui quippe nulla unquam in re & tua gratia, & Herculis tui viri fortissimi defuturus sum. Ad litteras magnum immo necessarium nobilitatis ornamentum quotidie hortor, & volentem stimulo, ad mores nihil hortatu opus est, ingenuus quidem & liberalis est, totusque aureus, & suavis, denique Columnensis, Romanus, atque Herculis nepos: de quo alias vel ad ipsum Principem aliquid dicam. Tu autem i felix, felixque redi, atque obiter virum illum, aut rectius semideum nostrum, Pontificem dico Laudensem a me plurimum saluta. Cremonæ vero cum fueris, & Herculi Romano me gratum efficito, & Caucino tuo, Viro ut ais optimo, & ut certe scio perloquenti. In re autem Catoniana, & Guariniana te plurimum laudo, ac spero fore, ut hæc tui animi benignitas tibi tandem & Deos, & homines conciliet; atque devinciat, aut tua fortuna omnino ingrata est, aut tua virtus fortunata evadat necesse est. Vale bonorum patrocinium, & mea lux.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMAOCTAVA.

In clientelam, & fidem Catonem Sperono commendat, itemque Columnulæ meminit.

ET si tibi curæ, & studio est res Catoniana, excitabo tamen scabronem, (a) & quod ajunt sponte currentem, volo a te igitur, & ve-

(a) *Scabrones* Ulpiano, Trebatioque sunt vocati, qui illuvie laborant, nec os colluunt, aut os pulvisculo mundant, unde fit, ut & dentibus sint Scabris, quæ res & Scabrorum nomen genuit; *Scabronem* primus legi posse Cujac. Observ. lib. II. cap. X. animadvertit, contra Vulgatam librorum Juris lectionem, qui pro *Scabrone* apponebant *Strabonem*, quum tamen *Strabo* oculorum, non oris sit vitium. Nos autem hic legimus *Crabronem*; qui nullo impellente currens, hominem innuit Amico sponte succurrentem.

vehementer peto, ut Catonem ita commissum facias Sperono Quaestori, viro Senatorio, ut quae Catoni ipsi jure debentur pecuniae confestim exsolvantur, nosti tu, an ea talis pecunia necessaria sit amico nostro: tum an pro laboribus, pro dignitate, pro fide in Principem, mereatur etiam grandiorem. Clarissimo autem Sperono cessura est haec pietas, & benignitas in laudem egregiam, & memorabilem. Tum Mecoenati magno, & iis omnibus qui Mecoenatis sunt, pergratum faciet Speronus, ut non unum Catonem, sed plures sit debitores habiturus. Ego quoque pro virili laudes, & gratias acturus sum, ut qui indigentiam Catonis compertam habeam, & quam bene de Principe mereatur sciam. Obligabis igitur te, obligabis me, obligabis Mecoenatis omnes Sperono magnifico; si nostras audiat preces, & vota. Tu vale cum humanissimo, ac sanctissimo Abbate nostro. Columnula tuus valet, & deposita omni tristitia ridet, & cantat.

ANTONIUS PANORMITA.

ANTONIO CREMONÆ S.P.D.

EPISTOLA TRIGESIMANONA.

Plura de Oratione Gerardi Pontificis ad illum missa, aliqua de Plauto, reliqua de versibus agunt.

MItto tibi oratiunculam Gerardi Pontificis, Viri tum moribus, tum eloquentia insignis, quam ex tempore habuit apud Patres illos Basileenses, elegantem quidem, tuaque, & doctorum omnium lectione dignissimam. Leges tu illam, & perleges, postea exscribendam concedes studiosis humanitatis, tandem illam ad me remittas, mihi in delitiis reponendam, & conservandam tanquam alteram animulam. Expecto diu Plautum tuum, meus commodato abest: at tu non lentus, sed mortuus es, & si non mortuus, certe lentus. Tui quidem illi versus mihi cordi sunt, eoque gratiores venient, & politiores, quo tardiores. Vale.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO MERCURIO CREMONÆ S.P.D.

EPISTOLA QUADRAGESIMA.

Percontatur de Beccariae domo, illi quanto futurus sit ad viam incitamento Gaudentius, quantique sit habendus, declarat.

AN exoraveris adhuc domum illam Antonii Beccariae Equitis splendidissimi, id cum vehementissime cupiam, non possum nec a te

a te, nec a meo Cambio scire, quod proinde ægriuscule fero, quod silentium, & mora ista damno cessit, & cessura est, dum eam quidem a vobis frustra expecto, domum alteram amisi: quare si me amas, vel lectis litteris ea de re mihi scribas. Gaudentius noster adhuc Placentiæ agit. (*a*) Te vero adventurum ad nos audio hastiludii (*b*) gratia, vel nos potius visendi: quo in proposito ut perstes, noster Gaudentius satis suadere potest: eum si videris amabis, & cum mox non videris desiderabis. Vale.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA QUADRAGESIMAPRIMA.

A se litteris ad Palatium, & ad illum datis, ejus silentium accusat, accepto Varrone de codice vocabulorum est solicitus.

PRoxime ad te scripsi, & pro virili nostra satis pactionibus feci, atque una Palatio nostro litteras dedi. Tu vero siles, tuis hisce, ut arbitror armilustris (*c*) mei immemor factus: an recte, & amice, agas, tute ipse cogitaveris. Ego quidem ex taciturnitate tua ea saltem voluptate afficior, quod te officio reddundarum superaturus sum. Varronem suscepi jam, qua de re tibi gratias neque refero, neque habeo, immo tibi succenseo potius, quippe qui adhuc ad me non miseris vocabulorum codicem illum vetustissimum: expurga tuam hanc taciturnitatem, & librum advolare facias. Vale.

AN-

(*a*) *Agere*, nonnumquam idem est, ac manere, sive morari, id ex Virgil. præcipue diximus lib. V. v. LI.

... Gætulis agerem si Syrtibus exsul.

Et satis apte dicitur: *Peregre*, Ruri, sive alicubi agere; Desinere vero inter homines agere est finem facere manendi inter homines, idest Mori, ut ex Tacito deprehenditur.

[*b*] *Hastiludium*, vulgo *Torneamentum* dicitur, & latinis est *Pugna ludicra cum hastis commissa*: Jo: de Janua. *Hastiludium quidam ludus Militum, cum hastis. scilicet quando Equites currunt, & frangunt hastas*, & Synodus Herbipolensis Ann. Chr. MCCLXXXVII. *Hastiludia*, & *Torneamenta* commemorat, quorum in latinitatis infima ætate plerumque fit mentio.

[*c*] *Armilustrium* sive *Armilustrum* vox latina, qua Romanos arma lustrasse designatur: hac de consuetudine Varro de L. L. libr. v. *Armilustrium* inquit, *ab eo, quod in Armilustrio armati sacra faciunt*: Lustratio, igitur quædam, seu Armorum expiatio Armilustrio peragebatur, quod notatio nominis visa est indicare, manans ab *Armis*, & *lustrando*; quia nempe Exercitus lustrabatur armatus. Centuriatis quidem Comitiis, ex Josepho Scalig: qui addit præterea esse credibile, Romanos in Armilustrio sacra facientes, Classico solitos fuisse canere.

ANTONIUS PANORMITA
ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA QUADRAGESIMASECUNDA.

Una cum illius Epiſtola, utilitatem Epiſtolarum plurimum laudat, Mercurino, Dominico, Franciſco, in quorum commendatione totus eſt; ſuo nomine ſalutem nuntiari vult, expectatque tres Codices.

EPiſtolam, quam die Martis obſignaſti, non ſolum accepi, ſed acceptam ſemel, atque iterum ſum deoſculatus, ut enim virtute, ac probitate te quotidie vincis, ſic & dicendi ſuavitate in ſingulas horas excellis, proinde te hortor epiſtolis conſcribendis dare operam, ut facis: ita quidem & ſtudiis proſpicies tuis, & in dies tibi novas conciliabis amicitias. Sane quidem epiſtolæ cum plurifarie [a] nos exornant, tum vero maxime, quod benevolos nobis quotidie comparant. Quamplurimos, quos nunquam vidi, per epiſtolas amo, ac mutuo amari certe ſcio: ego quidem, non dico tibi, cui omnia beneficia debeo, ſed ne ipſis quidem vulgaribus amicis deero hoc epiſtolari colloquio. Quid homine indignius, quam id non agere quod facile, & cum virtute poſſis agere? Optarim vero tua cauſſa, ut per otium liceret non modo frequenter, ac benevole, quod ſponte, & jure facio, poſſe ad te ſcribere, ſed paullo etiam accuratius, ornatiuſque, quanquam pro tua prope ſingulari humanitate a me non eloquentiam, ſed benevolentiam repoſcis, quam, ſiqua in me eſt, & eſt quidem ingens, omnem erga te conferam, ac tradam: ut ſiquis poſthac diligi a me deſideret, non ſim, ut ajunt, ſolvendo, hactenus tecum. Tres illos aureos adoleſcentes Mercurinum, Dominicum, Franciſcum ita diligo, ita admiror, ut quoddam manſuetudinis, & urbanitatis exemplum, mea quidem ſententia ſunt digni optimi, maximique Principis benevolentia, qui procurent, ac tractent res perarduas, crede mihi non abs re placent tantopere Franciſco Barbavariæ Viro illuſtri, vidit Vir magnus, atque acris judicii aliquid in adoleſcentibus, quod dignum Principe,

V quem

[a] *Plurifarie* eo ſenſu dicitur a Panorm; quo reddatur *pluribus modis*, eadem tamen ſignificatione ſcriptum eſt in Auctoribus latinis *Plurifariam*, quod complures ſeu modos, ſeu locos exprimat; Hinc in Tiber. cap. XLIII. Sveton. *Cubicula*, ait, *Plurifariam diſpoſita tabellis, ac ſigillis laſciviſſimarum Picturarum, & figurarum adornavit, libriſque elephantidis inſtruxit, ne cui in opera edenda exemplar imparatæ Scenæ deeſſet*: Quod vero dixere nonnulli *Plurifarius*, varius nempe ac multiplex adjectivo nomine, multi quoque improbarunt, locumque ipſius Sveton. in Claud. cap. XXI. *Gladiatoria munera plurifaria, ac multiplicia exhibuit* emendaverunt *plurifariam*, *ac multiplicia* exhibuit.

quem unice colit, ac dignum se dijudicaret, quod vel præcipue cedit illorum ornamentis. Etenim didici id esse magnum probitatis, argumentum, si quis Viro gravi, maximeque spectato collibuerit, adolescentes ex senibus judica. Vale, & apud illos me iterum, atque iterum gratiosum fac, ad quos si litteras nunc non exararim, est quod imputent hisce Commentariis, quos eorum nomine, ac laude in manus habeo. Tres istos codices in horas avidissime expecto. Item Vale.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA QUADRAGESIMATERTIA.

Epigramma in laudem Ambrosiæ mittit, de quo, quid illa censura sit, exquirit.

EPigramma, quod a me quotidiano pene convicio efflagitasti, in laudem Ambrosiæ tuæ, feci, & ecce illud nunc ad te mitto: quod retractare debes, & incudi reddere, priusquam elegantissimæ illi Matronæ legendum tradas. Nam si tandem intellexero illam oblectari carminibus, & Poetas venerari, faxo, nisi fallor, ut numeretur inter præclaras Mulieres. Nam & si tibi omnia debeo, & præcipienti quoque non obtemperare nefas est, tamen erit operæ pretium scire, an ea quoque afficiatur versibus meis, & Poetæ suo gratias habeat: labor enim omnis in benemeritos lenis est, & jucundus. Vale tu Nympharum amor, & valeat illa amoris Nympha.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA QUADRAGESIMAQUARTA.

Narrat, quæ ad illum pervenerint, quæ deperditæ sint litteræ, monet quomodo sit earum securitati consulendum. Patefacit, cur de regressu ad suos cogitet, datisque litteris ad Palatium, Ferussinumque, Marcolinum salutat.

IGitur a te tandem mihi redditæ sunt epistolæ, & suaves, & officiosæ. Doces item jam quatuor illius generis ad me dedisse superioribus diebus, fit ut harum gustu, illis deperditis vehementer indoleam.

leam. Difpereant quæfo omnes, & Tabellarii, & Muliones, (a) quorum incuria, aut perfidia fraudamur hac perhonefta litteria voluptate, fed curato deinceps, negotiari cautius, cuique tuas gemmas crediturus es, etiam atque etiam confiderato. Perfidis quidem omnia redundant, & profecto

...... *Lupus eſt homo (b) homini*, ...

ut Plautus ait. Cæterum quod ais, me plufquam fatis eft, quæftum fpem, & fortunatum mearum moram: id tibi ut cætera affentior, non ut diffidam Mecenati viro immortali, aut reliquis benefactoribus noftris, fed ut peccem faciunt agnatorum meorum minę: inftant, jubent, volunt, ut redeam ad eos, alioqui mihi aliunde victum exquiram, ab eis nihil fperem omnino. Quid mihi faciundum fit, fare nunc: an vis utar communi dividundo actione? fed longe, & mille milliaribus difto: an agam id per procuratorem? præpotentes funt, & in nobilitatem hodie non admittitur actio; an vis philofopher, id eft mifere agam, ut Cambius vult? at id non patitur dignitas, aut genus, tum mea ætas expoftulat jam amodo, ut aut Patriam repetam, aut fi fata negant, vel hic, vel alibi domicilium mihi conftituam jam, expecto tamen, duro, fpero confido, fretus, & Mecœnatis pietate, & ftudiis aliorum. Verum ut fenefcam inter fperandum, id non perfuaferit ipfe Demofthenes, perfepe mihi dicendum eft, qui fperat, is mancus quodammodo, & inutilis eft. Vale, & Marcolino Saccaro (c) noftro me jucundum magis, magifque facias, nam Palatio, & Feruffino litteras heri dedimus.

AN-

(a) *Muliones*, quos recenfet hic Panorm.; nec vetufta ætas ignoravit; videlicet iidem qui & nunc temporis, erant olim homines ifti, qui Mulos five Clitellarios, five Quadrigarios ducerent; eorum defcribit Minifterium Plaut. in Aulul. Act. III. Sc. V. v. XXVI.

Enim mihi quidem a quom eft purpuram atque aurum dari,
Ancillas, Mulos, *Muliones*, Pediſſequos,
Salutigerulos Pueros, vehicula qui vehar.

addendufque Juvenal. Sat. III. v. CCCXVI.

Sed jumenta vocant, & Sol inclinat, eundum eft.
Nam mihi commota jamdudum *Mulio* virga
Adnuit: ergo vale noftri memor....

Quorum auctoritate verborum erraſſe comperiuntur ii, a quibus immutato nomine *Mulius* perperam eft tranfcriptus, qui *Mulio* latine dicebatur. Mulionis item Plinius meminit, qui genus eft Culicum Apibus inimicum; ait enim lib. XI. *Impugnant eas*, hoc eft Apes, *naturæ ejufdem degeneres vefpæ, atque Crabrones, & e Culicum genere, qui vocantur Muliones.*

(b) *Lupus eſt homo homini, non homo, quom qualis ſit non novit.*

Ita Plaut. in Afin. Act. II. Sc. IV. v. LXXXVIII.; a quo nec Senecæ diverfa eft fententia, qui Epift. CIII. *Ab homine*, inquit, *homini quotidianum periculum*, cohæretque illud Anacharfidis Scythæ, qui interroganti, *Quid homini maxime infeſtum eſſet? Ipſi* refpondit, *ſibi ipſis*, quibus tamen adverfatus Cæcilianus apud Symmachum: *Homo*, ait, *homini Deus eſt, ſi ſuum officium ſciat*. Pluribus de hac re agit Tiraquell. de Nobilit. cap. XXXII; aliique permulti.

(c) Sacchari meminit Plin. lib. XII. cap. VIII. his verbis: *Saccharon & Arabia fert, ſed laudatius India: Eſt autem mel in harundinibus collectum gummium modo candidum, dentibus fragile, ampliſſimum nucis avellanæ magnitudine ad medicinæ tantum uſum*. Hoc etiam genus mellis ipfæ miniftrant Arundines Perfis, cui cum cæterarum longe fuavifsimo fimilem Panorm. Marcolinum dicat, illum præ omnibus dulcifsimum appellat.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO CREMONÆ S. P. D.

EPISTOLA QUADRAGESIMAQUINTA.

Illius casibus ita ut suis anxie permovetur, suis Adolescentibus, quibuscum novit quid actum sit, promissi fidem se præstiturum despondet, ac Piccinino, cui non scribit, fausta precatur.

POstea quam in Padi ripa a me cum Catone discessisti, describis ea pericula, quæ magna quidem, & perardua in via passus es, atque ita describis, ut jam mihi interfuisse periculis videar, hoc est imbres, & pluvias sustinuisse, latissimum flumen transmisisse, per tenebras migrasse, deviasse, aberrasse, vitam denique desperasse, itaque dum absenti mihi gratularis, præsentem constituis, eo quidem eloquentiæ evasisti, ut quæ scribis agas. Jam vero tua legens contremisco, & nisi phrigium mutas, ut Timotheus ille, ac levius moderaris, pericliter & ipse oportebit. Quæ peregisti meo nomine, meoque mandato apud nostros adolescentes lente admodum audivi: expecto igitur domini Mecœnatis epistolas, postmodum toto, ut ajunt, pectore incumbam: quodque pollicitus sum nihil vereare, statim absolvam, & plaudite (*a*) dieam, alioqui nec jurato mihi credas deinceps, alia quidem plura stu-

---

(*a*) *Plaudite* ductum est a *Plaudere*, quod ex Brillon. de Form. VIII. verbum est Textricum, cum illæ licium densius inculcant, & cum plausu collidunt; Apulej. lib. I. Metamorph. *Dextra*, ait. *sæviente frontem replaudens*, hoc est, repercutiens. Verbum deinde istud ad Theatrum est translatum, unde peractis Fabulis dimittebantur Spectatores, qui prius *Valere*, & *Plaudere* jubebantur hunc ferme in modum, *Valete*, & *Plaudite*, quod vel a Grege, vel ab ea Persona, quæ postrema in Scenam introducebatur, pronunciabatur: Hac passim sunt usi formula Terentius, & Plautus, ea tamen diversitate, qua in Terentio nonnunquam comprehendatur hoc tantum verbo *Plaudite*, ut in Andr. Act. V. Sc. VI. sub finem

Intus transigetur, siquid est, quod restet, *Plaudite*.

aliisque in locis, in Plauto vero unica interdum voce ad plausum Spectatores incitentur, ut in Curcul. Act. V. Sc. III. v. LI.

Quæ res bene vortat mihi, & vobis Spectatores, *Plaudite*;

Nonnumquam uno & item altero versu Plausus variis Verborum figuris exigatur; Sic in Cistell. Caterv. Num. V.

Nunc, quod ad vos, Spectatores, reliquum relinquitur,
More Majorum *date plausum* postrema in Comœdia.

Nec non in Trucul. Act V. v. LXXV.

Veneris caussà applaudite: ejus hæc in tutela est Fabula.
Spectatores, *bene valete*; *Plaudite*, atque exsurgite.

Epid. quoque Grex Num. II.

Plaudite, *valete*; lumbos surgite, atque extollite.

Sive, ut alii legunt ex Douza

Plaudite. & *Valete*: lumbos porgite, atque extollite.

Istius etiam Vetustæ consuetudinis meminit. Horat. Art. Poet. v. CLIV.

ſtudeo, ac molior, quæ ſi Dii dent, & in lucem prodeant, & ipſe Princeps, & Mecœnas ſanctiſſimus, & adoleſcentes tria ſidera, & qui me amant omnes, mihi gratias agant, erit neceſſe,

. . . . . . Rumpentur & illa Codris . . . . .

Piccinino meo Tabellarii feſtinantia (*a*) non ſcripſi, valeat, & tu quoque Deos oro.



X LI-

Si Plauſoris eges Aulæa manentis, & uſque
Seſſuri, donec Cantor, *Vos Plaudite*, dicat.

Finis itaque Fabulæ declaratur, cum ſpectatoribus Plauſus indicitur, ut Cic. translate innuere videtur de Senect. cap. XIX. his verbis: *Neque enim Hiſtrioni, ut placeat, peragenda eſt Fabula, modo, in quocumque fuerit actu, probetur, neque ſapienti uſque ad Plaudite veniendum: Breve enim tempus ætatis ſatis eſt longum ad bene, honeſteque vivendum*; & ad ſuæ lucubrationis finem Auct. Noſt. alludit, cum ſcribit: *Plaudite dicam*, ſumpto a priſcis Fabularum Actoribus vocabulo, ut Tertull. lib. I. adverſ. Valent. ait: *Quod supereſt, inquam, vos Valete, & Plaudite*.

(*a*) *Feſtinantia*, vox Auctore latino minus digna in L. LII. Cod. Theod. de Hæret reperitur; hoc etiam nomen uſurpant Act. Hadr. IV. Rom. Pontific. Max.; & in Itinerario Gregorii XI. item Summi Pontif. legitur: *Mare ingreditur cum feſtinantia*, quod & in multis aliis infimæ latinitatis Codicibus paſſim deprehenditur: Fluxit autem a *Feſtinandi* verbo *Feſtinantia*, quæ latinis eſt *Feſtina celeritas*, ſeu *Feſtinatio*, a quibus *Feſtinantiæ* nomen expungitur, hinc Tull. pro Milone: *Quæ cauſſa*, inquit, *cur Romam properaret? Cur in noctem ſe conjiceret? quid afferebat feſtinationem?* Et Colum. lib. II. cap. II. *Quo cautior Villicus, vel abſtinere poſſit Operibus, vel feſtinationem adhibere*.

LIBRI PRIMI
FINIS.

EPISTOLARUM GALLICARUM
LIBER SECUNDUS.

LIBER SECUNDUS.

ANTONIUS PANORMITA

PICCININO SUO S. P. D.

EPISTOLA PRIMA.

Qua ratione quotisque vicibus antiqui cibum sumerent, diligenter expendit.

SCribis extare nescio quem, aut extitisse nuper apud vos hominem bonum, & ex sapientia illa Attica conflatum, atque effigiatum, qui quærat a me, ac priusquam respondeam affirmet, me nesciturum, quare antiqui cœnabant, & non prandebant. (a) Quæstio nimirum subtilis, & lepidissimo illo Viro dignissima: sed Dii boni cur me non bicipitem finxistis, ut cum hujusmodi ineptias audio, caput alterum in parietem impingerem? O Guarine Ventrati ubi nunc es? Hic Guarinus Ventratius, cum de Martino Siculorum Rege benemeritus esset, pro meritis a Rege impetravit, ut deferre posset sub pallio absconsum cujusvis pecoris ventrem, sive rectius alvum vocites, plenam animæ: eamque, si quem fuisset nactus ineptius loquentem, in hujus faciem, atque os impune invergere: hinc a ventribus Ventrati cognomen accepit. Si videat modo hic Ventratius, homo haud sane illepidus, & hic gentium valde necessarius, quempiam existimantem majores nostros tantum semel in die comedisse, de universis dico, non de singulis, quid putas, Piccinine, facturum esse? An contenturum, & refrænaturum alvum illam, an refusurum universam in

---

(a) Non unius tantum auctoritate Scriptoris, verum ex plurimorum sententia Opinio prodiit, quæ defenderet Veteres *Cœnare* solum, non vero *Prandere* solitos olim fuisse: Hac in re Salvian. Massiliens. de Providentia & Judicio Dei lib. I. ita loquitur: *Nunquid parcam illam nunc, agrestemque vitam cum gemitu, & dolore tolerabant, cum viles, & rusticos cibos ante ipsos, quibus coxerant, fucos sumerent, eosque ipsos capere nisi ad Vesperam non liceret*; & Aurel Cassiodorus in Psalm. XIV. *Majores nostri Tabernas domos appellaverunt Pauperum, & quod ibi habitabant, & cœnabant, sicut Antiquis mos erat semel cibum sumere, ex duobus nominibus unum traditur factum esse vocabulum, scilicet Tabernaculum*, postremoque Manl. Severin. Boeth. libr. II. de Consol. Philosoph. Metr. V.

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus Arvis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ sera solebat
Jejunia solvere glande.

Nec prætereundi sunt Pompon. Sabin. & Senec. Epist. CXXII.; idem plane arbitrati, quorum ex judicio tametsi recesserit hic Panorm. mirari tamen non debuit, Veterum, *qui cœnabant, & non prandebant*, aliquem quandoque meminisse.

in caput ita existimantis? Omnium primum constat, si quidem claris auctoribus credendum est, veteres longe proceriores, atque robustiores extitisse, cœpisseque genus hominum jam usque ab Homeri temporibus decrescere, hoc Junius Juvenalis auctor locupletissimus tradit, atque addiicit,

Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.

Ergo imbecilliores, atque breviores plus comedent, & majore indigebunt nutrimento, quod absurdum est. At si dixerit Atticus tuus, erant illi magni quidem, sed sobriores, continentioresque, respondeat quæso an apud satyricos uspiam legerit veterum ingluviem, ac crapulas?

.... Una comedunt patrimonia mensa.
Nullus jam Parasitus adest, ecquis ferat istas
Luxuriæ sordes, quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum.

Et hujusmodi innumerabilia, magisque pudenda. Titius in suasione legis Fanniæ obiicit sæculo suo, quod porcum Trojanum mensis inferat, quem illi ideo sic vocabant, quasi aliis inclusis animalibus gravidum, sicut equus Trojanus gravidus armatis fuit. Hortensius Vir utique antiquus, & adhuc eloquentia illustris, primus Pavonem augurali cœnæ apposuisse traditur. L. Crassus Vir Censorius, & Ciceronis sententia gravis, & super cæteros disertus non ne Murenam in piscina domus suæ mortuam tanquam filiam luxit? Quid denique Catone clarius, quid sanctius? & hunc quidem ebrium legimus. Taceo hoc loco & lepores, & cocleas ætate illa solitas saginari. Præterea Acipenserem paucorum hominum piscem, omitto etiam Mullum ab Asinio Viro Consulari emptum septem millibus nummum. Quid murenas dicam ab usque freto Siculo accersitas? Quid ostrea? quid ostrearia illa Sergii Oratæ? Quid et Oratas a quibus Sergius cognomen accepit? Quid tubera?

O Libiæ disiunge boves dum tubera mittas.

Quid bellaria secundæ mensæ? quæ quid sint ab Attico vehementer addiscam. Quorsum hæc? ut intelligat ne ætatem quidem illam vitiis caruisse, nec ipse inficiabitur. Cæterum quæret, an Prandia (a) uspiam

---

(a) Priscis Auctoribus, quos numerat Panorm. præivit Plutarch. cujus lib. VIII. Symposiac. cap. VI. ex versione Guilielm. Xylandri hæc sunt verba: *Est enim* δεῖπνον *Cæna quasi communionem voces, quia seorsim solebant prandere Antiqui Romani, cœnare cum Amicis*. Prandium insuper nominavit Pers. Sat. I. v. CXXXV.

His mane Edictum, post prandia
Calliroen do.

Scripseratque antea Horat. Sat. libr. I. Sat. VI. v. CXXVII.

Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior; hæc est
Vita solutorum misera ambitione gravique.

Addique potest in Menæchm. Act. II. Sc. II. v. I. illud Plauti

Bene obsonavi, atque ex mea sententia
Bonum anteponam *Prandium* Pransoribus.

et longe antiquissimum Prandii nomen præ aliis commendat Etymon Græcum, a quo Canterus aliique multi *Prandium* ducunt.

uſpiam legerim apud veteres? Quid ni? Valerius Maximus in ſecundo memorabilium libro, *Maximis*, inquit, *Viris prandere, & cœnare in propatulo verecundiæ non erat.* Inſuper autem pœnis legis Didiæ tenebantur non illi ſolum, qui prandia, cœnasve majore ſumptu feciſſent, ſed etiam qui ad eas vocati eſſent, aut omnino interfuiſſent. Et Soſia ille Plautinus adeo id quod narraturus eſt magis meminit, quod illo die impranſus fuit. Locus præterea eſt, Attico mehercle dignus, (*a*)

Ubi flent nequam homines, qui polentam pranſitant.

Idem Plautus in Milite, (*b*)

Adducunt extra me ad ſe prandium, ad cœnam vocant.

Idem in Bachide, (*c*)

De ſubito prandium, aut potatio
Forte, aut cœna ut ſolet in iſtis fieri conciliabulis.

Idem in Sticho, (*d*)

An pararit prandium
. . . . . . Uxori . . . . . .

et paulo poſt, (*e*)

Quot adeo cœnæ, quas deflevi mortuæ!
Quot potiones mulſi! Quot autem prandia!

Idem in eadem (*f*)

Quam mox cocta eſt cœna, impranſus ego ſum.

Cicero in III. Philippicarum. *Quid prandiorum apparatus? quid furioſam vinolentiam tuam proferam?* Idem in III. Verrinarum; *In Aſiam vero poſtquam venit, quid ego adventu iſtius prandia, cœnas, equos, muneraque commemorem?* Hieronymus ad Ruſticum. *Hic bene nummatus plus placebat in prandiis.* T. Livius in primo belli Maced. *Itaque turmatim equites levis armaturæ aquatum ire prandere jubet.* Svetonius

Y in

(*a*) Plaut. in Aſin. Act. I. Sc. I. v. XIX.

(*b*) Locus eſt in Plauti Mil. Gl. Act. III. Sc. I. v. CXVIII., qui correctius eſt legendus

Abducunt ad exta: me ad ſe, ad prandium, ad cœnam vocans,

ad exta abduci, quę *luſtralia* ſunt, eorum namque pars Diis eſt reddita, pignus eſt Amicitiæ ſingularis, quod ad illa tantum cariſſimi vocarentur, ex Turneb., ea ſane ratione, ut in Epulatione comederetur, quod a Deorum cultu ſupererat.

(*c*) Locus eſt Plaut. in Bacchid. Act. I. Sc. I. v. XLVI.

Quid? ſi apud te veniat de ſubito *Prandium* aut Potasio
Forte, aut Cœna, ut ſolet in iſtis fieri conciliabulia,

Interpretaturque Salmaſ. in lectione vulgata optime ſenſum concinnari, *ſi de ſubito eveniat Prandium*, ideſt ſi uſuveniat, ſi contingat, ut apud ſe ſit prandendum.

(*d*) Hoc etiam Plautinum eſt, in Stich. Act. I. Sc. III. v. XLIX., & legitur emendatius

Alienum æs cogat, an pararit Prandium,
Uxorin, ſit reddenda dos divortio.

Lipſius tamen immutat, legitque

Alienum æs cogat, an pararit Prælium.

(*e*) Plautus etiam in Stich. Act. I. Sc. III. v. LIX.

(*f*) Plaut. in Stich. Act. I. Sc. I. v. XXVIII.

in vita Caligulæ. *Hora fere ſeptima cunctatus ad prandium ſurgeret*, *&* reliqua. Aelius Spartianus in vita Alexandri Severi Aug. ita ſcribit. *In procinctu, atque in expeditionibus apertis papilionibus prandiit, atque cœnavit*: & illud præclare, *prandeamus milites, tanquam apud inferos cœnaturi*. Sed ſtultior ego qui prandium rem vulgatiſſimam quaſi incognitam, & inuſitatam recenſeo. Cum maxime, & ante prandium cibo quondam veteres veſcerentur, quem jentaculum (*a*) appellabant, quia eo jejunium ſolveretur. Nigidius, *Nos ipſi jejunium jentaculis levibus polluimus*. Et illud Plautinum,

Me inferre Veneri novi jam jentaculum,
Quid antepones Venerea jentaculo. (*b*)

Svetonius item in vita Vitellii, *epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat, in jentacula, & prandia, & cœnas, comeſſationeſque*. Quis præterea merendam (*c*) ignorat, eamque & apud ve-

(*a*) Præter illam, quæ hic a Noſt. Auctore proponitur, aliam denominationem recenſet ex Plutarch. Sympos Voſſ. in Etymol.; *jantaculum* ex antiquis, & *jantare* tranſcribens, eoque narrat uſos homines intemperantes, eoſque qui ſolerent *mane edere panem meraco tinctum*: *Silatum* quoque latinis *jentaculum* appellatum novimus ex Feſto, quod jejuni homines vinum ſibi conditum ante meridiem olim abſorberent; non tamen hæc perpetua *jentaculi* ratio fuit, ſicuti docet Apulej. lib. I. Metam. *En inquam paratum tibi adeſt* Jentaculum, *& cum dicto manticam meam humero exuo, caſeum cum pane propere ei porrigo*. Numquam igitur ſine pane *Jentaculum*, paniſque *Jentaculi* caput erat, interdum ſiccus, & ſolus ex Vopiſc. in Tacit. c. xv., qui ait: *Panem niſi ſiccum*, ſolum nempe, *nunquam comedit*; addabant quandoque priſci pani palmulas, uvas paſſas, nucleos, mel atticum crudum, aut coctum, ſive melliti, dulciariive Operis, ſive aliquando ſalſi quidpiam; Inde *panem guſtare, comedere*, & *jentare* prorſus idem; Svet. in Aug. cap. LXXVI. *Dum lectica*, inquit, *ex regia domum redeo, panis unciam cum paucis acinis uvæ duracinæ comedi*; Pueris vero ſolis commune *Jentaculum* fuiſſe ax priſcis accepimus, quo qui ex reliquis hominibus uterentur, mane *jentaſſe* ſunt dicendi ex Mart. lib. VIII. Epigr LXVII.

Mane veni potius, nam cur te quinta moretur?
Ut jentes, ſero, Cæciliane, venis.

Jentaculo demum & *prandiculi* nomen adhæſiſſe nonnumquam, & Feſtus eſt Auctor.

(*b*) Ita Plaut. in Curcul. Act. I. Sc. I. v. LXXIII.; veruntamen legitur communius:

Me inferre Veneri vovi jam *Jentaculum*.
Pa: Quid antepones Veneri a *jentaculo*?

Tametſi ex quodam Angl. germano Codice tranſcribat I. Iſac. Pontanus hanc diverſa interpunctione ſententiam:

Pa: Quid? an te pones Veneri *jentacula*?

Excitatus videlicet dicti novitate Palinurus, quod Phædromum *jentaculum* audiſſet Veneri devoviſſe, quid, inquit? an te met Veneri dabis In *jentaculum*? & firmare videntur ſenſum verba infra prolata a Phædromo jocularíter:

Ph: Me, te, atque hoſce omnes....

nec non illud quod ſubdit Palinurus

, ..., Pa. Tum tu Veneram vomere vis?

(*c*) Ad ciborum varietatem inter antiquos *Merendam* acceſſiſſe liquet uni-

veteres usitatam, dictam quasi *meridie edere*, quam nonnulli *antecœnam* vocarunt, quod proxima esset cœnæ. Verum hic error, qui in præsentia Atticum habet, emanavit, ut opinor, quod legunt præsertim apud Isidorum *in usu prandia non extare*, putantque prandium ibi ad esum referri debere, cum nullam utique comestionem respectet, sed vocabulum, quod est prandium prandii: quod & Pompejus Festus præcipue auctoritatis grammaticus probat in hæc verba, *Cœna dicebatur apud antiquos, quod nunc est prandium: Vesperna, quam nunc cœnam appellamus.* Cum illud itaque legis, o Attice, *in usu prandia non extare*, suppleas, *sed prandii loco cœnæ erant*, ut ait Festus, idque etiam prudenter intelligas, scilicet apud vetustissimos Prandii (a) verbum

versim ex Scriptoribus; præ cæteris illam commemorat Plaut. in Mostell. Act. IV. Sc. II, v. L.

Vide sis ne forte ad *Merendam* quopiam devorteris,
Atque ibi meliuscule, quam satis fuerit, biberis.....

Ad controversiam quod spectat est quo præsertim tempore *Merenda* primitus fuerit peracta: illam enim Festus pro Prandio usurpat, quod videlicet *medio die caperetur*, quum Nonius e contrario Auctor sit, *Merendam dici cibum, qui post meridiem daretur*, qua in re nec illud prætermittendum, quod affert Isidor. XX. II. his verbis: *Merenda est cibus, qui declinante die sumitur, & proxima cœnæ, unde & Antecœna a quibusdam vocatur: item Merendare, quasi meridie edere*: Quæ in hac re probanda sit magis Opinio viderint eruditi lectoras; nos id tantum subdimus, quod & Veterum innuit Scriptorum Auctoritas, nempe cibum fuisse *Merendam*, quo *Agricolarum*, *Opificum*, hominumque *Mercenariorum* pomeridiani labores opportune reficerentur, illudque legitur in Calpurn. Ecl. V. v. LX.

Verum ubi declivi jam nostra tepescere Sole
Incipiet, seræ quum venerit hora Merendæ.

Et in usu apud Pueros item fuisse *Merendam* una cum iis qui ære merevent docet Isidor. hæc habens XX. III. *Hinc & merenda, quod antiquitus Pueris & Operariis panis merent dabatur*; quæ omnia sane ad pomeridiani cibi conditionem referuntur; qui autem *Merendam* pro *Meridiano cibo*, & qui pro *cibo* sumunt *accepto post meridiem* in eo per nonnullos conciliari videntur, quod *Merenda* a primo sui exordio idem fuerit, ac Prandium, eademque postmodum ad illum cibum sit revocata, qui post meridiem, dabatur, ut nunc quoque moris est, quo plane sensu *Merenda*, vel *Antecœna*, vel *Proxima Cœnæ* a Panorm. hic exprimitur.

(a) Vetustissimis latinis Auctoribus eadem profecto Cœna, ac Prandium, id autem ex vocabulorum inopia factum, qua in re cibaria non tantum latini, verum & Græci non mediocriter visi sunt laborare, quibus ex Athen. I. X. δεῖπνον, communiter *Cœna*, per antiquissimam ætatem, & *Prandium* fuit, ut Opinio fert etiam Erotiani in Onomast. his verbis expressa: δόρπα, *vespertini temporis; ab hasta deponenda dicti; quod enim nos ἄριστον, hoc est Prandium appellamus, veteres δεῖπνον, idest Cœnam vocant*: Quo vero tempore ad istam verborum paupertatem cum Græcia, tum Latium devenerint non ita facile quisquam fuerit assecutus, id, quod spectat ad Latinos, dici potest verosimilius, ad latinitatem tunc Prandii vocem accessisse; cum illa primum a Græcia in Latii regiones migravit, qua quidem ætate Cœnæ nomen, quod Meridianum pridem fuerat, abiit consultius in Vespertinum; lautiore autem, & magnificentiore ap-

bum non extare, nam qui a Festo habiti sunt antiqui, a nobis vetustissimi rite vocabuntur, & habebuntur: nec Plato ipse bis in die comedere improbavit, sed bis in die saturum fieri. Vale.

ANTONIUS PANORMITA

FRANCISCO PICCININO S. P. D.

EPISTOLA SECUNDA.

Obtestatur ut ad se frequentius litteras mittat, monetque ad quos nullæ sint perscribendæ.

FAteor & apud te fili Piccinine me sæpiuscule detestatum, atque etiam execratum fuisse diuturnissimum, ac putidissimum tuum istud silentium, neque te filii, neque amici officium fecisse dixi. Pluribus te quidem litteris, pluribus te etiam nuntiis pulsavi, tuumque ostium perstitit occlusissimum, cum interim tuæ epistolæ circumferentur ad alios, & item a ios, Dii immortales, quales homines nempe impuros, & amicos fulgore, quique te ideo amare, & observare videantur, quo mihi ex tua consuetudine dolori sint, & admirationi, non te amant, utique non amant mali, sed me odio habent. Quid facerem ego, quæ mens, qui animus mihi fuerit, cum hæc terrarum crimina, hominum portenta circumblaterent, Piccininum esse ipsorum amicum, familiarem, benefactorem, Panormitam vero destitutum? Litteras ostentet ad se tuas, & frequentes, & officiosas, audiam ne hoc, & non dolebo? Videbo ne hoc, & non querar tuam taciturnitatem? Nam quid ego contra exhibeam signum benevolentiæ nostræ? Num litteras? Qui non annum, sed ætatem a te litteras non accipio: num salutationem? qui proxime ad Antonium scribens me nec nominas, nec salutas. Paterer tamen ego omnia quamquam verus amor non patitur moras: paterer inquam a te omnia, modo inimici mei non exul-

paratu usos in Cœna veteres, plurimorum auctoritate docemur, præcipue hæc libr. II. Carm. Od. XIV. habet Horatius:

> Absumet hæres Cæcuba dignior
> Servata centum clavibus, & mero
> Tinget pavimentum superbo
> Pontificum potiore Cœnis.

Et ad exquisitas Epulas in Cœna adhibitos fuisse amicos testis est Celsus Medicus lib. I. cap. III.; quum tamen brevissima, parcissimaque Prandia describantur, de quibus Senec. Epist. LXXXIV. *Panis deinde siccus*, ait, *& sine mensa Prandium, post quod non sunt lavandæ manus*. Quamobrem Pransuri, qui & lautiores erant, juxta plerosque, sine ulla ferculorum Pompa, vel splendore apparatus, mensæ privatæ accumbebant, quam aliqui consuetudinem immutaverunt, liberalius prandere soliti; Cœnæ propterea major mentio, quam Prandii, cujus antiquus pariter quoque usus fuerit, vetustissimi apposite dicuntur a Panorm.; qui, nec inter Antiquos, ullum Prandii verbum extare crediderint,

exultarent, aut mihi etiam non objicerent lentitudinem tuam. Quare mi fili suavissime te & moneo, & rogo, ut hoc tempore maxime, cum maxime tua opera, & auctoritate indigeo, contra malevolos detractores, me gratia, & favore non destituas. Quod enim animo facis, exterius etiam neque litteris, neque signis benevolentiæ me deseras; *amicus certus*, ut ait Ennius, *in re incerta cernitur*: quo facto & a me non mediocrem molestiam amovebis, & tibi magnam pietatis, atque constantiæ gloriam vendicabis. Vale.

ANTONIUS PANORMITA

PICCININO FILIO S. P. D.

EPISTOLA TERTIA.

De ejus indignatione nonnulla jocatur, de sua Oratiuncula quædam inquirit, jubetque valere Palatium.

SUbiratus tu quidem ad me scribis, atque ego subridens quæ scribis lego, ac gaudeo plurimum tua ista nova, & recenti indignatiuncula, ut quæ mox conflatura sit, aut rectius corroboratura ingentem charitatis, & benevolentiæ flammam. Equidem volui stultorum commercia effugeres, volui, ac vehementer volo, sit modo id possibile, stultorum plena sunt omnia, & quoquo te verteris, stultus præsto est, est igitur hoc ipsum quod tibi cupio difficile, fateor: sed virtutis comes est difficultas. Verum his missis, respondes te stultos non nosse, nec etiam amare, ergo me longe fortunatior es certe, qui stultis undique circumstipor, cum stultis ambulo, cum stultis convivo: hoc est, quod desiderabam tibi non evenire, quod ipse non possum effugere: tibi quam mihi magis bene esse concupisco: quid ni? Filius es, & ita propalam haberis: atqui quoniam à stultis vacas, plane es, ut Poeta ait,

..... Gallinæ filius albæ.....
Nos vilis Populus nati infelicibus ovis;

Et his, & superioribus illis tecum jocor. Vale, & quicquid a me effluit, a patre dictum puta, quicquid vero obscurum, & dubium tibi videtur, ridicularium est: aut si serium esse vis, id aliquando accipies a me vivo sermone. De oratiuncula mea nihil scribis, at ego

..... Vereor, naufragus omne fretum:

dum vero id taces, multa tibi erit obscuritas epistolarum. Iterum vale cum Palatio desiderio Panormitæ.

ANTONIUS PANORMITA

FRANCISCO PICCININO S. P. D.

EPISTOLA QUARTA.

Cremonæ litteras, itemque Cremonam laudat, agitque postea de Tulliolo sibi recuperando.

EMendavi pro meo judicio litteras nostræ suavitatis Cremonæ, non quod indigerent correctione, sobriæ quidem, & ornatæ erant, sed volui illi morem gerere etiam in ea re, in qua minime opus erat. Ea enim modestia vir est, ut vel ea quæ probe scit, nescire se arbitretur: ea etiam amicitia flagrat in me, ut sine me æternum fieri se non velit. Gaudeo itaque tali amico, gaudeo, & tam docto homine: tu si idem beare me vis, dato operam recuperandi mihi Tulliolum, id est animulam meam: nam Jacobus Mediolani est, quod cum feceris, ad glebam (a) me utique obligabis; si rogas a me quid te putem posse, mul-

(a) Quod hic ait Panorm. *ad glebam obligari* naturam habet Servitutis, ministeriumque Servorum in Ævo præsertim Medio, quod vocant: Plerique tunc Servi extitere, Servorumque munera complura: Servos inter numerati sunt & *Servi Glebæ*, qui alio item Vocabulo *Servi Massarii*, Massæ videlicet, seu prædiu addicti, de quibus lex Longob. libr. II. tit. XXXII. §.III. *Servus rusticanus*, inquit, *qui sub Massario est*, idemque *Servus de Masaro* vocatur, sive de *Massaritia* cujus meminit Charta Tirpimiri Ducis Croatiæ apud Jo: Lucium de Regno Dalmat. II. II. Servi quoque sunt *Glebæ* ii, qui alios inter Servos, vulgo *Beneficiarios* una cum Prædiis transierunt ad Beneficiarium, ipsique describuntur in lege allata Longobardorum libr. I. Tit IX. §.XXX.; & Agobard. Lugdunens. de Privileg. & Jure Sacerdotii cap. XI. *Habeo*, ait, *unum Clericionem, quem mibi nutrivi de Servis meis propriis, aut Beneficialibus, sive Pagensibus*; hoc autem Servorum genus ordine fuit, & conditione longe diversum ab illo, quod de Morib. German. Tacitus ita recenset: *Servis, non in nostrum morem, descriptis per familiam Ministeriis utuntur, suam quisque sedem, suas Penates regit; frumenti modum Dominus, aut Pecoris, aut Vestis, vel Colono injungit, & servus hactenus paret*; illorumque expositione Verborum *Servi* designantur, ex Justiniano, *Adscriptitii*, prædio scilicet, vel terræ cuipiam perpetuo colendæ adscripti ex lib LIV. §. ult. ff. *locati*, alibique, ea quippe conditione sunt homines isti, ut ex agrorum cultura movere se nequeant, & omnia bona dominis prædiorum acquirant; ex l. VI. XVIII. XXII. C. de Agricol. Censit. & Colon. *Conditionis* hi sunt *adscriptitiæ* ex l. ult. C. de Transact. iidemque nunc Originarii, modo Coloni, nonnumquam Agricolæ, libertatis quamdam velut imaginem servantes, ea tantum de caussa, qua durum herile jugum, ut alia Mancipia, non patiuntur; reapse vero inter Servos collocandi videntur, tum quod a colendo prædio numquam possunt recedere, tum quod ab heri dominio non se-

multa posse respondeo, & hoc ipsum posse, quod peto, & mihi nihil acceptius facere posse. Vale.

ANTONIUS PANORMITA FRANCISCO PICCININO S. P. D.

EPISTOLA QUINTA.

In Oleario commendando, laudandoque, operam impensioribus verbis insumit, salutatque Marcolinum, & Feruffinum.

JOannes Olearius egregius Causidicus, & amicus meus, Mecœnatis beneficentissimi opera, & suffragatione indiget, & in re quidem perhonesta: unice sane bonus vir est, & in hisce Ticinensibus velut phœnix. Magna ubique penuria Civium bonorum, hic maxime, ubi si quem hujusmodi civem offendas, album, ut ajunt, corvum offendes. Eo igitur majore gratia, & favore dignus est, quod unus ex infinita fere multitudine emerserit & bonus, & bonorum mihi crede apprime studiosus. Quare per tuam in me pietatem fili te rogo, meum hunc Olearium Mecœnati commenda, facile enim quam gratum facies bonum bono. Tu, si me amas, hominem pro tuo amore suscipias comiter, & urbane: cui si quid benefeceris operam non ludes, gratissimus, ac beneficentissimus est Olearius noster, atque hinc illi nomen Oleario est, quod oleo scatet, id est lenitate, suaviiate, urbanitate. Postremo ad hanc rem velim memineris amoris mei, & quod Plautus monet. (a)

Cum bonis sit beneficium, ea gratia gravida est bonis....

ex-

---

cus ac cæteri Servi, haud censentur immunes: Servitutis itaque rationem & ipsi subire credendi; *Quæ enim* scribitur in L. Cum Satis C. de Agricol. & Censit: *Differentia inter Servos, & Adscriptitios intelligatur, cum uterque in Domini sui potestate est positus, & possit Servum cum peculio manumittere, & adscriptitium cum terra dominio suo expellere?* Tributum postremo *Gleba* indicavit, hinc *Gleba Senatoria, Glebalis functio, pensio, præstatio*, certum porro Vectigal, quod pro possessionibus, ac postmodum Oblationis in modum Imperatori a Senatoribus olim pensitabatur, quod copiose præ cæteris explicavit Juretus ad Symmach. lib. IV. Epist. LXII.; idemque vocabatur *Follis*, quo Senatores, narrante Zosimo, ex Constantini M. instituto, *ad Glebam* quasi obligarentur auro oblaticio, quod pendebant ex censu, locupletiores quidem auri libris octo, mediocres quatuor, duabusque tenujores; siqui deinde præbitiones eorum implere non valerent, velut Senatorum tenuissimos, obligabat septem, ut ajunt, solidorum præstatio, sicuti loquuntur Leges IV. & XII. Cod. Theod. lib VI. Tit. II.; aliæque passim, quæ ad santentiam nostram accomodatæ, multum debere cuipiam demonstrans, qui *ad Glebam* usque *se obligat*.

(a) Sententia Plautina in Capteiv. Act.

expecto igitur scire a te quid feceris, & ab illo mihi gratias agi. Vale; & valeat humanissimus Marcolinus, & Ferussinus.

Ambo jacent, ambos erigat, oro, Deus,

ANTONIUS PANORMITA PICCININO FILIO S. P. D.

EPISTOLA SEXTA.

Se comissabundum excusat, illum de sua Oratiuncula Interrogat, curatque ut sincerum hominem a stultorum communione divellat.

BElle quidem Cremona noster me secum apud Pontifices fuisse comessatum,& debacchatum ait. Quid ni? & Catonem ebrium legis, & Homerum vides vinosum,& Ennius ille pater nunquam nisi potus ad arma prosiluit dicenda,ego neutique siccus ero cum Cremona madido, nec gravis unquam cum eodem scurra. Cum amicis iisdemque emendatis viris interdum insanire prudentia est. Cum Cambio, cum Scipione me interdum salti'are, quis prudens prohibeat? Tu fili si semel in anno insanis sanus es, nisi cum stultis commercium habeas, nam ne semel quidem insanire cum stultis licet, hactenus ut Cremonam, & me expurgarem jocatus sum. De oratiuncula mea ex te aliquid, quod juvet audire concupisco, verum non magis rationem desiderii, & amoris, quam veritatis habeas: hoc est si minus illa collibuerit, minus collibuisse significes volo, quo alias studeam placere, ac satiscumulatius facere.

II. Sc. II. v. CVIII.; quæ tamen communius in plerisque Codicib. sic exhibetur:

Quod bonis benefit beneficium,
gratia ea gravida est bonis.

non desunt autem,qui aliquantulum versum immutent, hinc scriptum in libris esse testatur Salmasius

Quod bonis benefit beneficium,
gratia ac gravida est bonis,

tametsi eidem Salmas. ex vestigiis antiquæ lectionis placeat magis in hunc modum scribere:

Quod bonis benefit, beneficium,
gratia, ac gravitas est bonis.,

idest, id gratum, ac grave est bonis, quod comperitur ex Pers. Act. IV. Sc. V. v. II.

...... SI QUID BONIS
BONI FIT. esse idem & grave & gratum solet.

Idest boni gratum, & grave habent, ubi *grave* ponitur pro pretioso,nam quæ ad pondus dantur, quo graviora, eo sunt pretii majoris, unde apud Symmachum, *in gravi dono habeo*; ii vero, quibus collatum beneficium grave est, gratumque, parem ut raferant gratiam, acrius contendunt: Hæc Salmasii est Opinio, ac explanatio, a qua dissensit Gronovius legens:

Quod beneficium bonis bene fit.
ea gratia gravida est bonis.

explicaturque: quod recte atque opportune bonis confertur beneficium, est gratia bonis plena, & sensu non longe diverso Panorm. Nost. Plautinum hic locum adducit, cujus in explicatione uberiora quærentem, ad studiosos Interpretes amandamus.

re. Duo sunt, quæ in te vehementer optarim; apertum esse, stultorum amicitiam haud magni facere, quorum primum in te probe compertum esse habeo, postremum non satis. Perge igitur, esto simplex, ac sincerus, quod facis, & quia facis maxime gaudeo: nihil est magis contrarium veræ amicitiæ, quam dissimilitudo morum. Vale.

ANTONIUS PANORMITA
PICCININO FILIO S. P. D.
EPISTOLA SEPTIMA.

Quid Antistes, quid ipse pro Principe Laudæ sit acturus exponit, ac vult Andreæ renuntiari, ad pugnam incendit contra Rhodianos, litterasque mittendas Laudam sibi depostulat.

IGitur cras, id est die lunæ Laudam, aut mavis Laudensem repeto, ac summo studio curabo Principi satisfacere: figurationes depingi, faciam manibus puris; neque eas certe tetigero, idque audacter adjurabitis, siquidem nostri Principis salus ut mea, est sic mihi maxime curæ, & cordi, tantum pictorem instruam, cætera pertractabit Antistes noster. Quamprimum vero Laudam applicuero, rescribam Principi, quid sibi vult draco ille suus: qua in re, nisi fallor, satisfaciam probe, idque subito renuntiabis Andreæ nostro: & posthac Laudam dirigito litteras apud Antistitem Deorum mel. Interim, quod facitis, pugnetis pro parte contra Rhodianos, genus hominum teterrimum. Postremo fac per Deos te oro fili, ut singulis diebus a te litteram recipiam, & meam hanc parviloquentiam feras æquo animo. Vale.

ANTONIUS PANORMITA
FRANCISCO PICCININO FILIO S. P. D.
EPISTOLA OCCTAVA.

Adnotat, quid in acceptis ab eo litteris sibi placuerit, dum Laudam redit Principi satisfacturus, Andreæ consilium exoptat, purgat se quod ad plurimos multas litteras, & ad illum versus non mittat.

UNas tantum a te litteras Papiæ accepi, neque anteriores illas adhuc olfeci. Quicquid ad figurationes scribis, mirifice placet, & ut pietati, ac studio Principis, sic diligentiæ tuæ habeo gratias, at Principi satisfaciam oportebit: verum est opus ut Laudam repetam pro pingendis imaginibus; qua de re Andream etiam consultes, ve-

 lim,

lim, & ad me secum per proprium nuntium sine mora rescribas. Igitur Principi satisfacturus sum, deinde Mecœnatis desiderio, postremo tibi litteris aureis. Interim, quod sæpe dico, feras æquo animo parviloquentiam meam, tum apud Cambium curiæ lumen excusatum me reddas. Mitterem ad te luculentissimos quosdam versus, ad me nuperrime adsignatos, nisi vererer ne perdantur, utpote e Papia venientes. Tu vale meum decus.

ANTONIUS PANORMITA

PICCININO MAGNO S. P. D.

EPISTOLA NONA.

Nuntiat quæ ad se venerint illius litteræ, eorumque, quæ in obsequium Principis excogitavit, complura ipsius amori committit.

Alteras tuas illas, quas nondum olfeceram, accepi, sensique jam unguenta, & suavitatem musarum: tum desiderium erga me tuum ex imo, ut ajunt, corde exosculatus. Curabo iterum Principi satiafacere, quod confido fore: atque utinam ne pictor ille Laudensis me detineat in mora, eoque pacto præveniant rivales: (a) quod velim, quoad liceret, animadverteres, nam studeo illos, vel celeritate superare; sed me angit, quod Laudæ non extat pictor, præter eum quidem, & unum, & luscum, & senem, & difficilem. Ibo cras igitur Laudam, ut hoc mane ad te verbosius scripsi. Cætera committo amori, & diligentiæ tuæ. Ego sexcentas quidem figurationes animo habeo. Vale meum lac.

AN-

(a) *Rivales* æquo latinitatis usu a *Rivo* sunt dicti, iidemque ex Acrone in Horat. Art. Poet. quibus in agris quum Rivus communis foret, propter eum non raro discrepabant, cæterum eos Non. interpretatur, *quasi in unum amorem derivantes*; Verum sub Eunuchi Terent. finem Donatus expressius; *Rivales*, ait, *dicuntur æmuli de mulieribus, facta translatione nominis a feris Bestiis, quæ sitientes cum ex eodem Rivulo haustum petunt, in prælium contra se invicem concitantur*; Probabilius tamen *Rivales* esse videntur Æmuli, ejusdem nempe Mulieris amore capti, quod suadet illud Plautinum in Stich. Act. III. Sc. I. v. XXX.

Eadem est Amica ambobus, *Rivales* sumus,

Duciturque Sermonis proprietas ex Agricolis, inter quos ut dissidia gignit ejusdem Rivi, & Aquæ ductus communicatio, sic eadem Amasia plures ad jurgia concitat Amatores: Eamdem hic sequutus allegoriam Panorm. Nost. *Rivales* intelligit, qui eadem de re sint ad contendendum parati.

ANTONIUS PANORMITA
PICCININO FILIO S. P. D.
EPISTOLA DECIMA.

Se Cambii memorem esse pluribus declarat.

A Michaele nostri hujus Pontificis nepote homine, ut nosti, perhumano, & tuo, accepi tuo nomine, me esse immemorem magni Cambii, & ingratum, & fortunas hominis potius quam virtutem, aut amicitiam sequentem; non est ita, non est, nam quod ego struo, nisi sis Oedipus, divinare non potes, amavi jam Cambium, id & tu scis, & vere omnes intelligunt: amo nunc Cambium aliquanto etiam ardentius, id pace tua dixerim, neque tu scis, neque alii intelligunt. Cambius hoc ipsum unus scit, & intelligit: mecum est Cambius, non est mortuus, non est, vivit apud me Cambius, loquitur, suaviter philosophatur: item lectitat, pransitat, dormit, ego velut Numa, ille Egeria. Tu Vale.

ANTONIUS PANORMITA
FRANCISCO PICCININO S. P. D.
EPISTOLA VNDECIMA.

Celebrat Cremonam honestissimum in convivando, laudatoremque Francisci, cujus fidem obsecrat, ut sibi a Zambiccario libellum rursus acquirat.

Satis abunde tecum jocatus sum superioribus epistolis, satis superque & in Cremonam constantissimum invectus sum, nunc illud Horatianum servandum. *Lusisti satis, edisti satis, tempus abire tibi est.* Joco vel maxime modus dandus, ne scurram agamus: qui pauxillum jocatur, urbanus est, qui sæpe, & multum scurra, qui nunquam rusticus. Atqui cernere erat nostri Cremonæ patientiam, quamvis enim contumelia provocatus, per jocum dicta sicut erant, accepit omnia, nihil omnino commotus: traduxit etenim vitam non per potiones, ut jocabar, sed lectiones, ac disputationes: omnis sermo de honestate, de patientia, de litteris fuit: de te multa quidem loquuti sumus, aderas, quamquam absens, & lectionibus, & disputationibus nostris, tua fides, tua amicitia, tua stabilitas plurimum commendata est. Quæ omnia malo a Cremona ipso accipias vivo sermone, quam me adsentatorem putes, dum te meritissime laudo. Quod reliqui est, item intelliges aviditatem meam recuperandi cujusdam libelli a Zambiccario no-

nostro, qui centies mihi reddere pollicitus, vereor ne propositum mutaverit, dum differt restituere: tu autem si id feceris, quod unus facere potes, ut codicillum mihi restituat, immortales tibi sum gratias habiturus, & prædicaturus quasi quendam beneficiorum Deum: potes multa, facis multa, sed nihil ego a te unquam majore cum desiderio expectavi, quam nunc codicillum hunc animulam meam. Vale.

ANTONIUS PANORMITA ANDREÆ PALATIO S. P. D.

EPISTOLA DUODECIMA.

Illum Cambio amicum cariorem habet, laudatque cumulatissime.

AUdio te perquam jucundum esse Cambio meo, proinde vel ea sola ratione cogor te prolixe diligere; viri quidem illius judicium tanti facio, ut quos ille probet, ego venerer, quos diligat, ego deamem, quosve observet, ego religiosissime colam, acre nimirum, & singulare judicium est Cambio, ut qui juxta secum non sentit, is nihil sentiat oportebit. Alioqui sunt in te quoque artes ingenuæ, mores egregii, studia denique humanitatis, atque omnia insigniter. Quas ob res etiam, qui erga te non incenditur, barbarus utique ferreusque est. Faciunt hæc, atque alia hujuscemodi, ut te, licet absentem, & quem nunquam viderim, unice diligam, & abs te redamari quam maxime desiderem; quod si concesseris, ingenti me profecto voluptate affeceris: ea siquidem voluptas, quæ ex amore proficiscitur, una est & præ aliis jucunda. Qua in re ne me fraudes te peto, & si pateris, oro mi jucundissime Andrea. Bene vale, ex Cambio viro primario intelliges desideria, & vota nostra, quæ tibi iterum atque iterum commendo, emes me medius fidius (a) hoc tuo beneficio, meque uti, & frui poteris pro tuo arbitratu.

AN-

(a) Non alio quam latinitatis usu a religiosissimo Panorm. ad veritatem firmandam pronunciatur *Medius, Fidius*, idem priscis. ac *Sangus, Sancus, & Sabus*, Sabinorum pridem Deus, cultus apud Reatinos, penes quos Dionys. Halicarnas. narrante natus quoque olim prædicabatur: Præses ille, ac tutelaris fidei fuit, ac per quod tempus ejus ædes in Urbe locata, ac dedicata sit, refert ipse Dionys. libr. IX; Per *Medium Fidium* solitum jurari, tutelamque juris jurandi eidem *Divo Fidio* commissam docent Auctores passim, Inscriptionesque, compertumque etiam inde sit illum Fidium olim fuisse, qui & *Hercules Sanctus* est a Sabinis appellatus, cujus honorem, & ritus, cæteros ut missos faciamus, describit Ovid. in Fast. VI. CCXIII.

Quærebam, Nonas, Sancto Fidione referrem,
An tibi Semipater, tunc mihi Sanctus ait:
Cuicunque ex illis dederis, ego munus habebo,
Nomina terna fero, sic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
InqueQuirinali constituere jugo.

ANTONIUS PANORMITA
ANDREÆ PALATIO S. P. D.
EPISTOLA DECIMATERTIA.

De acceptis beneficiis gratias habet, Masinum, ejusque Fratres opera, ac voluntate juvare contendit.

Accepi nuper a Cremona nostro quantopere me quotidie augeas, & honestes apud Cœsarem, & Mecœnatem, quod quidem haud novum, sed perjucundum mihi extitit, ea enim natura es, & ingenio præditus, ut semper benefacere studeas, iis præsertim, quos aut doctrina, aut bonitate præstare arbitraris: facis profecto quod debes, nihil enim virtutis proprium magis est, quam viris potissimum bonis prodesse: neque convenientius naturæ tuæ, quam benignitas, atque humanitas, sed utinam ego talis vir sim, q ualem me existimas, utque alii pariter me existiment, contendis, & eniteris, equidem nihil addubito tua hæc de me singularis opinio magna ex parte, & te, & tibi credentes frustrabitur: sed eo me consolor, quod me saltem gratum, & memorem virum intelliges, ut si præstantia non respondeam, me tamen tibi, vel ipsius animæ debitorem perpetuo confitear, & decantem. Emisti me ergo tuis beneficiis, quo si posthac non uteris, & abuteris, erit non quidem modestiæ, sed insignis cujusdam potius avaritiæ, ut intelligas nihil mihi voluptuosius evenire posse, quam si me familiarius, & liberius uti cœperis. Quod reliqui est accipies a Masino fratre suavissimo, quem si studiis hisce nostris addixeris, tantum illi conferam, quantum summa mea erga te, & tuos omnes charitas, & obligatio exigit: & summatim nisi mea opera, meisque facultatibus uteris, in fratrum tuorum præsertim ornamentis, facies sane rem impiam, mihique admodum gravem, & molestam. Vale mi Palati dulcissime.

ANTONIUS PANORMITA
ANDREÆ PALATIO S. P. D.
EPISTOLA DECIMAQUARTA.

Hortatur, ut redamet Benedictum Forlivatem, a quo ille, ac ejus Fratres plurimum diliguntur.

Cum euntem, & redeuntem a Sigismundo Cœsare Benedictum Forlivatem visitassem hic Ticini, vix primis illis salutatoriis verbis absolutis, sermo de te statim incidit amplus quidem, atque magnificus, mirifice enim de te, tuaque industria sentit, & judicat, mirifice

prædicat, homo eſt, ut mea fert opinio, unus omnium memor, & gratus, & in quem beneficia nulla perdantur, a te præſertim, a quo & ſi immortalia beneficia accepiſſe autumet, & quibus haud quaquam referre gratias queat, tamen ea verborum magnificentia, & auctoritate te exornat, ut majores a viro grato deſiderari neque debeant, neque poſſint. Qua ex re tibi plurimum gratulor, quippe qui talem tuæ virtutis buccinatorem, & prædicatorem inveneris: amat te tantum præterea, quantum demiratur, nec me in amando fallere poteſt homo omnium puriſſimus, ac luculentiſſimus: in proverbio eſt, *ut tuſſis ſic nec amor occultari poteſt*. Dii boni qua ille affectione de te loquitur, qua pietate deoſculatus eſt fraterculos tuos, qua tandem aviditate ſitit Abbatem Maſinum, qua gratia, quo ſtudio, qua charitate complectitur tuos omnes? Jam vides quid a te viciſſim, quid a nobis omnibus faciundum ſit, ſi in amore vinci nolumus: qua in re ſuperari maxime turpe eſt: igitur hortatu meo hominem, quod facis, honeſtabis, & augebis, tuique hanc ſupellectilem auream conſervabis, & continebis æternum. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

ANDREÆ PALATIO S. P. D.

EPISTOLA DECIMAQUINTA.

Multis, & gravibus argumentis Alexandri Fratris morte conturbatum ſolatur.

SI mihi aditus ad te pateret, & noſtri Principis interdictum ita permitteret, non litteris ego tecum egiſſem, ſed advolaſſem nimirum, ac coram fuiſſem te ſolatus: non proinde quia ad dolorem admodum medicina indigeas, forti enim, & armato animo eſſe conſuevisti, ſed quo ipſe pietatis officium, & charitatis munus expleſſem. Sed veter licet ad te ire, hoc certe nuſquam prohibebor, animi ſententiam litteris commendare. Heri itaque nobis adlatum eſt acerbiſſimum, & infelix nuntium de migratione (*a*) Alexandri fratris, quo primum quidem indoluimus, ac quanquam inter Philoſophos, & nati ſumus, & quotidie obverſamur, non potuimus non commoveri morte ornatiſſimi, ac conſumatiſſimi adoleſcentis, mox vero ut rationis, & ſapientiæ ar-

(*a*) *Migrationem*, quaſi mortem hic Panorm. uſurpavit, qua in re uberius Cic. Tuſcul. I. cap. XLI. *Sin*, ait, *vera ſunt quæ dicuntur, mortem eſſe migrationem in eas Oras, quas, qui vita exceſſerunt, incolunt, id multo jam beatius eſt*. Migrationis autem vocabulum a *Migrare* ductum eſt, quo ſignificatur *mutare domicilium*, illudque quum præ cæteris mutent quicumque moriuntur, ideo *migrare de vita* juſte dicuntur Auctore præſertim eodem Cicer. I. de Fin ſcribente: *Non dubitat ſi ita melius ſit migrare de vita*, & mors appellatur æquo jure *Migratio*.

arma, atque antidota succurrerunt, levati sumus: & ea sunt. Principio sic omnes natura creati sumus, ut mortalitati debeamur, neque personarum delectus ullus, neque discretio est; moriuntur divites, moriuntur tenues: occidunt pii, occidunt impii; deficiunt pueri, deficiunt senes: &, ut Satyricus noster inquit,

Ossa vides Regum vacuis exuta medullis.

Itaque Dei, & naturæ instituto nascimur, ut moriamur, ut cum tale aliquid obtigerit, piaculare sit, non æquo animo ferre, quod Deo placitum est, & naturæ. Quod & Satyricus alter eleganter ait,

Levius fit patientia quicquid corrigere est nefas.

Deinde cum hujus vitæ perpetuos labores, fluctus, atque pericula repeterem, infinita quidem & corporis, & animæ, satius, tutiusque existimabam hominem mori, & Deum Patrem repetere, *dissolvi, & esse cum Christo*, quam hic vivere, ubi vita mors certa foret, & æterna. Sane bonis, & emendatis hominibus, præsertim Christianis, nihil carius, nihil optabilius esse potest, aut esse debet, quam hisce exuviis, ut ita dicam, carcerariis (*a*) exui, eoque migrare, ubi beati ævo fruuntur sempiterno. Ea ratione credo adductus Empedocles Agrigentinus pater ille Philosophorum, & decus, Aetnam insiluit, fortiter quidem, & sapienter, ut & Philosopho, & Siculo par fuit, hoc enim ipsum, quod reliqui fere omnes mori existimant, ille vivere est arbitratus. Atqui nobis non gentibus, sed Christianis id quidem non licet, mortem namque nobis consciire divinæ legis præcepto prohibemur, si mors autem accidat, seque ultro offerat, suscipienda alacriter est, atque amplectenda, quasi Dei immortalis beatissimum donum. Hinc Pericles Atheniensis cum clarissimis duobus filiis esset orbatus, non modo vultum, aut orationem, quam per id tempus agebat, non commutavit, sed ne coronam quidem capite deposuit. Præterea quis mihi affirmaverit nostri hujus adolescentis vitam diuturniorem non propinquorum, & necessariorum exitio futuram? Erat in faucibus hostium, erat præses exigui oppidi, & immuniti: poterat ergo vel facile expugnari oppidum, & adduci ipse captivus. Pone eum captum, quem utique omnes admirantur esse non captum, non tunc & Palatianæ domus calamitas subsequebatur, & amicorum omnium desolatio captivitate unius? Scite admodum Epithetus Philosophus: *Non omnimodo Diis exosos esse*, inquit, *qui hac vita cum ærumnarum varietate luctantur: sed esse arcanas causas, ad quas paucorum potuit pervenire curiositas.* Ego mihi sæpe persuasi,

(*a*) *Exuvias Carcerarias* nominavit hic Panorm., denotaturus animum, qui intra Corporeæ molis vincula, velut in quodam carcere moleste detinetur; id autem nomen adjectivum *Carcerarium* illis qui sunt in latinitate versati, nec obscurum est, nec ignotum; usus est ea voce Plaut. in Capteiv. Act. I. Sc. II. v. XXVI. hæc habens:

Ægre est mihi hunc facere quæstum *Carcerarium*
Propter sui gnati miseriam miserum Senem.

ubi recte ex Interpretum sententia reddit Lambinus *Quæstum Carcerarium*, quæstum ex Captivis in carcerem conjectis.

suasi, quicquid bonis in vita accideret, quanquam id triste, adversumque videretur esse lucrifaciendum, atque eum prorsus infelicem censendum, qui semper felix habitus esset in vita. Postremo virtus ipsa, ac bonitas Alexandri obversabatur oculis meis, & gravitas in adolescente, qua posset etiam senes provocare, & vincere, religio in Deum, pietas in parentes, studium in fratres, justitia in cunctos. Quæ cum ipse meminissem, more Xenophontis Socratici majorem ex virtute adolescentis voluptatem, quam ex obitu dolorem percipiebam: ejus enim virtutum memoria, quamvis ipse decesserit, suavissime fruor, atque delector; sola enim virtus non interit, quæ & facit, ut nunc, semperque vivat apud me suavissimus Alexander. His ego, & similibus Andrea fili rationibus, atque argumentis me ipse consolatus, institui & Palatiolum velle delinire; is enim accepta desideratissimi fratris morte flevit ad horam, mox libros poposcit Tullii, & Basilii, quorum lectione, & exemplis ipse erigeretur. Tum ego opurtunitatem nactus, Heus inquam Palatiole, quo pacto fers optimi fratris casum? num Philosophorum fortassis oblitus es? num fortissimorum hominum, quos cum mortem filiorum, tum patriæ eversionem, tum siquid etiam tristius fieri potest, magno, atque robusto animo tolerasse, crebro lectitamus? tum ille, graviter, fateor, primo nuntium audivi, mox vero ut in mentem venit, quamplurimos esse homines, qui nullos fratres habuissent, mihi tres adhuc reliquos esse florentes omnes, & ornatos aliquanto sum refocillatus, Deoque laudes, & gratias de superstitibus habeo potius, quam ut defunctum jam amplius lugens, ingratus, & iniquus videar erga Deum. Habes nunc quibus ego, & egregius puer Iphicleus Palatiolus argumentis a mœrore, atque omni propemodum afflictione liberati sumus, quod tibi animo cognitum ea saltem ratione voluimus, quod ex nostra animi tolerantia non mediocre te refrigerium esse capturum ariolamur. Cura ut valeas, atque illud te ne fugiat ab Aristotele sapienter dictum: *Principum ministros alacres, & jucundos esse debere*. Ex Stratella.

ANTONIUS PANORMITA.

ANDREÆ PALATIO S. P. D.

EPISTOLA DECIMASEXTA.

Ejus litteris, vel brevissimis, & concisis, mirifice delectatur.

Iterum a te mihi litteræ delatæ sunt, hæque breves, & Laconum ritu circumcisæ, refertæ nihilominus & pondere, & efficacia. Lacones enim, quos tum Lacedæmones, tum Spartanos appellamus, hac præcisi sermonis brevitate admodum oblectantur, & succinctum hunc dicendi modum quasi peculiarem sibi vendicant. *Lacedæmonii* *Phi-*

Philippo, Dionysius Corinthi est, nec plura, hujusmodi enim sermo vehementius sauciare animos auditoris videtur, quam si uberiore verborum circumitu dixissent. *Quanquam Dionysius late, atque ample jampridem dominatum obtinuerit, ut tu nunc in præsentia, tamen privatus, & extorris, amisso regno Corinthi domicilium habet*. Tuæ itaque id genus epistolæ non proinde mihi minus gratæ, & jucundæ sunt, quia breves, & circumcisæ, & Laconenses potius quam Parmenses, cum sint ædem acres, & ut ita dixerim, succi plenæ: quibus inter legendum mirifice inflammer erga te, tuosque mores sane liberales, vereque Palatinos. Quid enim efficacius, quidve studiosius scribere potuisti, licet breviter, quam me divino Principi gratiorem in dies magis, magisque fieri: quam exorasse te litteras undequaque meam laudem, & amplitudinem concernentes: (a) quam denique te effecturum polliceri, ne vel ipsa utilitas, aut tuo more tranquillitas animi, honori desit? Id & si tu Laconum breviloquentia exprimis, perjucundum tamen mihi fit, eoque me movet magis, quo brevius dictum, vel si posthac libitum sit dicas in hunc modum. *Ille illi salutem; laus & gratia tibi parta est apud Principem, utilitatem sperato mea opera*. Vale, vel etiam: brevius dummodo scribas. *Ille illi, utilitas etiam impetrata est, nec plura*. Quid enim præcisius scribi, aut cogitari potest? erunt tamen hæ litteræ mihi multo suaviores, felicioresque, quam meæ tibi, quanquam sint longiusculæ, ab amicis enim, quod sæpe dico, benevolentiam potius, quam eloquentiam desidero, licet ut ante dixi tua lectitans, vehementissime concitari me sentio, utique magnæ, & exquisitæ cujusdam eloquentiæ conjectura. Vale.



(a) *Concernentes*, quasi *Circumspicientes*, sive *Circumspectantes* hic apponitur derivatum a verbo *Concerno*, quod afferunt Lexicogr., firmantque Auctoritate Cicer. de Petitit. Consul. cap. V., ubi hæc habentur: *Quod si satis grati homines essent, hæc tibi omnia parata esse debebant, sicuti parata esse concerno*; Dubiæ tamen, incertæque fidei τὸ *Concerno*, meliores libri immutant, leguntque *Confido*; Ibi vero *Concerno* idem propemodum ac *video*, quod a Nostr. Auct. hic translate solum videtur indicari. *Concerno* etiam legitur tantum nulla adhibita animadversione in Vet. Gloss,

ANTONIUS PANORMITA

ANDREÆ PALATIO S. P. D.

EPISTOLA DECIMASEPTIMA.

Inter Principis familiares numerari ſe gaudet, qua de re deprecatur, ut ad ſuos aliquid ſcribat, illos Alphonſo Regi commendaturus.

QUo magis, ac magis illam divini noſtri Principis reſponſionem animo repeto, eo magis, ac magis ipſius liberalitatem, ac beneficentiam admirari cogor: & ſperare deſideriis meis. Facit ille profecto rem ſe dignam, qui complectatur cum charitate, & benignitate incredibili ſervos, aut quos mavult appellari familiares, & devotos Excellentiæ (*a*) ſuæ, eoſque proſequatur laudibus, & benemeritis. Hoc ſane Principis officium eſt, dignoſcere in primis benevolentes ſui: illoſque exornare ſimul, & augere, atque eo pacto id eſt gratia, & mutua benevolentia ſibi reliquorum, vel exterorum animos aucupari. Quam ſcite quidam interrogatùs, *quid eſt Regem eſſe?* diligi, & obſervari, inquit. Ego quidem in iis eſſe debeo, & ſum mehercle, qui pro Principis ſtudio, & pietate immortales ei landes, & gratias habeam, ſimque apud gentes omnes perpetuo decantaturus, in devotos ejus nominis gratitudinem, (*b*) in bonos obſervantiam, in peregrinos charitatem, in omnes humanitatem, in me ſimul hæc omnia, & plura etiam officia: ex quo jam deleo ex animo Siciliam, Panormum, Bononiam, parentes, fratres, reliquoſque ferme innumerabiles propinquos, & affines meos. Ipſi perpetuo inſerviam, ipſi vivam, ipſi poeter, ipſi denique quicquid in me eſt aut ingenii, aut indu-

---

(*a*) *Excellentiæ* titulum hic reponit Panorm. ex conſuetudine Medii Ævi, quod vocant, cum hoc nomine Principes vocati ſunt, atque adeo Imperatores! Sic Anaſtaſ. Bibl. in Hadriano PP. de Carolo M. ait, *Eoſque recipiens ejus Excellentia, denuo repedavit Papiam*, ac rurſus ibidem: *Excellentiſſimus, ac benigniſſimus Carolus Rex, Excellentiſſima Hildegarda Regina*: In Epiſt. V. Nicolai PP. ad Michaelem Imper. Conſtantinopol. legitur; *Veſtra Auguſtalis Excellentia*, Idemque in Epiſt. LV., quod & alii plerique multis in locis; Hac autem in re conſulendus præ cæteris eſt Bivarius, qui plura obſervavit in Comment. ad Pſeudomaximi Chron. ad nos quod ſpectat, *Excellentia* videtur olim Principibus, & Imperatoribus attributa, quod longe aliis hominibus potentia excellerent, ac dignitate.

(*b*) *Gratitudinem* contra latinitatis uſum hic ſcripſit Panorm.; Exulavit hoc ſemper a Latio vocabulum, & pro *Gratitudine* uſurpaverunt latini *animum gratum*; ſiquando vero *Gratitudo* latinis adſcribitur, id uſuvenire ſolet, cum ab animo ad culinam transfertur, & *Gratitudine* ſignificatur *Gratus ſapor* Epularum, ut lib. III. cap. IV. Apic. Culinarius Auctor declarat.

dustriæ, aut fidei, ipsi inquam uni dedicem, devoveam, tradam necesse est: & quod Horatius ait,

Secum vivere amem, secum obeam libens.

Quod reliquum est, studiis illis incumbam, ac toto quidem pectore, quibus ut darem operam jussu ejus mihi renuntiasti. Quam in rem velim intelligat, me jam septem, & plures annos intendisse, tum modestiæ, & existimationi non minus studebo, nec ingenio solum, sed morum sobrietate curabo, ut sua dignus veniam opinione, & observantia. Interim curato tu, ut evestigio describantur, emittanturque mihi litteræ familiaritatis, quas, ut humanissimus Princeps est, ita te internuntio mihi perhumaniter pollicitus est, prospiciens ea etiam ex parte laudi scilicet, & gloriæ meæ, necnon meorum gaudio, ac prope felicitati. Mihi quidem nihil laudabilius, nihil præclarius evenire potest, quam si omnes intelligant, me non familiarem, sed famulum esse hujus tam excelsi, tamque dignissimi Principis, meis vero nihil æque jucundius, aut optabilius futurum est scio, quam si quid tale de me sentiant aliquando. Deinde erunt exarandæ litteræ propinquis ipsis, & necessariis meis, ut accipiant vel ab ipsomet Principe, me designatum esse familiarem domesticum ejus excellentiæ, idque eos ferre litteris exhortetur æquo tranquillo animo, licet ob eam rem sponte, & immortaliter gavisuri sint, certo scio. Consanguinei ipsi mei Deorum benignitate sunt prope innumerabiles, sed ut res deducatur in angustum, scribat tantum Juliano, & Joanni dulcissimis fratribus germanis meis, apud Panormum eosdem commendet ipsi Alphonso Aragonum, & Siciliæ Regi sapientissimo, hoc est, quod humanissimus Princeps ultro mihi, & liberaliter offert, quódque & ego annuo, & suscipio libens. Tuæ partes sunt procurare, ut statim litteræ ejusmodi mittantur, & Principi me iterum dedere. Vale.

Non me germani, patriæ nec dulcis amores
Sollicitant: me solus habes, mea pectora versas,
Solus, & ante oculos, noctuque dieque pererras.

ANTONIUS PANORMITA.

ANDREÆ PALATIO S. P. D.

EPISTOLA DECIMAOCTAVA.

Obliviosum Amicum reprehendit, ab illo, & Principe de litteris Alexandri, & Cœsaris interpellatus consilio respondet, Augustæ instante adventu poscit ut suis rebus prospiciatur.

Accepi tandem a te VI. Cal. Martias epistolam, cum non solum admirarer, ut arbitraris, sed etiam execrarer tuam istam, aut oblivionem, aut taciturnitatem: nam quod mihi silentium suadet, id

eſt ſcilicet, ne videar aut petendo moleſtus, aut cupiendo ambitioſus. Cæterum quod a me petis epiſtolas, ſi quas aut Cœſaris, aut Alexandri habeam, poſſum in ea re tibi, & Principi conſilio potius, quam auxilio ſatisfacere, ſiquidem apud me minime ſunt, neque unde illas, ſi quæ extant, extorquere poſſem ſatis adhuc intelligo, niſi a Nicolao Nicoli ſolertiſsimo antiquitatis, ac rerum hujuſmodi ſcrutatore. Ego vero hortor, ac moneo Principem noſtrum, ut commentariis potius ipſius Julii Cœſaris, quam perpaucis ejuſdem epiſtolis oblectetur, ne plus in quærendo, quam in legendo temporis conteratur. Rurſum extant geſta, ac dicta Alexandri, a Q. Curtio luculenter, atque feliciter ſcripta: quæ ſi ſemel tantum deguſtaverit Princeps, nihil ſuavius, nihil optabilius, nihil denique Principum lectione dignius ſeſe legiſſe, vel audiviſſe fatebitur, ſed *Sus Minervam* (a) ego inquam epiſtolas, quas tantopere concupiſcis, non habeo, quod pro tuo in Principem deſiderio, & in te meo graviter, & moleſte fero. Quod reliquum eſt, puto tibi jam innotuiſſe Auguſtam neceſſarium meum non in dies, ſed in horas adventurum ad me Papiam, quo me ſecum in patriam revehat, quod ego jamdudum veritus, & vaticinatus ſum: quo fit, ut ni ſtatim proſpexeris rebus meis, quæ & tuæ ſunt, ſis omnino me cariturus: verum hæc a Cambio prolixius accipies. Vale.

ANTONIUS PANORMITA
GUASCO SUO S. P. D.

EPISTOLA DECIMANONA.

Objectam lentitudinis, ingratique animi notam a ſe repellit.

QUod binis tuis litteris nihil reſpondeo quereris, meque, & lentitudinis, & ingratitudinis (b) accuſas, neutrum ſane in me vi-

(a) Sus pro homine, qui rerum foret omnium, ſcientiarumque penitus ignarus dictus a priſcis fuit. Minerva vero diſciplinarum, ſingularumque facultatum quædam veluti parens: hinc Suem cum Minerva conferre idem propemodum eſt ac cum indoctis doctos homines comparare, id enim latinum proverbium ſonat, ſeu *Sus Minervam*, ut Cic. Famil. IX. Epiſt. XVIII. *Veni igitur*, ait, *& diſce jam προλεγομένας, quas quæris, etſi Sus Minervam*, ſeu *Sus Minervam docet*, ut ipſe Cic. I. Academ. *Nam etſi*, inquit, *non Sus Minervam, ut ajunt, tamen inepte quiſque Minervam docet*, & ad rem noſtram magis *Sus Minervam* hominem indoctum notat, qui cum docere conetur, a quo ipſe ſit magis docendus, eaque tritiſſima latinitatis formula, Amicum, cui ſuam aperit mentem, ſe multo doctiorem oſtendit.

(b) *Ingratitudinis* vocabulo ſatis bene non utitur Panorm. Noct., quod rectæ latinitati reſpondere non poteſt; Illud expungunt probatiſſimi Auctores, penes quos pro *Ingratitudine* invaluit ſemper *Ingrati animi vitium*, illudque vocatum ab iis eſt *Ingratitudo* duntaxat, qui aureæ ætati, qua par erat, diligentia non adhæſerunt.

vitium : non enim lentus in ſcribendo appellabitur, cui ſcribendi poteſtas obnegata eſt : neque ingratus is erit, qui beneficii memor eſt, & in amore non vincitur. Duo ſunt, quæ velim tibi perſuadeas, a me unice te unum ex omnibus diligi, & in tuam rem neque fuiſſe, neque fore negligentem, ſi quod deſideras, fieri nequit, quid me inſimulas? At ſaltem ſcribas, neque id datur, & tamen ſcribo: nam qui amat, neminem omnino veretur. Vale meum deſiderium.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO THEOLOGO S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMA.

Amicitiam cum illo redintegrat, ab invectivis temperaturus; itemque illum Feruffini, Catoniſque verbis ſalutat.

Litteras a te proxime accepi, quibus ut una conveniamus hortatis gratia benevolentiæ inter nos reintegrandæ. Id ego, & laudo, & juxta tecum concupiſco, ſum profecto qui cuicumque & tibi maxime gratificari velim: neque idipſum, quod in præſentia efflagitas, per me ſtetit ante hac, quo minus fieret, ut tu noſti. Rurſum petis, ut interim ab invectivis abſtineam, idque etiam tibi aſſentior, & calamum frango, tu modo perſtes in propoſito. Ego quidem a Diis immortalibus nihil vehementius peto, quam pacem, atque animi tranquillitatem. A Feruffino, & Catone Juriſconſultis ſalve, & Vale.

ANTONIUS PANORMITA

BARTHOLOMÆO SENENSI

Viro ſuaviſſimo S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAPRIMA.

Primo de libris a Gubernatore ſibi commodato impetrandis, de Henrico ſubinde, ac de ſuo in Bartholomæum Amore poſtremo loquitur.

Litteris his, quas domino Gubernatori mittimus, ab eo commodato petimus ad breve tempus eos legum textus, quos Mediolani habet. Infortiatum, Digeſtum vetus, ac novum, & ne ſcio an Codicem prætterea habeat: tuum officium ſit curare, illos ex continenti habeam, ſtatimque mihi mentem Præſulis renuntiare. Qua in re ſi quid ſuaſione opus eſt. Tullius eſto. Cum Henrico tuo viro jucundiſſi-

mo societatem scholasticam coivi. Te diligit, & quidem ardentissime: tuos amores narrat, tuas ægritudines: quod, quia in præsentia liber, & sanus es, voluptuosissime audio. Cura dein te molliter Bartholomæe mi dulcissime, etsi quid in rem meam adstruxeris, mihi significato. Vale meum Pascha, (a) e me item valeat tota Præsulis humanissima domus, & familia.

ANTONIUS PANORMITA.

BARTHOLOMÆO PONTIFICI S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMASECUNDA.

Ticini, ubi est, narrat, quid agat, & quos offenderit; De Textibus legum, ejusque amore solieitus est.

PApiam, sive ut mavis Ticinum Diis gratia contigimus sortes, & incolumes: ubi gentium moram producam, quoad tibi, vel Diis collibitum fuerit. Litteras tuas reddidi: exceptus sum comiter tum a Gaspare tuo, tum a Ferussino clarissimo Jurisconsulto: tu vero siquid interim in me augendum, atque honestandum adstruxeris, crede mihi, mihi inquam crede, haud minus gloriæ tuæ prospicies, quam utilitati meæ. Ego vero juri civili interim operam do, & si studiis his meis con-

(a) *Meum Pascha*, quasi *Meum gaudium* hic dixit Panorm.; Paschate magna profecto exultatio Judæis olim est indicta, quod videlicet jucundo nomine denotaretur transitus Angeli, cum Ægyptiorum cæsis ab illo turbis, illitas sanguine Hebræorum domos innoxius pertransiit; cujus quidem Beneficii memoriæ quomodo ab ipsis fuerit Hebræis consulendum Divinæ innuunt Scripturæ, cum Paschatis ritus, tempus, ac Cæremonias exhibent, præsertim in Exod. libr., ac singula declarant Jos. de Bell. Jud.; Aben-Ezra, cæterique Rabbinorum peritissimi, quibus & sunt addendi Christiani Patres, novissimique Divinorum librorum Interpretes; Pascha Judæis lætitia perfusis ad Christianos deinde translatum est, cujus & primam Institutionem Christo Servatori acceptam quomodo Apostoli recolendam tradiderint, quæ dies illi sacra fuerit, qui mores ad Pascha accesserint, docet Theophilus Cæsar. penes Bedam de Rat. Temp. cap. XLV. Socrates Histor. Ecclesiast. lib. V. cap XXII.; ac præ cæteris Baron. A.C. XXXIV; A. CLIX. & An. rursus CXCVIII., quorum ex doctrina quid sit de Paschate sentiendum luculentissime docemur, digredi veruntamen a proposito neutiquam erit, si id & ipsi hic adnotemus, quod ex Durand. libr. VII. cap. I. num. XXV. animadvertimus, nempe quibusdam in locis magnum quodlibet Festum vocari Pascha, sic Italis Pentecostes est *Pascha Rosaceum*, quod in tempus Rosarum incidat, & Otho Morena in Hist. rerum Laudens. *Quadam die*, inquit, *in qua fuit Pascha Epiphaniæ venere Cremenses*; Paschate scilicet Populus qui exultaret est designatus, Italorum præsertim usui familiare, sicuti ostendunt Jacobi Villanei libr. VII. cap. CXLVII. verba quæ habent: *Molti de Fanti venutisene a Pasquaxe a Firenze &c.*

consuli concupiscis, tres illos, aut quatuor legum textus, quos Mediolani habes, tantisper mihi commodato concedes, dum meos partim ex Bononia, partim ex Senis accepero: efficacius non rogo, ne tuæ beneficentiæ, & in me benevolentiæ diffidere videar. Vale meum sidus, meque ut facis, perseveranter ama: ego ni te prolixe diligo, atq; unice observo dispeream.

ANTONIUS PANORMITA,

BARTHOLOMÆO PONTIFICI S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMATERTIA.

De illius Amicitia sibi plaudit, mittitque ad eum suum Hermafroditum.

NOn poteram equidem gratiore, aut jucundiore nuntio affici vir humanissime, quam eo, qui proxime mihi ab Joannis Lamolæ docti in primis adolescentis, & emendati litteris allatus est. Siquidem enuntiat, quod ego magni semper æstimavi, quodque mirifice concupivi, me tuam gratiam inivisse jam. Cum enim sæpenumero tuum suave ingenium, doctrinam, animi virtutes, a maximis, spectatisque viris celebrari laudibus audirem, mirum in modum me ipse alliciebas, perstringebas, irrepebas denique in sensus meos: fiebatque ut te, tametsi numquam videram, tam ardenter diligerem, quam te illi vehementer laudarent, probarentque, fatebor in amore mollitiem meam, nunquam benevolentiæ impetum continere potui, si modo cujuspiam fieret aliqua virtutis, aut probitatis significatio, natura quidem omnes in amore proclives sumus, eorum præsertim, qui præseferunt aliquam probitatis lucem. Quorsum hæc? Ut intelligas me jampridem in te, tuosque mores affectum, incensumque: in præsentia vero quoniam, & abs te multa charitate diligi me audio, adeo pro lætitia distractus, adeo distensus sum, ut si ungula vel leviter me contingas, facile me totum dirimas, aperias. Quis me felicem, & beatum non putet? Quis me vera, & præcipua laude dignum non existimet? Quis me perspectum, & abunde judicatum non habeat? Qui tam præclaro, tam magno, tam gravi, tam denique litterato viro placuisse, & amicum fuisse cognoverit? Qua ex re si quando musis habui gratias, nunc maxime, & habeo, & ago peringentes certe, quæ me voti compotem effecerunt: qua quidem in re illud pro virili semper adnitar, ut perpetua sit amicitia, quam musæ ipsæ conciliarunt. Et sane cum alioqui haud facile amicitia ad postremos cineres perduret, eam tamen, quam musæ devinxerunt, a musis didici perpetuam simul, & memorabilem esse solere: sed de amore hactenus. Nunc ad Lamolam nostrum redeo, is me per epistolas rogat, & quidem tuo nomine, ut Hermafroditum meum ad te propediem mittam: ait enim incredibilem tibi sitim incessisse videndi ejus

& le-

& lectitandi versus meos. Ego cum primo subsisterem, siquidem res admodum lasciva est, & adolescentis opus, dein certa ratione decrevi, quicquid id esset, pro tuo jussu dimittere: ut si quid tuis moribus, tuaque ætate alienum offenderes, esset quod tibi potius imputares, qui id exegeris, quam mihi, qui ut tuæ voluntati obtemperarem, exhibuerim. Mitto igitur tibi meum Hermafroditum, *(a)* libellum quidem lascivum, sed ea lascivia, qua summi Oratores, sanctissimi Poetæ, gravissimi Philosophi, viri continentes, & Christiani denique prælusere: & sane castum esse decet pium Poetam ipsum, versiculos nihil necesse est, quod tu pro tua eruditione plenissime nosti. Quare hoc apud te prolixius tractare, esset quod ajunt, *Minervam edocere*. Istud autem simplicius, & amicitius feceris, si quod de eo dicturus es aliis, id ipsum egeris apud me, ut quid de me sperandum sit, ex tuo magno, acrique judicio deprehendam, atque constituam. Vale meum decus, tibique meam musam habe, eamque desidiæ indormientem quandoque excita.

ANTONIUS PANORMITA

BARTHOLOMÆO PONTIFICI MEDIOLANENSI S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAQUARTA.

Litteras ad se datas a Philippo ad illum mittit, exoratque ut hac de re Feruffino pro se gratias agat.

OLim ad te, nihil scripsi, sperans quotidie fore, ut non litteris, sed & jucundis nuntiis possem te gaudio afficere. Id dum in singulos dies spero, rejectus sum in nunc usque diem, ut si lentitudinis inculpandus veniam, desiderio tamen hoc meo sim excusandus, simul, & laudandus: Igitur est quod Diis gratia mecum læteris, & triumphes, & hoc est: litteræ tandem a Philippo domino nostro mihi redditæ sunt humanitatis, beneficentiæ, & cujusdam prope felicitatis plenæ, eas ut perlegas, & interpreteris ad te mittimus: in quibus si quid offendas, quod amplitudini accedat meæ, statim intelliges id tua opera, ac studio evenisse, & me debitorem tibi constitutum: quod ego nunquam abnegavero, non, si quispiam minetur mihi taurum Phalaridis. Ea ex re gratias velim agas, & persolvas Joanni Feruffino nostro non incelebri

(a) Poema sane jucundum, verum in canendo liberius Camænis indulsit Panorm. Nost.; Servit ingenio, nec se retineri patitur. æstuosusque iter arripit, quod periculis undequaque redundat; librum igitur, quo ad rectius mores informari nequeunt animi, nec Oratoris dignitas, nec Poeticus splendor, neque gravitas Philosophica valet excusare, Illudque cum pronunciamus, tametsi ab iis ultro abhorreamus, quæ sanam honestatis disciplinam lædunt, urbanitatem tamen, venustatemque Poeticam miramur in Hermafrodito, cujus exemplar cætera inter latinitatis ornamenta servatum novimus Florentiæ in Biblioth. Laurent. Medicea.

bri Jurisconsulto, qui posteaquam me illi per epistolas commendasti, nunquam utique requievit, quoad rem perduxerit eo loci, quo tu vides, nihil veritus, aut labores, aut quod certe extimescendum fuit, quorumdam hominum invidiam, aut calumniam. Tantum profecto debes in hac re observantiæ: ac fidei erga te illius, quantum ego charitate, liberalitate, & facilitate tua tibi obstrictus, & devinctus sum. Quare tu illi gratias aliquando referas, quas ego tibi perpetuo habiturus sum: Quicquid in Rhodum scripsimus occultum est: res enim monet ne afferatur: quamprimum autem edidero, quicquid id est, & est fortasse non illepidum, primum tute es & lecturus, & emendaturus. Interim cura ut valeas meum numen. Papiæ.

ANTONIUS PANORMITA

BARTHOLOMÆO PONTIFICI S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAQUINTA.

Ægritudinem suam, convalescentiamque describit, oratque magnopere, ne Romam denuo redire compellatur.

SI vales bene est, ego valere opto: factum est enim, ut hujus aeris malignitate febribus, & adversa valetudine corriperer, non quidem solus, sed si quid ad solatium ægrotantis attinet, cum decem ferme millibus hominum. Multi vitam efflarunt, quanquam ajunt neminem peste, aut malo morbo periisse: nos vero nusquam majorem pestem, nusquam corruptiorem aerem, nusquam majorem Deorum iram, nusquam corruptiora omnia vidimus, inspeximus, quam Romæ. Ego Diis gratia convalesco in dies, speroque monstrum id profecto horrendum, informe, ingens posse propediem effugere: pessimi quidem illi calores ex me ad Barbaros, (a) jam abierunt, apud quos Christi nomen invi-

(a) Quod Atticorum præsertim consuetudine, exterorum cæteri irriderentur, qui vernaculo sermone, inconcinno, & absono, duriter, difficulter, & aspere Græca sonarent, *Barbari* dicti sunt omnes, qui Græci non essent, eoque deinde nomine illos quoque appellavere Romani, qui vel ad Latium, vel ad Græciam non pertinerent; Originem vocis non investigamus, addimus tantum ex Cicer. de Fin. II. & V. *Latinos mitiorem linguam, ac magis cultam, quam cæteras gentes, & Græcis si non præstantiorem, parem certe habuisse suavitate, splendore, amplitudine, copia verborum*. Quos autem hic *Barbaros* ait esse Panorm., non ad vocis sonum refertur, verum mores, & Instituta gentis indicat, quæ sit inimanis, ac Rudis, quo præsertim hominum genere affluunt desertæ, inhospitæque regiones Asiæ, Africæ, & Americæ, ibi enim quum nulla inter se populi vel societatis lege, vel amoris communitate jungantur, in quoddam veluti inhumanitatis barathrum necessario prolapsos, uti barbaros, & agrestes, vel ipsa humanitas execratur, & devovet.

sum est. Interea vero siquid tua illa innata, & prædicata benignitas, si quid tua in me benevolentia adstruxerit, delegerit, atque firmaverit, cum ob alias causas, tum ob id maxime tibi gratias habiturus sum, quod ne denuo Romam revertar effeceris: quæ res faciet, ut & si natura minime ambitiosus sim, tamen si quid in præsentia in me contuleris, tam grate, tam libenter excipiam, quam si magnopere concupiverim. Vale.

ANTONIUS PANORMITA

PONTIFICI SUO S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMASEXTA.

Mulam ab eo petit iturus Placentiam, Antonium Cremonam visurus, rogat si quid jubeat, commissurusque illi est Palatiolum.

CAto Jureconsultus hic est, est peropus Placentiam eamus etiam hodie, si modo nos equi non remorentur. Quare a te peto, & si pateris etiam rogo, sine abutar mula tua nigra ad biduum, certe quidem abusus est, nam tibi pernecessariam cognosco: sed amoris, & gratiæ vere ampla est licentia. Visuri illic sumus Antonium Cremonam. Ludovico ductori si quid tuo nomine nuntiari vis, jube: Palatiolum meum tantisper penes te committam. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

CHRISTOPHORO LAMPUGNANO S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMASEPTIMA.

Consolatur infirmum, optat ut convalescat; Inquisitiones in Terentium, & in Plautum Commentaria se ad illum missurum spondet.

CUm esset de te proxime sermo, vel admiratio potius inter egregios quosdam viros, audivi, nam aderam una, tum primum invaletudinem tuam: quo nuntio quamvis pro mutua inter nos benevolentia sim sane vehementer commotus, potui tamen ea ratione me aliquando consolari, qui te cum doctrina, tum fortitudine animi pollentem, ac præditum novi, sapientia quidem confirmari potes, virtute patiens fieri: alioqui febris, & motus omnis contra naturam tempus plusquam breve habeat necesse est: & quod breve est, sit licet magnum, tolerabile esse debet. Habes præterea Girardum Medicum, cujus peritiam, & medendi scientiam: quippe cum doctus, & Æsculapius fere al-

alter, tum curis felix, & fortunatus sit. His atque aliis quibusdam argumentis possum tuam istam corporis ægrotationem ferre aliquanto modestius. Verum cum mihi, quod cito sit opto, renuntiaveris te prorsus convaluisse, & ad barbaros abiisse febres illas, tantum voluptatis, ac solatii percepturum me tibi persuadeas, quantum ne propinqui tui magis queant, aut si qui tibi sunt amore, & familiaritate in primis devincti. Tua quidem indole, & egregiis animi ornamentis ita te olim amare cœpi; ita perseveranter in dies magis, atque magis amo, ut si quid ægre, aut malo, si quid tibi voluptuose accidat, mihi dividue sit oportebit. Mea quidem opinione barbarus (*a*) est, qui te non diligit: invidus, qui te non colit: saxeus, qui te non laudibus fert. Hæc hactenus. Indagationes illas ad Terentium, quas a me petis, exquiram, & seponam tui causa. Commentariorum ad Plautum, aut primus, aut primo proximus, si modo illos tanti feceris, exemplar habebis. Denique nihil apud me est, quo non uti, & abuti possis arbitratu tuo, neque uspiam defuturus sum studiis tuis, non solum absens scripto, sed ne præsens quidem vivo sermone. Cura ut valeas, nam aderit Phebus scio.

...... Secumque feret, quicumque sapores,
Quicumque, & cantus corpora fessa levant.

Vale.

ANTONIUS PANORMITA

ANTONIO BECCARIÆ S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAOCTAVA.

Gratus est de sibi concessa domo, eamque, cujus avet habitationem, illum hospitio invitatum ad se pertrahere studet.

A Cambio viro officiosissimo certior factus sum, assensisse te perlibenter votis, & desideriis meis, atque usum in me peculiari, & ingenita tua illa animi benignitate, ac beneficentia: hoc est concessisse mihi, meoque usui domum tuam. Qua ex re gratias tibi quidem ago, & habeo, non autem refero, neque persolvo, quippe cum id neque ipse pro dignitate possim, nec tu tibi pro beneficiis gratias referri desi-

de-

(*a*) *Barbarus* hic a Panorm. appellatur, qui ad Barbarorum consuetudinem propius accedat; Quemadmodum inde liberalibus disciplinis eruditi, humanitatis nomine ornati sunt homines, ita vocati sunt *Barbari* qui forent illitterati, nec mirum propterea si neque, quod humanum est, vel bonitatem noverint, vel benevolentiam quod nullo ad illas scientiarum præsidio sint probe incitati; hae hominum conditione qui essent, feri, crudeles, immanes, dicti sunt *Barbari*, probante ipso Tullio pro Fontejo cap. X. his verbis; *Immanis, ac Barbara consuetudo hominum immolandorum.*

deres. Virtus, & humanitas tua tibi gratias abunde referunt, & benefaciendo gaudere consuesti, non accipiendo: idque generosi animi est, sua virtute, non aliorum ope gloriari. Itaque liberalitas tua singularis, humanitas, clementia, & quibus maxime illustraris, fides, & integritas, tibi tecum gratias, & quidem immortales reddent, ego equidem, quanquam idipsum respuis, pro tuo hoc benemerito tantum tibi debeo, quantum vel ingeniolo possum, vel observantia, aut gratitudine in benefactores meos. Demum providebo ne tui hujus te tædeat propositi, sed intelligas bene actum cum domo tua fuisse. In ea quidem exornanda, ac polienda utique diligentiam præstabo, quam ne rebus quidem meis exactiorem possem. Hortus coletur, reduceturque in pristinam venustatem, atrium, impluvium, aulæ, cameræ, laquearia, reliqua denique domus verretur, expurgabitur, componetur: atque ut tua est, tibi semper, atque omni tempore aperta, patensque erit: nec mihi quicquam jucundius accidere poterit, quam qui nunc te benefactore utor, si aliquando te hospite fruar: atque illustrer: & haud scio an id onerosum aliis foret, mihi certe felix, faustum, & optabile futurum est, neque servituti, sed libertati potius, & ut dixi, felicitati meæ adscripsero, si quando Ticinum te contuleris apud me, immo apud te. Cætera autem tuæ sententiæ, tuæ benignitati committo. Tantum quo tempore, quove die ea potiri possim rescribas, te vehementer rogo: nam quò citius, eo liberalius. Vale nobilitatis splendor.

ANTONIUS PANORMITA.

G. PONTIFICI LAUDENSI S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMANONA.

Propter missos ad se celeriter Avianum, & Martialem, illum exquisitissime laudat, eidemque se, operam, ingeniumque suum impensius dedit.

AVianum tuum, & Martialem Poetam non illepidum accepi, jam atque adeo quidem acceptius, quo maturius, & opinione celerius missos. Facis ut prudentem decet, & beneficum virum. Ille enim quod alte, & considerate cognovit, celeritate conficit: hic cum demum benefacturus est, nihil differt. Adeo vero celeritas in omni re grata, probataque est, ut vel cito abnegare pro beneficio sit: contra si producis, quod tandem facturus sis, mora beneficium inficis, & gratiam perdis. Gneus enim Pompejus, ut nosti, non minus celeritate in negotiis, quam fortitudine in periculis commendatur. Laudo itaque, ac deosculor tuam hanc benefaciendi alacritatem, atque festinationem, nec certe minus quam beneficium ipsum: tametsi quodcunque a te munus proficiscitur, non exiguum sit necesse est. Cæterum codicibus, & Poetis tuis oblectabor, quoad studia, & voluntas tulerit

tua

tua : exscribi enim liber non potest, adeo multis locis caducus, & obliteratus est. Tu si quid in me est, aut librorum, aut industriæ, aut ingenii pro tuis porro utere, & abutere, tua quidem, vel anima ipsa mea est; eritque liberalitatis tuæ, & beneficentiæ in hoc quoque satisfacere voluntati meæ. Vale Pontificum decus, & licet absis.

Sis tamen felix ubicumque mavis,
Et memor nostri Galathee vivas.

Iterum vale.

ANTONIUS PANORMITA

G. PONTIFICI LAUDENSI S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMA.

Sanus, ac incolumis ab illo an una cum Feruffino valeat ardentius inquirit, Abbatemque salutat.

SI vales gaudeo, & prope triumpho. Ego Diis gratia valeo. Nihil equidem in præsentia tibi, aut mihi melius optare possum, quam corporis valetudinem; ea enim malignitate aeris vivimus, ut sani si qui sunt, ægrotantes videantur, ægrotantes vero semimortui. At vero mihi nil ægrius ferre est, quam benevolorum absentiam, præsertim per hanc cœli inclementiam, cœli certe inclementiam: nam puros simul, & impuros insectatur. Accepi enim te nuper ob pestis suspicionem Lauda excessisse: id quicquid est, optarim a te certior reddi. Tua quidem valetudo, & fortitudo felicitatis meæ pars est: quasi reposuerim summam animi voluptatem, quam Epicurei summum bonum appellant, in prosperitate tua. Sane mollior sum in amando, te maxime, cujus virtus, & humanitas ita me enervat, ac pene dixerim, effœminat, ut facilius ærumnas Herculis, quam tui desiderium feram. De Feruffino item nostro viro sanctissimo aliquid velim renunties. Siquidem ambo valetis, valeam, & ego necesse est. Abbas tuus ille omnium suavissimus a me valeat. Tu si quid rescripseris, levabis me haud mediocri mœstitia. Vale.



ANTONIUS PANORMITA OLDRADO S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMAPRIMA.

Commendatione prosequitur Andream Theologum.

ANdreas Theologus hic litterarum adlator vir doctus, & conterraneus (*a*) meus a me petit, ut se tibi commendem: innotuit quidem illi, ut multis præterea, tua erga me charitas, & affectio. Ego vero a tua natura, tuisque moribus haud alienum ratus, favere, & augere Christi Domini Philosophos, (*b*) hunc tuæ fidei, tuæque benefi-

cen-

(*a*) *Conterraneus* hic ex Panorm., quasi socius in eadem terra, Castrensis ista vox est, qua in Operis sui Præfat. ad Vespasianum Imperat. usus est Plinius Junior his verbis: *Namque tu solebas nugas esse aliquid putare nugas, ut obiter emolliam Catulum* Conterraneum *meum*; Castrensis hujus Antiquorum vocabuli, sequior meminit deinde latinitatis ætas, habetque Brocard. in Descript. Terræ Sanctæ: *Tales sunt hodie in Terra Sancta non pauci, qui spoliant Peregrinos, & Conterraneos suos*.

(*b*) *Philosophi Christi Domini* non alii certe præter illos, qui Sapientiæ Christi sunt addicti: Eos inter se, recenset in primis Paul. ad Corinth. I. cap. II. v. II. ita scribens: *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum*, quod explicant hoc in loco Interpretes de Paulo ad id unum redacto, ut quacumque seposita scientia *Jesum Christum* sciret, illumque *Crucifixum*; dilucide autem istius naturans scientiæ v. IV. sic illustrat: *Et sermo meus, & prædicatio mea, non in persuabilibus humanæ Sapientiæ Verbis, sed in ostensione Spiritus, & Virtutis*, qua Spiritus equidem ostensione, ut plerisque visum est Interpretibus, vel sensibiles Divini Spiritus Sancti effectus, aut dona ejusdem Sancti Spiritus supernaturalia, Divinitus hominibus concessa lustrali aqua Baptismatis a Paulo regeneratis, aut S. Pauli zelus, aut Virtus omnino Divina per os illius dum loquebatur sensim in Auditorum animos delapsa, aut Sacrorum Veterum librorum Sermones Prophetici in Christi Servatoris adventu singillatim comprobati perspicue demonstrarentur, *Ostensionesque Virtutis*, quæ Corinthi miracula patraverat Paulus, fortasse præseferebant; de qua tamen *Virtutis, & Spiritus ostensione* ita nonnulli disserere consueverunt, ut facta penitus mirabilia, virtutemque supernaturalem interpretentur, propterea quasi legunt: *Ostensionem virtutis spiritualis*, & ulterius quidpiam addens: *Nos autem*, ait idem Paulus, *non Spiritum hujus Mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis*; Spiritus enim hujus Mundi, Spiritus erroris est, mendacii, vanitatis, nequitiæ, a quo diversa Pauli fuere opera, diversa etiam verba, quum neque per naturalem proprii Spiritus motum, neque per cognitionem tantum humanam, studio, vel naturæ lumine acquisitam, sit quidquam loquutus, quod Prophetica nempe illustratione afflatus intellexerit, Omnipotentem Dei Spiritum via breviore, Inspirationum videlicet gratia, Divinorumque præceptorum virtute, rectius ad mentem, animosque permeare, quam inanem rerum humanarum Scientiam, qua incerti homines nonnum-

centie committo. Vult parvus parva, honestus honesta: tu perinde mihi gratum facies, ac si illi magna contulisses. Vale. Ego tuus perseverantissime persto.

ANTONIUS PANORMITA.

LUCHINO DULCISSIMO S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMASECUNDA.

De Victorio salvo congaudet, ad quem perrecturus de caballis cogitat.

OPtarim, adolescens honestissime, coram assuisses, cum officiosas ad me tuas litteras perlegebam, cognovisses sane non verbis solum, sed vultu, fronte, supercilio, risu, quanta me lætitia affecerit valetudo Victorii nostri viri clarissimi. Crede mihi crede inquam non potuit quicquam jucundius, aut voluptuosius renuntiari, non Regem me quidem creatum. Etenim amo illum pro suavitate ingenii supra modum, nec quicquam est, quod ardentius cupiam, quam illum videre, suæque fortitudini coram gratulari, tametsi de vita illius nunquam addubitaverim. Deus non lædit amantes. Idcirco dimittere ad nos caballos poteritis die Saturni, aut si lubet etiam ocius, nam ut prædixi nihil in vita peræque appeto, quam eum visere, quem tantopere diligo, & deamo. Vale flos adolescentium, nam reliqua vivis affatibus agemus, & opportunius, & jucundius.

ANTONIUS PANORMITA,

NICOLAO QUÆSTORI S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMATERTIA.

De Fortunato collocando, Palatianoque negotio, commendatione singulari cum illo agit.

FOrtunatum hunc, quem tibi alias litteris, & laudavi, & commendavi, iterum nunc, atque iterum tuæ liberalitati commendo, & sum

---

quam hærent, ac in diversa nonnumquam mentiendo vel inviti deducuntur; luculentiora vero hac in re ad Corinthios Pauli sunt verba, ut Ethnicorum opiniones, quibus ii jamdiu assueverunt, Philosophorum more disputantes, a pristino statu convellat, & ad Christianam veritatem errantes homines sanius informet, cui Divina consona est Sapientia, idest *Philosophia*, in qua præ aliis enitere putandus est, qui a Panorm. Nostr. *Christi Philosophis* hic adjungitur.

ſum commendaturus, quoad hominem vere fortunatum facias. Vult tuis manibus locari quovis in loco: vult tuus eſſe, quo uti poſſis pro rota figulari. (*a*) Mihi quidem eo officio proinde maxime gratum facies, quod cognoſco nulla in re ampliorem laudem aſſequi te poſſe, quam egenos juvando, bonos fovendo: de Fortunato ſatis. In re autem Palatiana, id eſt miſeri Andreæ, ſpes omnis in te reſidet. Tu ſi in ea re hominum expectationem adimpleveris, immortalem crede mihi gloriam aſſequuturus es. Vir bonus ille, & amicus tuus, & eſt, & habetur. A Maſino fratre rem omnem accipere debuiſti, quam ſi mandaveris effectui a pleriſque aliis, a me certe pro Deo quodam amicitiæ prædicaberis. Vale meum decus.

ANTONIUS PANORMITA.

ALOYSIO CROTTO S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMAQUARTA.

Jucundos Lanzalotti novi ſponſi caſus venuſte ſimul, ingenueque perſequitur.

CUm eſſem aliquanto otioſus hodierno die peropportune mihi oblata eſt tua quædam epiſtola ad Lanzalottum fratrem, qua ſcilicet efflagitas a novo ſponſo, non quidem epulas, quod utique paraſitorum (*b*) eſt, ſed quomodo ſe geſſerit in duello novus miles, & hujus ge-

(*a*) *Rota figularis*, item *figlina*, & *figulina*, celeri incitatoque motu circumacta ad fictilia formanda comparata in Horat. Art. Poetic. v. XXI. ſic exprimitur:

...... Amphora cœpit
Inſtitui, currente rota cur Urceus exit?

Tranſlatione vero ad hominis animum facta Vir a Panorm. hic effingitur verſutia plenus, mentem facile in quamcumque partem verſans, ex illorum ſcilicet hominum genere, qui vafri & callidi a Cicer. III. de Natura Deorum ita deſcribuntur: *Verſutos eos appello, quorum mens celeriter verſatur*, Figulari Rotæ omnino ſimiles, quod Plaut. edocet Epid. Act. III. Sc. II. v. XXXV.

VORSUTIOR es, quam *Rota Figuloris*,

Clariuſque in Capteiv. Act. II. Sc. III. v. VIII.

Utroque verſum rectum eſt ingenium meum,
Ad te, atque illum pro ROTA uti me licet;
Vel ego huc, vel illuc vertar, quo imperabitis.

(*b*) Ea Priſcos fuiſſe ſuperſtitione, ut ad ſacra Religionis miniſteria, vel heluones Paraſitos adhiberent, tradit S. Auguſt. de Civ. Dei libr. VI. cap. VII. his verbis: *Epulones etiam Deos Paraſitos Jovis ad ejus menſam qui conſtituerunt, quid aliud quam mimica ſacra eſſe voluerunt? Nam Paraſitos Jovis ad ejus convivium adhibitos ſi Mimus dixiſſet, riſum utique quæſiſſe videretur: Varro dixit; Non cum irrideret Deos, ſed cum commendaret, hoc dixit; Divinarum non humanarum rerum libri hoc eum ſcripſiſſe teſtantur: Nec ubi ludos Scenicos exponebat, ſed ubi Capitolina jura pandebat.* Superſtitioſæ autem hujus

generis multa facetissime quidem, & urbane, nihil tamen inconveniens gravitati, atque authoritati tuæ: siquidem, & ipsum Scipionem summum virum, & Imperatorem interdum remissionis gratia, tripudiantem accepimus: & Catonem virum maximum aliquando animum Reipublicæ curis pressum, atque contritum, vino levare, atque reficere consuetum, Lucullum quoque virum gravissimum comitate, & festivitate nonnunquam gaudere solitum legimus. Et C. Cæsaris, & ipsius denique Socratis leporem, atque facetias nemo litterarum solers ignorat. Est enim in vita hominum cessatio quædam, atque remissio, vel ab ipsis Philosophis, vitæque magistris concessa. Nam cum perpetuo laborare nequeamus, solatiorum quamdam moderationem

 nobis

Religionis Ministros Græcia pridem tulit, vel ipso ex nomine venerati one dignos, ut Athenæus libr. VI. ait: *Nomen* Parasiti *olim venerabile erat, & sacrum*, quales vero *Parasiti* fuerint, quo munere functi, quantique sint habiti, & ista docent Athenæi verba ex Græco exemplari latino sermoni reddita: *Rex e Novem Viris unus, ut* Parasitos *constituant, & e singulis, secundum Leges, eligant Populi curato*. Parasiti *singuli sine dolo malo seponunto sextarium hordei, e parte quisque sua Athenienses epulo in Templo excipiunto, secundum Patrium morem. Acharnensium* Parasiti, *ex illo quod collegerunt hordeo, sextarium Apollini in Apothecis reponunto*; unde liquet ad illud ministerium Parasitos maxime comparatos esse, quo colligerent ex Arvipendiis Deo cuipiam dicatis, vel divisis, frumentum sacrum, seu hordeum, quod pro sua quisque parte singuli in Deorum Templa Religiosa Oblatione inferebant, cujus quidem Hordei Sextarium seponere in Apothecis Apollinis reponendum, debebant *Parasiti* ex Acharnensium populo electi, qui Apollini ex lege faciebant; Singulis enim Diis sui inerant *Parasiti*, quamobrem hic Apollinis, alibi Herculis *Parasiti* memorantur, iique una cum Rege sacra curabant ex legis instituto: *Rex quisquis erit cum* Parasitis, *quos e singulis antea elegerint Populis, cum senibus item, atque fæminis univiris, sacra curato*; Ibique de Panathenæis est sermo, videlicet Magnis Quinquatriis, Athenis quinto quoque anno in honorem Palladis celebratis; Ad *Parasitos* quoque spectabat, juxta legem, cum Sacerdote per singulos menses sacra facere, *Sacerdos cum* Parasitis *menstrua Sacra facito*, Parasiti *de Nothis aut Nothorum liberis unum eligunto secundum morem Patrium, si parasitari detrectat in jus vocanto*, & ad Herculis Sacra, ista plane referuntur; ex Attica enim universa duodecim accitis *Parasitis* apprime nobilibus mensium singulorum Kalendis Herculem Sacrorum cultum obtinuisse testis est Diodor. Sinopensis in Dramate, cui titulus, Ἐπικλήρῳ. Intentos Apollinis honori, misisse Delum Athenienses quotannis duos e Cerycum Mysticorum gente, qui in Delio Templo parasitarentur, lex est ex Athen lib. VI. prolata; *Duo Ceryces sunto e gente Cerycum Mysticorum, iidemque annum in Delio Templo* Parasiti *sunto*; Ipsoque Athen. ibidem, docente comperimus quid *Parasitis* cederet inscripta lege Columnæ in Anacæo, sive Dioscurorum Templo: *Duorum Boum præcidaneorum eximiorum tertia pars in certamen reliquarum duarum una Sacerdoti, altera* Parasitis *cedunto*, & hic iterum Panathenaici Sacri mentio incidit, ad quod ab omnibus Atticis Urbibus, sive Atticis Coloniis, Bos mittendus erat, qui immolaretur, ex quo Visceratio, Epulumque Populo, ut Aristophanes in Nubibus; De *Parasitorum* demum Apothecis, quæ & *Parasitia* dicerentur, lex lata, legitur in eodem libr. Athen. *Ad Sarta tecta Templi Apothecæ*, Parasiuli, *& Ædis Sacræ, tantum argenti dator, quanto faciendum*

nobis rectiſſime permiſerunt. Tu vero Aloyſi vir graviſſime, qui tantum glorioſiſſimi Ducis noſtri negotiis circumveniaris, ut, quod ajunt, ſedere, & reſpirare vix queas, haud abſurde facis, ſi interdum cum fratre præſertim jocaris: atque hanc tibi remiſſionem animi potius delegeris, quam vinum illud Catonis, & Scipionis ſaltum. Sed his miſſis, quis enim neſciat viris gravibus, ac ſanctis interdum jocari licere? ad epiſtolam tuam redeo perlepidam quidem illam, & undequaque feſtivam. Eam ego ſumma cum voluptate non dico legiſſe, ſed ebibiſſe quodammodo mihi viſus ſum. Dilexi te quidem ante hac humanitate, & beneficentia, & qua plurimum commendaris æquitate, ac fide, nunc etiam tua hac comitate, & jucunditate me tibi in perpetuum com-

---

opas locaveriat, Sacerdotes, quibus id commiſſum eſt. Hi Græci ſunt *Paraſiti*. iidem dicti a nonnullis ac latini *Epulones*; Conveniunt porro cum primis alteri, quod Sacras Deorum Epulas utrique reſpiciant, attamen ſunt eo longe diſſimiles, quod Paraſitis quum fuerit commune, ſicuti ex Athen., & Heſychio conſtat, cum Sacerdotibus Victimæ partem capere, ad Epulones ſpectaverit tantum ad Pontifices referre, ſiquid prætermiſſum, commiſſum, aut pollutum eſſet in Epulis, Sacrificiiſque cuicumque Deorum certo tempore indictis, ut ex munere illorum explicat Cic. in Orat. de Haruſp. Reſponſ. Veruntamen quorum honorarium quondam fuerat Miniſterium, eo *Paraſiti* ſubinde contemptus devenere, ut ingenui homines nec foret *Paraſiti* nomen hinc D. de Annuis legatis, L. XX. §. I. ubi habetur: *Actia fidei commiſſam his verbis reliquit: Quiſquis mihi hæres erit. fidei ejus committo, uti det ex redditis cœnaculi mei, & horrei, poſt obitum, Sacerdoti, & Hierophylaco, & libertis, qui in illo Templo erant, denaria decem die nundinarum, quas ibi poſui,* τὸ *Libertis* Petitus exiſtimavit intelligi, quos veteres dixere *Paraſitos*; Indiſcriminatim itaque Paraſiti ſunt accepti pro genere hominum ludicro, nec ab Hiſtrionum turba ſunt diviſi, tametſi Deorum Epulis addicerentur, Martial. in Epitaphio Latini lib. IX. Epigr. XXIX.

Vos me laurigeri *Paraſitum* dicite Phœbi,
Roma ſui famulum dum ſciat eſſe Jovis.

et in vetere Marmore clarius:

L. ACILIO. L. FILIO.
POMCUTICLÆ.
NOBILI. ARCHIMIMO. COMMUNI. MUNERE. ADLECTO.
DIURNO. PARASITO.
APOLL. TRAGICO. COMICO.

Præterea in alia vetuſta quadam Inſcriptione legimus ea quæ ſequuntur:

M. AUR. AUG. LIB. ACILIO.
SEPTENTRIONI.
PANTOMIMO. SUI. TEMPORIS. PRIMO. SACERDOTI.
SYNHODI. APOLLINIS.
PARASITO.

In omnibus fere Mimis inducebantur *Paraſiti*, ac ſecundarum fermie partium erant, cum in Scenam inducerentur; inde apud Senec. de Ira III. VIII. *Optimum judicavit quidquid dixiſſet ſequi, & ſecundas agere*, hoc eſt aſſentari, & ſupparaſitari; Aſſentatori quidem Paraſito Pallium obvolutum in Scena datum eſt, Pulla item Tunica, ſive nigra, ſive alba penes Latinos; alba quidem, ſi ejus ſuaſu, vel ſubdola technarum arte Nuptiæ tractarentur, Strigilem & Ampullam dat Plaut. in Sticho Act. I. Sc. III. v. LXXI.; apud quem ita loquitur Paraſitus.

Nullis meliores eſſe *Paraſitos* ſinam.
Vel unctiones Græcas, ſudatorias,
Vel alias malacas Crapularias,
Cavillationes, aſſentantiunculas,

comparasti, odi nimirum rusticos quosdam homines, Immo vix quidem homines, ab omni jucunditate, atque humanitate abhorrentes. Ut autem a me quoque, & fortasse diligentius intelligeres ea, quæ a fratre jucundissime requiris, veritus ne ille dum tibi rescribit, multa taceret, quæ coram inter amicos, & cum risu narrantur, ab ipso singula perscrutatus sum, quæ tibi exponam. Mane namque salutandi gratia sponsum adii, atque his ultro, citroque dictis, quæ primo congressu familiares, & amici consuevere, continuo illum rogo, quonam pacto valuerit in armilustro. Tum ille subridens, *Viriliter*, inquit, *nam perduellis prostrata simul, & devicta succubuit*. Verum operæ pretium est audire, mi Aloysi, quibus eam verbis, & blandiloquentia delinuerit; est mea quidem sententia Lanzalottus noster, ut multis insignibus orna-

---

Ac perjuratiunculas Parasiticas.
Rubiginosam Strigilem, ampullam rubidam,
Parasitum inanem, quo recondas reliquias.
Hæc venisse jam opus est, quantum potest;
Uti decumam partem Herculi polluceam.

Olei vasculum plerique tribuerunt, color ater ex Athen., & Cicer. Verum non tam in Parasitis exteriorem corporis habitum, quam indolem, animique mores antiqua ætas inspexit, eaque de caussa *Parasiti* ii latinis Scriptoribus fuere, *qui cibi gratia assentarentur*, quos *Cœnarum Asseclas* ex Auctore Orat. contra Sallustium vocare queas; illorum accurate consuetudinem, naturamque Plaut. enucleat in Capteiv. Act. I. Sc. I. v. VII.

Verum hercle, verum nos *Parasiti* planius,
Quos nunquam quisquam neque vocat, neque invocat.
Quasi mures semper edimus alienum cibum.
Ubi res prolatæ sunt, cum rus homines eunt,
Simul prolatæ res sunt nostris dentibus.
Quasi cum caletur, Cochleæ in occulto latent,
Suo sibi succo vivunt, ros si non cadit:
Item *Parasiti* rebus prolatis latent
In occulto, miseri victitant succo suo,
Dum ruri rurant homines, quos ligurrant.
Prolatis rebus *Parasiti* Venatici
Sumus, quando res redierunt Molossici,
Odiosicique, & multum incommodissici.

Cæterum hac in re plura occurrent percurrenti *Dissertatiunculam de Parasitis* Nicolai Rigaltii, quam fecit *Appendicem Funeris Parasitici*, in qua tres Parasitorum Classes latius enumerantur, Comicorum omnes verbis expressæ; Prima ridiculis jocis, dictisque mensas captavit alienas, *Gelasimisque* istis nomen erat *Parasitis*, ut ex Plaut. Stich. Act. I. Sc. III. v. XVII.

Nunc si ridiculum hominem quæret quispiam,
Venalis ego sum cum ornamentis omnibus.
Inanimentis explementum quæritο.
Gelasimo nomen mihi indidit parvo Pater,
Quia inde jam a pauxillo Puero ridiculus fui.

Alteræ Parasitorum classi via parabatur ad mensas aliorum, quibusdam veluti blanditiis, & assentatione; id etiam Plautinum est in Mil. Glorios. Act. I. Sc. I. v. XXXIII.

Venter creat has omnes ærumnas, auribus
Peraudienda sunt, ne dentes dentiant.
Et assentandum est, quidquid hic mentibitur.

namentis apprime præditus, ſie vel maxime eloquentia excellens, ut de eo recte id dici queat, quod de Venere tradit Poeta.

Dum loquitur, vernas afflat ab ore roſas:

quanquam in hac re non ipſius Ciceronis, aut Demoſthenis eloquentiam magni fecerim: facile eſt enim volentem cogere, nulla enim tam difficilis, tam rigida, tam Sabina, tam barbara eſt, inquit Poeta,

Quin fiat tactu mollior illa viro.

Cæterum excluſis tandem arbitris ſolus ſolam continuo amplexatur, deoſculatur, denique etiam verbis blanditur ſedens prope lectum. *Mea*, inquit Valentia, ſic illi nomen eſt, *ſuavitas mea, corculum meum, ſine tuos ocellos deoſculer, ſine te geſtem in ſinu, mea roſa, meum lilium,*

Exue

Poſtremam claſſem Paraſitorum ſub ſequuti ſunt *Flagriones* a flagris, *Plagipatidæ* a *plagis patiendis*, *Lacones* a *Laconica patientia*, *Duri Capitones* a *Capitis duritie* in Verberibus perferendis, non a *pertinacia comedendi*, quod cuidam placuit, ii nimirum omnes, qui fronte, hilarique ore Spartanorum in morem verbera tolerabant, ut alienis Epulis conſtanter accumberent; Audiendus item Plaut. in Capteiv. Act. I. Sc. I. v. XX.

Et hic quidem hercle, niſi qui colaphos perpeti
Potis *Paraſitus*, frangique aulas in Caput,
Vel extra Portam ire Trigeminam ad Saccum licet.

et diſertius ibidem in Capteiv. Act. III. Sc. I. v. VIII.

Itaque venter guturque reſident eſuriales ferias.
Ilicet paraſiticæ arti in maximam malam Crucem!
Ita juventus jam ridiculos inopeſque abs ſe ſegregat.
Nihil morantur jam Laconas imi Subſelli viros,
Plagipatidas, quibus ſunt verba ſine penu & Pecunia.
Eos requirunt qui, libenter cum ederint reddant domi.
Ipſi obſonant, quæ Paraſitorum ante erat Provincia;
Ipſi de toro tam aperto Capite ad lenones eunt,
Quam in Tribu aperto capite ſontes condemnant reos;
Neque ridiculos jam terunci faciunt, ſe ſe omnes amant.

Hi convivia, menſaſque circumſedere *Paraſiti*, non raro ab ipſis met hominibus expetiti, quod nempe, ſi fides præſtanda ſit Diodoro Sinopenſi, in Dramate, ut ſupra Επικλήρῳ, inſolentiores, elatioreſque quam par erat, ſuos ſibi, cætera falſos, imitari propemodum Deos viſi, *Paraſitos* haberent, quorum delinerentur illecebris; Iſto profecto in ordine collocat Auct. Noſt. Viros Epularum amatores, qui de conviviis tantum cibiſque cogitant, ac ſe in dapes ingurgitant, iccircoque vocantur *Paraſiti*, edaces videlicet, alienoque cibo victitantes, tametſi nuperrimos inter Scriptores, Medii, ut inquiunt, Ævi, de *Paraſiti* nomine inter ſe quidam digladientur, & ad illa Verba cap. II. num. X. in Vita S. Sori Eremitæ Petragor. *Vocato itaque uno e Pareſitis*, idem ac *Paraſitis*, *jubet diligenter a Beſtia pellem detrahere*, alii per *Pareſitum* deſignari *Lanionem* arbitrantur, alii *Famulum* de menſa Domini comedentem; Lector ſecundum ſapientiam judicet, nihil in hoc certi nos prodimus, qui quantum potuimus enixe contendimus, ut muneri noſtro ſatisfaceremus, ad *Paraſitos* quæ ſpectant exactius declarantes, ſequuti Bulenger. de Theatr. I. XLIII. Stuck: Antiq. Conviv. XI. IV. Dempſter. in Paralipom. ad Roſin. Antiquit. Roman. V. VI., Caſal de Tragæd., & Comœd., alioſque non paucos, qui prolixiore diſputatione univerſam de Paraſitis controverſiam eleganter exhauriunt.

Exue te vestibus jam animula mea, Nox multa est, edormisco jam. Illa autem invitæ similis tandem exuitur, torum petit, vultu subtristis, & verecunda. Contra Lanzalottus noster projectis vestibus ad eam advolat, amplecti tentat. Non consentit illa, quin immo modeste repugnat. Tum miles noster, *quid rei est Valentina mea bella bellacula, non hostis, sed sponsus sum, cur refugis? sine te tangi mea vita, sine te amplectar voluptas mea.* Tum sponsa, *Polypi*, inquit, *amplexus vereor. Ah noli*, inquit Lanzalottus, *id vereri animula mea, ut quicquam in te facturus sim, quod tibi grave, aut molestum futurum sit. Nosti quam efflictim te deamem, ut ne meos oculos, aut animam, aut quicquid in vita mihi gratissimum est, certe magis. Plane si quid tibi moleste accidat, quod abominor, id mihi dividue sit oportebit. Id cum ita sit, tuque compertum habeas, quid est, quod deinceps vereare mea lux? sine te jam, amabo, amplectar, tuosque sidereos tantum ocellos deosculer.* Sed litus arat miles noster, illa quidem refragatur vehementius, nec quicquam auscultat, quinimmo flere cœpit. Tum Lanzalottus id minime ratus missis jocis, exquisitiore quodam dicendi, ac suadendi genere opus esse arbitratus; turpe enim, & ignominiosum est viro forti, & magnanimo puellis præsertim vim inferre. *Igitur*, suspirans inquit, *verum profecto perhibebant miserum me, ducturum sponsam difficilem, morosam, inamabilem, mæstam, quod nunc ecce periclitor, & assentior illis mehercle. Nam quid hæ lachrimæ sibi aliud poscant, quidve portendant, non video nisi fortassis me marito, quod ajunt, minime contentaris.* (a) *Putabam equidem hoc loci sponsalitia* (b), *non funeralia ce-*

Hh

(a) Latine scribens Panorm., sapienter præmisit, quod ajunt, quum esset postea dicturus: *Minime contentaris*; hoc equidem Verbo deterior latinitas innuitur, quæ Medii, Vulgo, Ævi ruditatem passa est, ac imperitiam; *Contentare* legitur in Synodo Sodorens. in Hibernia; *Si Vir aut Mulier obierit, & nulla bona ad* contentandam *Ecclesiam pro sua sepultura habuerit*; Vertitur deinde *Contentare*, & fit *Contentari*, quod siquis latinitati reddere voluerit, utetur formula latinis Auctoribus communi, scilicet *Contentum esse, Vivere Contentum*: Ita Plaut. in Merc. Act. IV. Sc. VI. v. VII.

Utinam lex esset eadem, quæ Uxori est, Viro!
Nam UXOR CONTENTA EST, quæ bona est, uno Viro,
Quin minus VIR una UXORE CONTENTUS siet?

et Horat. Satyr. lib. I. Sat. I. v. I.

Qui fit, Mæcenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu Fors objecerit, illa
Contentus vivat? Laudet diversa sequenteis?

Cic. autem de Amicitia cap. XXIII. *Contentum*, quod barbara latinitate *Contentari* esset, absolute ita posuit: *Multi divitias despiciunt, quos parvo contentos tenuis Victus, cultusque delectat.*

(b) *Sponsalitia* pro Nuptiis accepit Panorm., quod videlicet *Sponsalitiis*, ac *Nuptiis* unum idemque Conjugium perficeretur; Cæterum Illorum penes Auctores formulæ variæ, ac Ritus longe diversi; Ad *Sponsalia* enim quod attinet, lis nomen a Sponsionibus factum ostendit consuetudo, qua stipulabantur Veteres, uxoresque sibi futuras despondebant, ut Sat. VI. v. XXV. Juven. manifeste sic tradit;

celebrare, tuumq; in me amorem verum, ac mutuum sentire, non odium, non lites: denique conjugium, & perpetuam tecum, ac tranquillam inire societatem: non tumultum, atque divortium. Hoccine genus tuum præclarum illud, & abunde spectatum? Hoccine parentum honestissimorum hominum educatio? Decet enim generosas, honestasque virgines taciturnas, & mansuetas esse, nec minus faciles, & obtemperantes marito. Quod vero ajunt mulieres nescio quas solitas prima nocte maritis obsistere, id ut turpe, & indecorum, ita vilissimarum est mulierum. Tu majorum tuorum mores, & dignitatem tibi vendica, tuum ordinem imitare: sine plebeculam suis deturpatis uti moribus, & consuetudine: placeas summis hominibus, placeas morigeratis: placeas, vel præcipue marito, reliquam illam fæcem popularem damnes, & asperneris. An

ve-

Conventum tamen, & Pactum, & Sponsalia nostra
Tempestate paraa, jamque a Tonsore Magistro
Pecleris, & digito Pignus fortasse dedisti.

Pignore vero *Annulus Pronubus* designabatur, sive *Aureus* esset, sive *ferreus*, quo, prisco ex usu, *Sponsæ digitum Vir oppignerare consuevit*. De sponsalibus etiam cum sermo habetur in legibus, non aliud esse dicuntur, nisi *mentio, & repromissio futurarum Nuptiarum*; ac *Mentio* quidem, & *repromissio*, ait Heinec. Pandect. Part. IV. lib. XXIII. ad Tit. I. de Sponsalibus, *est non modo Stipulatio, qua uti solebant in contrahendis adfinitatibus, sed & qualibet Conventio*. Attamen frequentissime apud Comicos *Stipulationes*, & *Sponsiones*. ut in Plaut. Aulul. Act. II. Sc. II. v. LXXVII. alibique. Hoc solemni ritu promissæ, SPONSÆ; *L. 3. ff. h. t.* pacto nudo, PACTÆ; alicui destinatæ, sed nondum promissæ, SPERATÆ dicebantur. Non. *de Prop. Serm. V.* 69. *Inter* SPERATAM *dictam &* PACTAM, *&* SPONSAM *hoc interest, quod virgo prius, quam petatur, sperata dicatur. Dehinc promissa, vel pacta, vel sponsa dici potest*. Arnob. *adv. gent. IV. p.* 140. *Uxores enim Dis habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis? usu, farre, coemtione, genialis lectuli sacramenta condicunt? habent* SPERATAS? *habent* PACTAS? *habent interpositis stipulationibus* SPONSAS?

Sponsalia, ut scribit Heinec. ibidem Tit. II. de Ritu Nuptiarum, sequuntur NUPTIÆ, seu CONNUBIUM. *Connubium* & Vetus Glossar. *Nuptiæ justum Matrimonium*. Serv. ad illa Virgil. Æneid. I. v. LXXV.

Sunt mihi bis septem præstanti Corpore Nymphæ,
Quarum quæ forma pulcherrima Deiopeam
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.

Connubium, inquit, *est jus legitimi matrimonii*, & paullo post: *Dicendo enim* Connubio *ostendit legitimam: dicendo stabili, longam promittit concordiam, id est, quæ divortio careat*. MATRIMONIA contra pro conjunctione, jure civili injusta, accipitur in *L. 13. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult.* Et apud *Paviatorem Legum Mos. & Rom. tit. IV.* § 5. mentio fit *matrimonii sine Connubio*. Itaque *Connubia* gaudebant effectibus civilibus; *matrimonia* peregrinorum effectibus juris gentium; servorum *contubernia* ne his quidem. Hinc ab his procreati erant ἀπάτορες, nulla erat servorum cognatio, (nisi quod ea honestatis caussa in nuptiis spectaretur,) nulla inter eos adulterii persequutio, *L. 23. C. ad L. Jul. de adult. L. 6. ff. eod.* immo ne parricidium quidem proprie dictum. *L. 12. § ult. ff. de accus. & inscript.* Quam in rem egregia

vereris fortasse nostram hanc conjunctionem quicquam tibi amaritudinis adlaturam? Erras medius fidius. Si rite memineris animadvertere nonnunquam potuisti, quam sponsæ omnes mane surgant solito hilariores, formosiores, jucundiores. Num hæc amoritudinis conjectura est. An non potius suavitatis, summæque voluptatis? Cæterum sunt anus ædentulæ, quippe quæ invidia maxime flagrantes, eo modo virgunculas, & novas sponsas territare consueverunt, ut qua ipsæ jam pridem voluptate cassæ, & orbatæ sunt, ea velint, & reliquas privatum iri: pallidum profecto genus, macilentum, deforme, tetrum, versutum, & puellis semper adversarium, inimicum, damnosum. Sed dispereant vetulæ omnes: tu, quod natura docet, quod religio permittit, quod suadet voluptas, quod omnes factitant, ne exhorrescas. Noli mea lux adversari amplius mihi: sine te jam dissuavier, columba mea. His, pluribusque verbis longe suavioribus, mi Aloisi, tandem germanus tuus, vir meo quidem judicio disertissimus, voti compos effectus, arce, quam oppugnabat, amice, potitus est. Ex his facile intelligis, te fratrem non infantem, & enervum, sed eloquentem, & robustum habere, qui duelli victoriam non sine triumpho reportaverit. Tu vale, & lætare, nam cætera quam laute, splendide, & honorificentissime peracta sint, id tu satis nosti, & admirantur alii. Iterum vale meum decus. Papiæ.

LI-

---

multa habet vir doctissimus, mihique amicissimus, *in Gundlingianis Part. II. Obs. X. § 13. sequ. p. 429. seqq.* Erant autem NUPTIÆ jure civili, si uxor in manum convenerat, * *conjunctio maris & feminæ, consortium omnis vitæ divini & humani juris communicatio. L. 1. ff. de rit. nupt.* sin in manum non convenisset, *viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens. §. 1. Inst. de patr. pot.* In manum conveniebat uxor FARRE, COEMTIONE vel USU. Arnob. *adv. gent. IV. p. 140.* Quæ in manum convenerat, erat in mariti potestate ac mancipio, Gell. *Noct. Att. XVIII.*, adeoque & in sacra mariti transibat, *particeps omnium bonorum & sacrorum.* Dionys. Hal. *II. p. 95.* tanquam filia familias & hæres sua, & maritus omnem ejus substantiam dotis nomine adquirebat. Cic. *Topic. cap. IV. Gell. ibid.* Quemadmodum itaque filii filiæque fam. dicebantur in sacris paternis constitui: *L. 2. C. de bon. quæ lib. L. ult. C. de inoff. test. L. ult. C. ad SC. Trebell. L. ult. C. de curat. furios.* Valer. Max. VII. 7. ita & uxores, quæ in manum convenerant. Et inde interpretanda definitio Herenni Modestini. *L. 1. ff. h. t.* Quamvis autem hæ definitiones naturam atque indolem nuptiarum satis exprimant: ipsa tamen natura rectaque ratio facile persuasit Romanis, ut & ad FINEM earum respicerent, qui est liberorum legitimorum procreatio. Unde & nuptias dicebant modum adquirendi patriam potestatem. (P. I. §. CLI.) *pr. §. ult. Inst. de patr. pot. L. 4. ff. de his, qui sui vel al. jur.* Breviter quædam hic de Sponsalibus, Nuptiisque sunt a nobis allata, quæ uberiore disputatione absolvuntur ab Hotom. præsertim cap. I., aliisque de Sponsalibus, & B. Brisson. de Ritu Nuptiarum.

LIBRI SECUNDI

FINIS.

EPISTOLARUM GALLICARUM

LIBER TERTIUS.

LIBER TERTIUS

ANTONIUS PANORMITA

CAMBIO ZAMBICCARIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA PRIMA.

Gentem suam, Parentesque recenset.

HOdierno die, nec prius litteræ tuæ mihi redditæ sunt liberales quidem, & officiosæ, & a te sane profectæ: quibus a me scire desideras Agnationem, & Progeniem meam. Ego Cambi magnifice, etsi quod petis, aliis aperire erubescerem, de se quidem dicere non decet, tibi tamen nihil non assentiri persuasum habeo. Sum igitur Equestris ordinis, Henricus enim pater Eques ereatus est a Martino quondam serenissimo Siculorum Rege: a quo dignitates, honores, Magistratus, & quidem amplissimos assecutus est. Ego vero natus sum patre Prætore, (a) quæ dignitas apud nostrates præci-

(a) *Prætor* quasi qui præesset in monumentis antiquis legitur apud Gruter. Ita *Prætor Sacris Volcani*, alibique Prætor *Tiburtium*; Nomen autem Prætoris fuisse Latio quondam familiare docet præclare Spartian. in Hadriano cum ait: *In Hetruria Præturam Imperator egit: Per Latina Oppida Dictator, & Ædilis & Duumvir fuit*. Finitimarum itaque Gentium consuetudinem imitati sunt Romani, qui exactis Regibus Prætores crearunt, eosdem prorsus ac Consules, ut habet Non. *Consulum & Prætorum proprietas, quod consulant, & præeant Populis Auctoritate Varronis ostenditur, de Vita Populi Rom. libr. II. Quod idem dicebantur Consules, & Prætores, quod præirent Populo Prætores, quod consulerent Senatui, Consules*; ad illos etiam, quod Judicia spectarent, *Judices* sunt vocati, & Singula Cic. enumerat III. de leg. *Regio Imperio duo sunto, iique præeundo, consulendo, Prætores, Judices, Consules appellantor*, quo Judicis nomine non semper appellatos fuisse *Prætores*, seu Consules, nonnulli sunt arbitrati ex Livio libr. III. cap. LV. hæc habente: *Fuere, qui interpretarentur, eadem hac Horatia lege*, qua nempe Tribunorum Plebis, Ædilium, Judicum, Decemvirumque fuerat indemnitati consultum, *Consulibus quoque, & Prætoribus, quia iisdem auspiciis, quibus Consules crearentur, cautum esse, Judicem enim Consulem appellari; quæ refellitur interpretatio, quod his temporibus nondum Consulem Judicem, sed Prætorem appellari mos fuerit*: Aliis tamen Judices fuisse Consules, qui & Prætores placuit ex Varron. verbis libr. V. de Ling. Lat. *In Commentariis Consularibus scriptum sic inveni; Qui exercitum imperaturus erit; Accenso dicit hoc: Calpurni, voca Inlicium omnes Quirites huc ad me: Accensus dicit sic: Omnes Quirites ite ad conventionem huc ad Judices: deinde Consul loquitur ad Exercitum, Impero qua convenit ad Comitia Centuriata*. Utcumque se res habeat, neque dubium, neque obscurum est, jus Populo Romano dixisse Prætorem, ex superiore loco nonnum-

pua eſt, Sororii quoque mei Equeſtris ſunt gradus. Fratrum vero alter præclara ſapientia Jureconſultus, alter, & item tertius ut nobiles agunt, diſciplinæ militari, & ingenuis artibus operam dantes. Sumus præterea, ſi quid ad rem attinet, multitudine prope innumerabiles, divitiis, copiis, neceſſariis, affinitate, gratia, abſit verbo invidia, pollentes apud Urbem Panormitanam. His Panormii cognomentum eſt Bononia, illinc enim a quinque, & nonaginta ferme annis originem ducimus, ex progenie Beccatellorum. Vanninus etenim Beccatellus Avus meus Bononia profugus ob partes, & Civium diſſenſiones Panormium trajecit. Ibi innumerabiles ferme filios, filiaſque, nepotes, nepteſque procreat, auctoque numero, firmatoque domicilio, Bononiam reverti cum poſſet, noluit. Bononiæ vetuſtiſſima eſt familia, ab octingentis quippe annis extat memoria domus noſtræ. Fuit ille primus auctor familiæ Eques Regis Angliæ Orator ad ſummum Pontificem: ſepultus eſt Bononiæ apud Divum Joannem in Monte, ejus ſepulchro, niſi fallor, antiquius nil eſt in patria tua. Eorum domus, & palatia extant adhuc juxta Divum Stephanum, & plurima, & vetuſta. Helena Caniculorum pa-

---

quam, hoc eſt de Tribunali, nonnunquam ex æquo, hoc eſt de Plano, ad quæ toruaile judicandi genera revocari commode poſſunt verba Quintiliani libr. I. cap. VI. *Sitne Conſul*, & ipſe *Prætor*, ut ſuperius adnotavimus: *a Conſulendo, an a judicando; nam & hoc conſulere Veteres appellaverunt, unde adhuc remanet illud: Rogat boni conſulas, ideſt bonum judices*, concilianturque ſententiæ, quibus interdum Judex adſtruitur, aliquando negatur Judex fuiſſe, qui Prætoris munere fungeretur, eo modo quo dicitur habuiſſe ſupremam Judiciorum poteſtatem, de qua tametſi magis quidam, aliqui ſint minus loquuti, nulli attamen fuere, qui poſſent ambigere. Verum non eadem per omne tempus hæc fuit Poteſtas; pulſis enim ab Urbe Regibus, Prætores iidemque Conſules in Regum locum ſunt aſſumpti, ac Regia propemodum poteſtate Magiſtratum ineuntes, quod *cæteris præivere*, quod tradidit Juſtinian. Imperat. Novell. XXIV., iis conceſſa cum belli adminiſtratione, tum ſanciendarum legum facultate, nec alia de cauſa *Prætor dictus*, ait Varro de Ling. Lat. lib. IV. niſi quia *præiret jure, & excercitu*, hoc eſt exercitui præeſſet, *a quo Lucilius*

. . . . . . *Ergo Prætorum eſt ante præire*

Quamobrem *Prætores* olim quaſi *Præitores*, quod *jure & Excercitui* ſub primam Reipublicæ ætatem præfuerint; deſiit hæc interea poteſtas, & Prætoria dignitate ſortitus eſt quidpiam diverſam a Conſule Prætor, cum Populi Romani creſcente in dies Imperio, unaque ſimul recrudeſcentibus bellis, Roma ut plurimum abeſſe compulſus, præliiſque implicatus, jus amplius populo reddere non potuit; Immutata proinde rerum facie Conſules nomen Prætorum amiſere, Prætoriſque vocabulo peculiaris deſignatus eſt Magiſtratus, iis tantum communis, qui jus Populo dicerent, Viris nempe Patriciis, qui communicato Plebi altero Conſulatu honorem iſtum ſibi quæſierunt, & impetrarunt; ad quem primum unus tantum aſcendit, & ille Conſulibus bello avocatis, jus in Urbe Populo reddidit, vocatuſque eſt *Prætor Urbanus*, poſtmodum quod multa Peregrinorum Turba Romam veniret, uno non ſufficiente Prætore, primo ſecundus eſt additus, habituſque eſt *Prætor Peregrinus*, & inter Cives, ac Peregrinos, Peregrinos inter, & Peregrinos de more jus dixit; Cæterum jus dicturi Prætores, ut cuivis

parens, & Dorothea Guzadinorum, ex nostra sunt familia. Extat etiam Malatesta quidam, vir bello industrius, familiaris, & amicus Principis Caroli Malatestæ; in cujus aula Bononiæ offendes arma, & insignia domus nostræ, vetustis clipeis, & umbonibus inscripta, alas videlicet, & desuper alas viperam divorum Principum Mediolani insigne. Illorum quidem partem sustinuerunt semper majores mei, a quibus, & pluribus donis exornati sunt: cujus argumento tibi sit ipsa illa vipera, quæ nostris eminet armis. Hinc etiam Panormitani mei memoriter, & summo cum animi desiderio, ac fide prosecuti sunt Mediolani Principes; quibus quippe pro antiquis benemeritis debent res, membra, atque etiam animas. Et extat adhuc in nostris Panhormii quidam, cujus etiam audentia, ne audaciam dixerim, pro hujus nostri Principis amplitudine pluribus innotuit, & Principem fortasse non latet. Prætereo hoc loci epistolas, quas quotidie ex Panormio accipio, quibus me monefaciunt mei, uti nulli me dedam in Italia, nisi eorum domino divo Principi Philippo Mariæ, cui soli, ut eorum cætera, sic & meæ musæ debent, Ex quo hactenus nonnullorum ego Principum, ut ita dicam, servitia, & munera repudiavi, atque rejeci: aut enim Philippo ipsi dignissimo Principi inservient musulæ meæ, aut certe perpetuo obmutescent. Habes igitur originem meam mi Cambi, qua in re si quid impudenter, aut inepte a me dictum est, erit quod tibi potius imputetur, qui id ipsum ut scriberem exegisti, non mihi, qui viro summo, ac modestissimo, meique amantissimo obtemperaverim. Aberrare quidem haud poterit, qui Cambio morem gerit. Tuus posthac labor erit imperare, mihi jussa capessere. Vale, nam cætera fient, ut desideras,

AN-

---

nota esset ratio, qua id forent Anno suo præstituri, in Albo prius constituebant Edictum, cui ab edicendo nomen, quod ex Cicer. II. de Fin. inito Magistratu habita concione, juratique in leges faciebant; Juris porro dicundi formam tria hæc potissimum verba comprehendebant: *Da, dico, addico*, nam *dabat Prætor actionem, dicebat jus, addicebat tam res, quam bona*, horumque trium Verborum prolatione *Fastis* non modo, verum & *Comitialibus*, quin & primo *Nefastis* diebus fari Prætori licebat, qui sella posita istud quum sedens perageret, ii *Sessionum dies* sunt appellati, *Postulationibus* alii, & alii *Cognitionibus* attributi. Ad Prætorum Edicta quod attinet, non modici in Jure fuere ponderis, eaque *Juris honorarii* nomen obtinuerunt; cætera deinceps quum Prætores haberent nullo a reliquis Magistratibus argumento diversa, dissimilis tantum Ordinis insignia præseferebant. Hastam, & Gladium, *illam quidem ad Jurisdictionem, hunc ad Quæstionem significandam*; Hi Romani fuerunt Prætores, amplissima profecto dignitate, sed eos inter, alter *Major*, nempe *Urbanus*, *Minor* alter, nempe *Peregrinus* est creditus, Triplex quod affert Hotoman. discrimen sic notatur a Cl. Viro J. Vincent. Gravina de Ortu & Progres. Jur. Civil. cap. XXXV. *Nihil vero statuo de triplici discrimine inter has*, idest Præturam *Urbanam, & Peregrinam, ab Hotomanno notato: nobis enim nondum liquet aliud, nisi quod inter Peregrinos & Cives jurisdictionem excerceret. Incertum est autem, an solus Urbanus edictum in* Albo *proponeret, an apud eum tantum*, legis Actio *fuisset, nec facile est ex uno, aut altero Vetustatis loco, rem adeo obscuram evolvere;*

ANTONIUS PANORMITA

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA SECUNDA.

Explicat quas ad illum litteras dederit, bene de se sentienti mentem suam prodit, de jucunditate ex ipsius adventu ac nonnullis a se scribendis, de Virgilii, Liviique libris paucis adjectis, ad se vult ab eo perscribi prolixius.

HEri quam primum mihi reddita fuit epistola tua, tibi respondi non quidem syllabatim, ut soleo, litteris præsertim tuis, sed solum particulæ, qua petebas a me Progeniem, & Genesim (a) meam. Qua in re si quid in respondendo peccaverim, petenti tibi potius imputandum, quam mihi certe, qui obtemperaverim bono, & spectato viro, meique plurimum studioso: non quod ex meis quicquam laudis expetam, aut existimationis,

,,...Mi-

Quin etiam siquid hac super re definire vellemus, cogeremur ab Hotomanno dissentire, siquidem Theophilus in Institutionibus ait: Datum est jus legis ferendæ præcipue Prætori Urbano, & Peregrino, & Ædilibus Curulibus, idque jus honorarium dictum. Singula dum enumeramus, eo sumus animo, ut Panormitanam Prætoris dignitatem admiremur, quod præsertim ad Romanæ Præturæ ornamentum propius accedat, & quo jure ad Romanam Rempublicam Panormitanus Prætor referatur, egregia præ aliis Disputatione absolvit Vincentius Littara Netinus, cujus institutione deprehendimus. Nostr. Auct. non injuria scripsisse, *Præturam* esse Panormi dignitatem præcipuam, qua Primores ornentur inter Patricios, ad Paternarum consuetudinum jura servanda, Populique amorem fovendum, ingenti non sine laude incumbentes.

(a) Nec obscura, nec nova inter Latino, voce utitur Panorm., cum Genesim hic repenit; obvia est illa potissimum in Juvenal. Sat. XIV. v. CCXLVIII.

Nota Mathematicis *Genesis* tua...; eoque sensu dicitur, quo *Generatio*, sive *Nativitas* credatur, quæ nonnumquam aliqua diversitate pro Natalitio Sidere accipitur, ut apud Sveton. in Vespasian. cap. XIV. *Ut suspicione aliqua, vel metu ad perniciem cujusquam compelleretur, tantum abfuit, ut monentibus Amicis cavendum esse Metium Pomposianum, quod vulgo crederetur Genesim habere Imperatoriam, insuper Consulem fecerit, spondens quandoque beneficii memorem futurum*. Hac postrema significatione vocarunt nonnulli *Genesim*, & *Horoscopum*, denotantem momentum temporis, quo quisque nascitur, quasi *horæ inspectionem*, & *notationem*; Item *Nascentiam* dixere quidam, sed Medii tantum Ævi Auctores non latini; Sic S. Audoenus in Vita S. Eligii libr. II. cap. XV. *Nullus*, ait, sibi *proponat fatum, aut Fortunam, aut Genesim, quod vulgo Nascentia dicitur*, & Orderic. Vital. lib. II. *An esset*, inquit, *aliquid in nobis, quod nec Genesis, sed Dei judicium gereret*. Cætera legas in Fragmento Petronii.

. . . . . Miserum est aliorum incumbere famæ,

sed quia tibi, tuæque auctoritati quavis in re mos gerendus fuit. Ego, si nescis, id vehementissime studeo mi Cambi, ne a majoribus meis degenerem, neve tuum de me testimonium, vanum, aut falsum habeatur, neque modestiæ minus mihi curæ erit, quam musarum. Hermafroditi versus est.

Scilicet impuris Pegasis unda latet.

Crede mihi non potest Poeta quisquam evadere, nisi pius, & simplex animo: si quid vero in adolescentia jocati, & vagati sumus.

Quædam cum prima resecantur crimina barba.

Postremo velim desinas de me adeo magnifice loqui: commendare enim quempiam supra morem, non honorare, sed rectius onerare est. De his satis, superque. Adventus ad nos tuus mihi jucundissimus, & felix est. In portentum illud hominis jamdudum nihil scribo, occupatus videlicet non tantum negotiis, quantum spe, & futuræ vitæ eventu, quicquid tamen edidero, primum omnium leges, ac perleges. Æneam tuum nondum retractavi, recorrigam profecto illum, vel ad fastidium, si modo moræ patiens fueris, sin minus, mittam ad te interim meum. Tu contra si Livium meum interlegendo aliquando emendaveris, haud facies inofficiose. Litteris hesternis, nam puto te illas recepisse jam, respondeas, te peto, paulo prolixius, utinam prospero, & tranquillo nuntio. Vale meum decus.

ANTONIUS PANORMITA.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA TERTIA.

Significat, quo tempore librum emendatum ad illum sit remissurus: Itineris caussas ab eo perquirit, ipsumque invisendi, ac juvandi est cupidissimus.

ÆNeam tuum mea opera recognitum, atque recorrectum ad Christi Dei optimi natalitia tibi restituam: majore quidem ex parte jam emendatus est, cras enim octavum librum absolvam. Habui adjutorem Maphæum Veggium Poetam haud rejiciendum, interdum Catonem Jurisconsultum, nec a Poetis abhorrentem. De isthac tua peregrinatione multi multa, ac varia disseminant: tu, si res nota est aliis, non facis amice mihi illam non renuntiare, itaque si modo fas est, nec potius ex aliis, quam ex te accipiam quicquid ad rationem vitæ, ac fortunæ tuæ pertineat. Hæc eo spectant, ut intelligas, nihil me vehementius concupiscere per hæc tempora, quam intelligere, quorsum evasura sit hæc tua profectio, quæ felix, & fortunata sit. Rursum adjicias, an hac transitum daturus sis, alioqui Mediolanum, ut teipsum

tantum videam, accedam, teque deosculer ante digressum. Si qua ex parte prospicis me posse conducere itineri tuo, intrepide jubeas, vel capitis periculum adire non verebor, si modo tibi quivero prodesse, saltem precibus, ac votis nusquam defuero. Vale mea lux.

ANTONIUS PANORMITA.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA QUARTA.

De suarum litterarum paucitate illi satisfacit, ejusque litteris inhiat.

Quod frequentius ad te non scribo, nolim adscribas negligentiæ, aut inertiæ, sed ita suadet eximia, & prope singularis virtus animi tui, ut nihil ad te scribere, nisi magnifice, & accurate debeam.

..... *Magnum magna decent* (a).....

Verum hac tempestate ita animi tranquillus sum, ut si magnopere id ipsum concupiscam, tuæ tamen magnitudini satisfacere, haud quaquam confido. Dispeream, mi Cambi, nisi barbarus effectus mihi videor, & a musis omnino destitutus, est sane quod mihi indoleam, est quod angantur, & quidem vehementer amici mei, quos si certe nequivissem, tentassem tamen immortalitati commendare. Sed hæc missa faciamus, aderit aliquando vocatus Apollo. Tu vero qui me longe exuperas fortitudine, si ex mediis occupationibus tuis quicquam exaraveris, eo mihi jucundiores erunt epistolæ tuæ, quia ex mediis occupationibus profectas intelligam. Vale.

(a) Convenit ista, quam affert hic Panorm. Nost., cum Virgilii sententia Ecl. IV., cui Pollio argumentum præbet ac nomen; v. I. habens:

Sicelides Musæ paullo majora canamus,
Non omnes arbusta juvant, humilesque Myricæ,
Si canimus Sylvas, Sylvæ sint Consule dignæ.

Sive enim sit explicandum cum quibusdam, ut Consulis dignitas ad sylvarum humilitatem usque depressa, per carminum sonum ad novæ fastigium dignitatis assurgat, vel ipsa juvante canendi materie, sive cum aliis dicendum, Bucolicos versus depromendos esse, qui Consulem deceant, dubio procul ostenditur, magnitudine laudis magnam esse virtutem exornandam, neque magnos animos quidquam decere præter illud, quod mediocritatis fines latius prætergrediatur.

ANTONIUS PANORMITA CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA QUINTA.

Domus locandæ anxietate discruciatur, Christophoro, ad quem una cum Epitaphio Leonardi citharœdi, litteras misit, est iterum scripturus.

IGitur erit tibi curæ, ut domum certo die habeamus ab Antonio Beccaria viro magno: nam litteras ad eum mitto, quibus, nisi fallor, flecti poterit, te præsertim Interprete. Fac tandem ipse rescribat, nam si nobis verba darentur, eo temporis ne Casam (*a*) quidem hic conducto reperirem. Illud etiam, quantum in te est, contendas, ut in præsenti nobis assignetur domus: nam Bartholomæo Ulpio meam hinc ad duos menses sum pollicitus relinquere. Christophoro nostro aureo adolescenti responsum rettulimus: in quibus Epitaphium Leonardi clarissimi citharœdi interclusimus, de quo quid senseris tacuisti, quasi tacitus despuas, quod propalam non laudas. Iterum Lampugnano

---

(*a*) De *Casa* Isidor. egregie libr. XIV. Orig. cap. XII. *Casa*, inquit, *est agreste habitaculum a Palis, Arundinibus, & Virgultis contextum, quibus possunt tueri a vi frigoris, & caloris*, & *Casa* etiam dicitur *hospitiolum*, item *Tugurium*, ac *Pergula*; Dictæ sunt *Casæ Stramineæ* ab Ovid. Amor. II. Eleg. IX. v. XVII.

Roma, nisi immensum vires promollet in Orbem,
Stramineis essent nunc quoque tecta *Casis*.

Casas idem vocavit Ovid. *Tentoria Militum* Fast. III. v. DXXV.

Plebs venit, ac virides passim disjecta per Herbas
Potat, & accumbit cum pare quisque sua;
Sub Jove pars durat, pauci Tentoria ponunt;
Sunt quibus e ramo frondea facta *Casa* est;
Pars ibi pro rigidia calamos statuere Columnis:
Desuper extentas imposuere Togas;

Casæ, quæ Pauperum fuere, locum Proverbio latino dederunt apud Senec. in Thyest. v. CDLI.

Scelera non intrant *Casas*.

quo significatur frequentius inter egenos, quam inter divites morum innocentiam coli, aliudque Proverbium in Terent. legimus Phorm. v. II. III.

Ita fugias, ne præter *Casam*, ajunt.

explicaturque, ne vites adeo culpam aliquam, ut in pejorem ruas. Iste latinus *Casæ* usus fuit, rusticæ semper, ac vilis Domus; & ad ipsam Domum indicandam *Casa* est assumpta, cum ad Græcam Originem relato vocabulo *Casa* pro Tecto est accepta, ut enim Tectum Universæ Domus ædificium comprehendit, ita Casa, idem propemodum ac Tectum Domum ipsam nonnumquam denotavit, quo respexisse credendus est Panorm. Nost., ne loquutionibus exoticis adhæsisse dicatur, quibus in leg. Longobard., alibique minus latine scriptas animadvertimus, *Casas Regis*, *Casas Dominicas*, aliasque formulas Latio indignas.

no ſtatim reſcribo hortatu tuo, perfacile habes perſuadere mihi quod ultro, ac ſponte volo, volo autem ita, ut nihil ardentius velim, quam ornatiſſimo illi adoleſcenti litterarum vicem reddere: immo epiſtolis eum, ut ita dixerim, obruere, modo me mutuo diligat, ac perſeveranter amet. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA SEXTA.

Illum ex ſententia Cremonæ in Amicitia conſtantem prædicat, cui numquam eſt defuturus in Amore.

EX Antonio Cremona, viro jucundiſſimo tuam, tuorumque valetudinem intellexi: hoc primum, nam de te ſemper apud me primus habetur, & celebratur ſermo; deinde noctem pene totam inſomnem duximus de amicitia, de ſtudiis litterarum, de te maxime differentes. Crede mihi repetivimus a gemino, ut ajunt, ovo, contulimus, comparavimus, judicavimus fere omnes, quos aut vidimus, aut audivimus, & adhuc ſimpliciorem, conſtantiorem te invenimus neminem. Nam etſi ille quoſdam neſcio quos recenſeat, vel animi fortitudine, vel rerum cognitione tibi pares fortaſſis, in hoc ipſe tamen a me nihil diſſentit, amicitiæ palmam, & gloriam ſine controverſia tuam eſſe. Perge mi Cambi, ut aliquando dinumeremur inter tria illa, aut quatuor amicorum paria. Ego pro virili parte nunquam defuturus ſum amicitiæ noſtræ, immo vero, ſi fiat opus, etiam, atque etiam capitis periculum adiero, ut noſtram hanc ſervem ſanctiſſimam conſenſionem: amicitiæ laus illa quidem præ cæteris perſpicua, atque homine digna eſt. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA SEPTIMA.

Quas antea detrectaverat, ad ipſum ultro litteras mittit.

PHilippus Rex ille celeberrimus Alexandri Pater ita, ut tradunt, in Teſſelam quandam mirifice, ac perdite affectus erat, ut poculo potius amatorio, aut veneficiis occupatus putaretur, quam ex animo illam diligere: cum vero is rumor Regi innoteſceret, exhiberi Teſſelam ad ſe jubet, quam alloquutus, atque altius perſcrutatus, *Diſpe-*

sperent, inquit, *calumniatores mea Tessela*, *tua quidem indoles*, *&* *insignis modestia id ipsum est*, *quod amoris incantationes arbitrantur*: *pocula enim tua non Pharmacis*, *ut ajunt*, *sed probitatis suavitate condita sunt*. Id nunc, & quotidie in mentem venit mi Cambi suavissime quoties erga te amorem dimetior, & contemplor meum: tantus enim, tamque exuberans est, ut non amare, sed insanire potius videar, nec Pharmacis, sed egregia tui animi virtute, & humanitate, hujus enim furoris rectius quam amoris in te mei exempla sunt ferme innumerabilia: sed hodie præsertim, audiens ego a Ferussino viro tersissimo, & Jurisconsulto singulari, te vehementer avere epistolam meam nuper ad Principem haud facile scripserim, vel in re minima mei animi sollicitudinem, angorem, discruciatum, quod tuæ minime possem obsequi voluntati, exemplum enim litterarum nullum extabat, quod ad te mitterem, ediderami equidem illas ex tempore, non Principe tamen dignas, fateor, malui enim tibi, & Francisco Barbavario viro maximo obtemperare, quam meæ laudi prospicere; nec tantum studui Principis nostri laudes eo loci recensere, quod tu pro singulari desiderio, quo flagras in Principem fortassis expectas, quantum uti meum, meorumque omnium erga se obsequium Princeps recognosceret. Etenim bona hujus nostri Cœsaris non laudum utique sed venerationis sunt, quæve exuperent officium humanæ linguæ. Meo quidem judicio, si quis juste sapit ea tacitus admiretur, veneretur, adoret, quam vel magniloquentia complecti ea posse speraverit. Sed ad te redeo, cui dum nequeo morem gerere, & ex eo excrucior, Ergoteles mearum studiosus ineptiarum enuntiat, se furtim exscripsisse me insciente litteras, quæ vox quam mihi jucunda, quam, quia tibi gratificari non poteram, paullo ante conceperam, colliges. Eam igitur epistolam, quam tu petis, apud nos easu repertam tibi rescripsimus, non quod ab ea quicquam ponderis, aut dicendi copiam requiras, per hæc quidem tempora nihil accurate possum, sed ut obsequerer mandato tuo, cui refragari, nefas puto, sed longius exspatiatus sum, quam initio putaverim, & dum unas studeo ad te litteras describere, binas dabo. Tu vero qui non aurum, sed meas fæces sitire solitus es, fæces bibe, & Vale.



ANTONIUS PANORMITA

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA OCTAVA.

Commendato Hieronymo Forliviati de suis ad Principem litteris, de Celsi, ac Imperialis Epistolis, nec non de Imperiali præclare sermocinatur.

Hieronymus Forlivias, is cujus, & ingenii suavitatem, & erga me gratiam tibi cognitam feci, venit ad me recepturus a Principe non admodum grandem pecuniam. Quare a te peto, & pro tali amico etiam te rogo, hominem ne rejicias, ut fit, in alios venturos dies: sed si potes eodem illo die, quo primum videris, illum absolvas, expedias: deditus, & quidem totus est studiis legalis sapientiæ, a quibus vel una hora vacare permoleste fert: alioquin, ut dixi, tam totus meus est, quam grandis est, tuæ etiam gloriæ perquam avidus. Usque huc præter eum neminem reperi, qui Livii ingens illud volumen ad te deferre non gravaretur: is vero tam libenter ad te codicem affert, quam ego mitto, vel quam tu illum perlecturus es scio. Hæc hactenus. Cum hæc exarassem, redduntur mihi litteræ tuæ ea mehercle suavitate descriptæ, qua tu præ cæteris, cæterorum pace dixerim, præditus es. Illis ego nunc non prolixe, ut desideras, sed perpaucis, uti multa nox suadet, respondebo. Misissem tibi litteras meas illas ad nostrum Cæsarem, nisi Dominicus Ferusinus clarissimus adolescens, scriba Principis detulisset illas ad Franciscum Virum clarissimum fidus tabellarius, & peropportunus: saltem modo tibi fecissem copiam litterarum, si modo extaret apud me copia. (*a*) Non ea diligentia scribo mi Cambi per hæc tempora, ut conservari meas exoptem ineptias. Quamprimum transcripta fuit epistola, vix quidem relecta, illam Dominici fidei commisimus, curo tamen a scribis nostris, ut tu quoque illius particeps fias. Reddita tamen adhuc Principi non est, etenim, ut ille ait, tempori aptari decet: & referunt Principem hisce diebus apprime occupatum arduis quibusdam negotiis extitisse. Captato igitur tempore rem aggredientur, quod Dii bene vortant. Celsi item epistolæ tuo no-

(*a*) *Copiam* exemplum vocaveris ab Autographo, ut inquiunt, eductum; Vocis hujus expressa fit mentio a Vetere Interprete Concil. Constantinopolit. sub Menna; *Copia actionis formatæ contra Petrum*, & occurrit illa praterea penes Jo: Hocsemium a Marka Episc. Leod. cap. VI., aliosque; Commodo autem Recentiorum effictam nuperrime, ut arbitratur Reinhart. Robig libr. X. cap. XV. affert hic Panorm. declaraturus, nullas omnino se ab Exemplari transcripsisse alio mittendas Epistolas.

nomine tranſcribi curabo. Cum remiſeris ad me Andreæ Imperialis Viri clariſſimi epiſtolam, ſtudebo paulo etiam accuratius illi laudes, & gratias referre. Interea, ut facis, virum imprimis eloquentem, & ob incredibiles ejus virtutes, & meam ob cauſam non ames, ſed vehementer ames, nec vehementer ſolum, ſed etiam vehementiſſime velim. Propinquos autem tuos fortes, & incolumes eſſe ſumma cum voluptate ſemper accepi, quorum proſperitatem ſi ſæpe mihi renuntiaveris, præter tuam nihil certe mihi afferre jucundius potes. Valeant igitur illi Bononiæ. Valeas tu. Valeant omnes, quorum valetudo mihi dividua eſt. Ego quidem cum Joanne Feruffino Juriſconſulto valemus perbelle.

ANTONIUS PANORMITA

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA NONA.

Incitat, ut ocius ad ſe reſcribat, committitque illi litteras Palatio, ac Marcolino, Dominico, & Piccinino reddendas, una cum Epigrammate, quod luculenter illuſtrat.

SUperioribus diebus litteras ad te dedi tribus epiſtolis, quibus cumulate, ut arbitror, ſatisfeci quæſtioni tuæ. Tu tamen adhuc ſiles, & reſponſionem differs, quaſi nunquam fueris periclitatus, amanti, & ſperanti quam gravis, & dura ſit omnis dilatio. Sed de his ſatis ſuperioribus epiſtolis. Andreæ Palatio Viro beneficentiſſimo litteras, quas tuis alligabo, reddi facias, & ſi potes etiam manibus propriis: cui velim inſuper gratias, & laudes agas pro eo, quod ſumma cum diligentia me quotidie exornet, ac commendet apud Principem noſtrum: eumque ad id quod facis horteris, atque excites licet ſponte currentem. Item epigramma, quod tuis hiſce epiſtolis includo, Marcolino, & Dominico, Piccininoque claris adoleſcentibus reddi curato, id quidem a me magnopere petierunt, quod frontiſpicio (*a*) eorum Can-

(*a*) *Frontiſpicium*, vel dixeris *Frontis inſpectionem*; vel *Frontis ornamentum*; Utroque ſenſu latinitati tribuitur deteriori vocabulum: Primum autem verba præſeferunt Willelm. Malmesburienſ. lib. I. de Geſtis Pontif. *Quod ille ſtatim vivacitate ſenſus intellexiſſet, quantæ prudentiæ Lanfrancus eſſet ex dignitate Frontiſpicii, & faciei*; Secundus depromitur ex Chron. Ord. S. Benedicti Tom. VI. in quo Sancius Rex ita loquitur: *Nos Sancius Rex Garciæ Regis Filius una cum Blanca Conjuge dilectiſſima, hoc aureum Altaris Frontiſpicium Intemeratæ Virgini Mariæ offerimus*; Subeſſet ergo reprehenſioni locus in Panorm. vocem non latinam uſurpante, niſi per licentiam quamdam, vel imperitis pervius, ex latinorum phraſibus, uno tantum verbo, aut altero ad vernaculum ſermonem prudenter divertiſſet.

Cancellariæ (*a*) subscribant. Alloquitur advenientes; quos monefacit, ut absistant, neque id studeant videre, quod vidisse pœniteat exemplo Acteonis. (*b*) Rursum ne strepant exhortatur, quoniam luna eo loci eclipsim non patitur. Consueverunt enim veteres, & nota est fabula, quoties luna eclypsi laboraret, illi obstrepere tubis, cymbalis, & hujusmodi tintinnabulis, arbitrantes incantu, & veneficio illam occupatam, eoque pacto ideft strepitu lunæ succurrendum esse. Unde præclare Statius.

Sic cadet attonitis quoties avellitur astris
Solis opaca soror, procul auxiliantia gentes
Aera crepant, frustraque timent, ac Thessala victrix
Ridet anhelantes audito carmine bigas.

Juvenalis quoque facetissime non tubis, & ejus generis strepitu esse opus inquit, sed una dumtaxat muliere, siquidem in ea verborum tanta cadit vis.

Tot pariter pelves, & tintinnabula dicas
Pulsari, jam nemo tubas, nemo æra fatiget,
Una laboranti poterit succurrere lunæ. (*c*)

Si

(*a*) (Scimus, & hanc veniam petimusque, damusque vicissim.)
Serviendum interdum necessitati esse; licet candor latinus adversetur, vocavit attamen hic Panorm. quasi Vulgi de more sit loquutus, *Cancellariam*, locum in Palatio, Regiorum, publicorumque Codicum asservandorum gratia Cancellariis antiqua consuetudine addictum, cujus meminisse putatur Edictum in Carlsiaco A. DCCCLXI. *Propterea necessarium duximus, ut commendationem nostram ex hoc scribere rogaremus quæ ex more in nostro Palatio apud Cancellarium retineatur*, in Cancellaria enim retinentur, quæ retineri usuvenit penes Cancellarium in Palatio.

(*b*) Habetur Poeticas inter Auct. Nostr. lucubrationes venustum Epigramma, illudque, ut legentibus pateat, inde transcriptum huc reponimus.

Hic Ducis Anguigeri dantur secreta tabellia,
Quisquis es, a nostro limine verte pedem.
Flecte aciem, noli nudam spectare Dianam:
Nec strepe, non atria Luna laborat equis.

(*c*) Carmina sunt Juvenal. Sat. VI. v. CDXLII. Quod vero, sive a Poeta, sive a Rhetore in Luna, *Deliquii*, *Laboris*, *Defectus*, reive cujuspiam similis nomine circumfertur, Græcissantibus a Philosophia vocatur Ἔκλειψις, cujus diligentius Inquirenti Naturam, molestum forte non erit, aut grave Jo: Cleric. Physic. libr. I. cap. VIII. num. XVI. breviter sic differentem audire.

Inter Lunæ Phænomena observatu facillima, & quorum ratio maxime patet, quamvis superstitiosos & ignaros Physices populos maxime terruerint, sunt Lunæ Eclipses. Luna enim Eclipsin patitur, quando radii Solis, quibus illustratur, intercipiuntur interventu Telluris. Hinc fit ut Eclipses fiant dumtaxat tempore Plenilunii, quando Luna Soli opposita est; quia eo solo tempore Terra est inter Solem & Lunam.

Attamen, in unoquoque Plenilunio, non cernuntur Eclipses; quia cum Terra semper in eamdem cœli partem umbram projiciat, non semper incidit in Lunam, cujus orbita non sequitur Eclipticam, sed modo ad Austrum, mo-

Si vero fabula non esset cognita scribis nostris, eam illis velim exponas, non hisce meis quasi quibusdam Commentariolis ad Epigramma, sed potius vivo sermone, quæ fuit causa hujus epistolæ. Illud etiam eis renuntia, me pro eorum sententia mutaturum Epigramma, si minus collibuerit. Vale meum numen, & quamprimum aliquid rescribe.

ANTONIUS PANORMITA.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA DECIMA.

A Maphæo quid sit rescribendum Piccinino, sua Poesis, quæ sit futura, & ad illum quale sit Epigramma missurus eloquitur.

MAphæus noster ut jubes Piccinino illo Saccaro, & melli gentium respondebit, non quidem oratione prosa, (*a*) in qua minime

 ver-

= do ad Boream declinat. Itaque = Luna Terræ umbram, modo Australior, modo Boreallor, fugit. = Vix tamen, per annum integrum, = Luna umbram Terræ fugere potest, ut observant Astronomi, qui = & quo maxime tempore umbræ = immergatur docent: quod nos hic = brevitatis causa, non adtingemus.

(*a*) Erroris Panorm. hic insimulabunt, quicumque adhærent Cælio Calcagnino, & Anton. Mureto, quorum primo in Epistolicis Quæstionib. Epistol. XXIV. lib. I., altero deinde in Prioribus ad Terent. Adnotationibus non probatur *Prosa*, sed *Prorsa* videtur apponenda ex Veterum latinorum Codicum Fide, præsertim quum vox manet a Nomine Adjectivo *Prorsus*, quod littera R notatur apud Festum, in quo leguntur: *Prorsi limites*, & a vetustis quoque Gloss. refertur: *Prorsa Tunica*; Hac autem in re nihil est caussæ, cur obstrepant, acriusque conclament Calcagninus, & Muretus, tametsi enim *Prorsum* latini nonnumquam dixerint, interdum tamen & *Prorsum* dixere, quod eo liquet vel maxime, quia latinitati quandoque placuit R libenter *effugere*, *ne birriret*, ex Poeta quodam ait Diomedes, apud Frid. Taubman. Adnotation. in Curcul. ad illud Act. V. Sc. II. v. V.

...... Pater tuus rursum tibi.

qui *Rusum* expioso R dici posse ex Plauti ipsius permultis aliis locis propugnat, & *Prosus*, quo sensu *Erectus* Varronis Auctoritate prolata ab eodem Taubman. ostenditur, ab illo exinde τὸ *Prorsa* secluso, firmatur *Prosa*, ejus quidem generis *Oratio*, quæ *Recta sit*, cui opponitur *Carmen*, *Oratio* sane *non recta*, quod nempe *quadam diversitate cantus inflectatur*; *Prosa* etiam vocatur *Oratio soluta*, diversa scilicet ab *Oratione metrica*, quæ *numeris* est *adstricta*; aliquando & *Pedestris* appellatur, sua nec arte carens, neque convenientia, cujus Auctores, proprietatemque recensuit Strabo I. Geograph. ex versione Xylandri sic scribens: = Imo, ut dicam, quod res est, = Pedestris Oratio, quæ quidem sit = arte parata, Poeseos est imitatio; = Primo enim omnium Poeticus apparatus in medium prodiit, approbationemque meruit: Post = eum imitantes, mensura dissoluta = reliquis Poeticis conservatis sua, = conscripserunt Cadmus, Phere-

versatur, sed carmine. Efferetur laudibus, quod cupis Piccininus noster, tuque etiam Cambinalia tua agnosces, & decantaberis ad summum. Maphæus enim tuus est integer, tibi pollicetur, ac dedicat omne suum studium, versus, & musas. Ego quoque post paucos dies poetari incipiam,

..... *Pierius menti calor incidit* .....

& absolvam Diis volentibus opusculum quoddam inceptum, Epigramma illud ad sepulturam genitoris tui Viri summi conficere etiam cordi est, tu modo Patris optimi laudes perstringas, & mittas mihi. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA UNDECIMA.

Suam de Guarini, Candidique Orationibus, itemque de Candido, edocet mentem, mittendorum Epigrammatum, curarum, Scribarumque deinde meminit.

SI valeas, ita valeo. Accepi tandem orationes Guarini, & Candidi, perlegique ad satietatem: quamprimum invenero qui non gravetur, illas ad te remittam. De Candido juxta tecum sentio, hominem

sane

= cydes, atq; Hecatæus: deinde po-
= steriores subinde aliquid tale sub-
= trahentes, Orationem ad hanc,
= qua nunc usurpatur, formam de-
= duxerunt, veluti de sublimi quo-
= dam statu: Perinde ac si quis dice-
= ret, Comœdiam esse a Tragœdia
= procreatam, hujus sublimitate
= depressa usque ad eam formam,
= quæ nunc *Prorsæ* vocatur Oratio-
= ni similis. Jam quod veteres vo-
= cabulo canendi pro voce dicendi
= usi sunt, hoc ipsum testatum facit,
= fontem, & principium Orationis
= Artificiosæ, atque Rhetoricæ
= fuisse Poeticam; Hæc enim, quum
= se ostentaret, cantum adhibuit;
= fuitque Oda, seu Carmen nonnisi
= Oratio Cantilenæ accomodata,
= unde Rhapsodiæ, Tragediæ, ac
= Comœdiæ nomina sunt facta; Itaq;
= quum vocabulum dicere primo
= omnium de Poetica esset usurpa-
= tum dictione, quæ cum cantu erat
= conjuncta, canere iis, & dicere pro
= eodem sumebantur, quorum
= quum alterum Pedestri Orationi
= accomodarent, abusio etiam ad
= alterum pervasit; Quin & hoc ip-
= sum, quod Oratio versu carens,
= *Pedestris* vocatur ostendit Ora-
= tionem a fastigio quodam, & ve-
= hiculo humum esse deductam. =
Prosam nec Ecclesiastici Auctores
ignorarunt, eamque vocavere, quæ
in Missa canitur ante Evangellum in
Majoribus Festis, alio equidem nomine *Sequentiam* de qua Udalricus
in Consuetud. Cluniac. lib.I. cap.XI.
Prosa, ait, *quod alii sequentiam vocant, non cantatur, nisi in quinque
Festis Principalibus*; Eam autem
Prosam nonnulli, quod metricas regulas non servet, *Sequentiam* alii
nominarunt, quod *Graduale* subsequatur, illiusque facit Auctorem

ſane non judicas, ſed depingis. Epigramma illud ad Catellam Antonii Abbatis Viri clariſſimi ſi ſiverint indignatiunculæ ad te mittam tametſi nolit Abbas noſter, ut offeratur,

Mittam equidem, licet arma mihi, mortemque minetur.

Epigramma autem illud ad genitorem tuum virum ſummum componam ut primum furorem collegero, quod in præſentiarum enixe ſtudeo; non minora quidem illi & ego debeo, qui te mihi genuit: ſed ſi quiſquam ſine furore obnitatur, perridicula eſt ejus omnis Poeſis, ſtatim nihilominus tibi obtempero. Cætera non ſinunt curæ, & hæ quidem barbaræ. De ſcribis noſtris jam pridem nihil audio. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA DUODECIMA.

Silentii ſui, Piccinini Magni, & Adnotationum in Plautum rationem reddit, additque deinceps Amoris confirmationem, & non pauca de Catone Juriſconſulto, ſalutationemq; Jacobi.

NEſcio an tu pariter queraris ſilentium iſtud meum diuturnum ſimul, & odioſum: eſt ſane quidem, ſed dum tuis ſcribis obſequelam

---

Durandus libr. IV. cap. XXII. Notkerum Abbatem S. Galli, canique in Eccleſia docet ex Nicolai Pontif. Max. Inſtitutione, & qui *Sequentias* continet *Sequentiarius liber* conſcribitur potiſſimum ab Eckerard. Junior. de Caſib. S. Galli cap. XI. *Quidam Fratrum Eccleſia egreſſus Sequentiarium manu ferebat, quem illi aſſumentes in Sequentia dici Notkerum Balbulum laudant.* Prætermittendum ultimo non eſt, Vetuſta Romanorum ſuperſtitione *Prorſam*, ſive *Proſam* Deam invaluiſſe, quæ nimirum rectis Partubus intelligeretur præeſſe, ut *Poſtverta* præpoſteros avertere cenſebatur; Utramque ſic e Varrone deſcribit Gell. libr. XVI. cap. XVI. *Eſſe Pueros in utero Varro dicit capite infimo nixos, ſurſum pedibus elatis, non ut hominis natura eſt, ſed ut arboris, nam pedes, cruraque, arboris appellat Ramos; Caput Hirpem, atque Caudicem. Quando igitur*, inquit, *contra naturam forte converſi in pedes brachiis plerumque diductis retineri ſolent, ægraſque tunc Mulieres enituntur; Hujus periculi deprecandi gratia, Aræ ſtatutæ ſunt Romæ duabus Carmentibus quarum una* Poſtverta *nominata eſt*, Proſa *altera, a recti perverſique Partus poteſtate, & nomine; Proſæ*, item & *Antevortæ*, quin & *Porrimæ* nomen olim adhæſiſſe docemur ex pluribus non eodem verumtamen ſenſu ab omnibus; hinc mente a Varrone longe diverſa *Porrimam* Ovidius expreſſit Faſt. I. v. DCXXXI.

Siquis amas Ritus veteres, adſiſte precanti;
Nomina percipies non tibi nota prius.
Porrima placantur, *Poſtvertaque*, ſive Sorores

Iam facio, potes id æquiore animo ferre. Quid tibi voluptuosius in vita est, aut esse debeat Piccinino Magno? Et erunt, nisi fallor, hæ nostræ ad Plautum indagationes, si non tibi, quippe qui vir egregie doctus es, attamen aliis multis, & Scipioni tuo abunde utiles. Nam me animo contumace in amicitia existimare, erit indignantis potius quam æqui, aut justi censoris. Te quidem unice unum ex omnibus diligo, & observo, sed in Catone nostro Jurisconsulto quid mihi risum moverit, audi. Is cum heri ex Mediolano revertisset continuo hominem rogo, an te potissimum visitasset. At ille, semel accidit: Cur semel inquam? Quia cum semel cum suis contratabulis me tristem satis habuisset, timui secundo, ne tripedibus tristius ageret. Demiratur tuam ad jus Imperatorium (a) memoriam, atque prudentiam, sed miretur, vel obstupescat licebit. Ego cum de te magnum aliquid quotidie audio, nihil novi, mirique audio. Vale Cambi vir optime cum eleganti, & insigni Jacobo tuo.

AN-

Sive fugæ comites, Mænali Nympha tuæ.
Altera, quod porro fuerat, cecinisse putatur:
Altera versurum postmodo quidquid erat.

Macrobius insuper Saturnal. lib. I. cap. VII. ubi de Jano: *Qui & præterita*, ait, *nosset, & futura prospiceret sicut* Antevorta, & Postverta, *Divinitatis scilicet aptissimæ Comites apud Romanos coluntur*, eoque singula recidunt, ut perspicuum fiat Rectum quod est τὸ *Prorsus* indicari appellarique *Prosam*, sive *Prorsam* à *Pro*, & *Versam*, seu *recte Versam*, sicuti a *Post*, & *Versam*, hoc est *Versam præpostere*, *Postverta* est in Latium invecta.

(a) Non unum semper jus fuit Imperatorium, sed pro Imperatorum diversitate Juris habitus diversus est Ordo; cæptusque hic primum ab Augusto ad Hadriani ætatem usque pervasit, forma subinde immutata ab Hadriano ad Constantinum Magnum processit, rebusque a Constantino denuo innovatis, universa postremo series in Justiniano conquievit. Juri vero sic tripartito, triplex pariter obtigit denominatio, primo enim Juri Antiquo nomen fuit, in quo pauca si excipiantur, liberæ ferme Reipublicæ jus invenitur, Alterum vocatum est jus Medium, cujus Opera nova facta sunt pleraque ab Hadriano, quem Principem *in Cæremoniis*, *LEGIBUS*, *Gymnasiis*, *Doctoribusque curandis Numam imitari voluisse*, ostendit præter Auctores *EDICTUM Prætoris PERPETUUM* eo mandante promulgatum, quod postea cum *EDICTUM PROVINCIALE*, tum *EDICTUM ÆDILITIUM* sunt imitata, eorumque usu quum Forum regeretur, Juris-Consultorum Commentaria multa prodiere; illud etiam sub hæc eadem tempora Proverbium est auditum, Herodiano narrante l. VI., *Roma est, ubi Imperator est*, nova enim & inter peregrinandum jura tunc constituere cæperunt Imperatores, *totam illam veterem, & squalentem legum Sylvam, novis Principalium Rescriptorum, & Edictorum securibus truncantes*, ex Tertull. Apol. IV.; Ultimum Jus Novum est appellatum, post receptam Sanctam, Unicam, & veram Christi Servatoris Religionem a M. Constantino immutatione plurima locupletatum, necnon a Constantinis, Theodosiis, & Valentinianis compilatis Codicibus, *Gregoriano*, & *Hermogeniano*, quæ monimenta *Veteris*, *Paganique*, ut ajunt, Juris extiterunt, ac *Theodosiano* deinde Codice auctum, quo *legitimorum Principum constitutiones* in manus hominum venirent;

ANTONIUS PANORMITA.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA DECIMATERTIA.

Misso Ergotele omnia narraturo, ad Cambium, si vocetur, ipse paratus est pergere.

R Eceptis a te litteris consilium fuit Ergotelem ad te mittere, a quo licentius, quam litteris acciperes mentem meam. Ego quod jubes, & adstipulatur Mecœnas facturus sum. & quidem animo libens, si modo res, uti polliceris, cessura sit, & dignitati, & utilitati: qua in re una est via, & remedium, nisi fallor, optimum, id ab Ergotele, & cætera accipies:& si res confici posse tuę prudentię videbitur, accedam, & ego voçatu tuo. Vale decus meum.

Nn AN-

Hæc Juris Imperatorii genera olim evulgata, veruntamen quem hic in *Jure Imperatorio* memoria præstantem commendat Panorm., intelligimus hominem qui valeat *Jus Imperatorium* Justiniani Auctoritate concinnatum, quod *Juris Universi* peritiam in se uno concludit: De illo præclare Jo: Schneidevvinius, quem in Præfatione ad IV. *Institut. Imperialium* libros ita scribentem audiat benevolus Lector. Imperator Justinianus, cum difficillima bella, & res maximas armis gessisset, cœpit etiam de togata administratione cogitare, ut Respub. legib. regeretur, ipsiusque imperii tempus fuit annus 528. post Christum natum.

Erant autem tunc temporis juris, & legum volumina propemodum infinita, ita ut impossibile fuerit hominis ætatem istorum voluminum lectioni sufficere. Fuerunt enim 2000. librorum conscripta, & plus quam tricies centena millia versuum a veteribus effusa, ut refert Imp. *in d. l. 2. §. omnia igitur vers. sed cum omnia*, & vigebant tres Codices: *Hermogenianus*, *Gregorianus*, *& Theodosianus*. Itaque primum mandavit Triboniano, & aliis consiliariis, viris sapientibus, & juris peritis, (qui semper circa latus Principis esse debent, ut inquit Bald. *post text. in l. juris peritos. 30. ff de excusat. tut.*) ut ex tribus Codicibus unum componerent, quod quidem ab ipsis factum est, quemadmodum apparet *ex tit. Cod. de Justin. Cod. confir.* ubi Imperator istum Codicem confirmavit, & *Justinianeum Codicem* inscribi voluit, qui tamen hodie non extat. Post Codicis opus ita collectum, reliquas constitutiones, ac leges passim sparsas, & confusas, in tria volumina, quæ, quod omnem juris doctrinam, eamque facili via & ordine concinnatam, ac digestam contineant, *Pandectæ*, *&* *Digesta* nominantur, & post 50. libros *Digestorum*, Compendium juris, quatuor hosce libros *Institutionum*, ex Pandectis & Codice colligi mandavit, qui fores quodammodo ad penetralia juris ingredi volentibus aperiunt: & tandem ad priorisCodicis emendationem, & secundam editionem, manum admolitus est, atque ipsum longe emendatiorem edidit, quibusdam detractis, quibusdam vero novis constitutionibus additis, quæ in priore editione non habebantur. Et is est *Codex*, quem hodie

ANTONIUS PANORMITA
CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.
EPISTOLA DECIMAQUARTA.

Epitaphio a se composito illum donat.

Epitaphium, quod in catellam domini Abbatis viri clarissimi composui, quia expetis, illud ad te mitto, non quia sit aut elegans, aut accurate compositum, sed difficile, & prope barbarum est, tibi non obtemperare: proinde erit moderationis tuæ quæcumque a me exigis, vel enim elaborata, vel dicta confidenter, nequaquam efferre. Ita quidem, ut cum me altero ago. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.
CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.
EPISTOLA DECIMAQUINTA.

Quæstura functo majores dignitates prædicit.

Quod exemerit, ac liberaverit te Princeps noster a Quæstura, primum tibi gratulor, quia ea molestia cariturus sis, & officio te non digno, deinde Principi gratias ago, qui, nisi vates male vaticinor, eo te evecturus est, ubi tuam illam incredibilem animi fortitudinem queas exercere, & tibi, & illi gloriam parturire sempiternam. Accingere igitur actioni potius, tibique persuade, nemini magis perspectam esse naturam, ac probitatem tuam, quam sapientissimo nostro Principi, ne dum otium animo fortasse agis, aut virtutum tuarum, aut illius judicii diffidere videare. Ego interim Deos, ac musas rogabo, ut nostrum desiderium dextrovorsum evadat. Vale.

AN-

= inter reliquos juris libros habemus: unde in eo Justinianus aliquoties mentionem facit Institutionum compositarum, & vicissim in hisce *Institutionum* libris non semel constitutionum meminit, quas in *Codice* suo extare refert, quæ tamen in nostro Codice non reperiuntur, *ut in §. legatariis* 11. *infr. de testam. & §. sed nec hujusmodi* 27. *inf. de leg.* Postremo novas constitutiones, seu *Novellas*, quem vulgo *Authenticorum*, librum nuncupant, protulit, quibus tandem *Consuetudines feudales*, & quædam aliæ *Constitutiones Imperiales* sunt adjectæ. Et hæc a studiosis juris initio notanda sunt: ut sciant, quæ sit librorum juris series, ne illis objiciatur, quod Servio Sulpicio Q. Mutius Scævola dixit: turpe esse causas oranti, jus, in quo versatur, ignorare, *l.* 2. *§. Servius* 43. *§. de O. I.*

ANTONIUS PANORMITA
CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA DECIMASEXTA.

Suas, vel alienas Tragœdias illi redditurus, ejus litteras cupit, eo, quo in præsentia non uti Principem dolet, si post hac sit usurus, avet scire.

DUm olfacio quasdam nescio quas tragœdias venalitias, factum est, ne meas adhuc miserim tibi: itaque aut emam tibi illas, aut mature ad te mittam meas. Homeri ranis, si modo Homeri sunt, oblectatus sum valde: cum illas repetiero ab Antistite Cumano, quod statim est, illas ad te remittam. Tu, si quid ad me quotidie scripseris, facies nunc, quia otiosus es, officium tranquilli hominis, & amici. Si quando enim alias, nunc maxime tui desiderio incendor. Quod autem optimus noster Princeps adhuc te non utatur, & tua, & sua maxime causa, id ægre patior, si quid autem præsentis, fac intelligam a te prius, ut Principi gratuler, & tibi, qui otium diutius sufferre, nec potes, nec debes. Vale.

ANTONIUS PANORMITA
CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA DECIMASEPTIMA.

Anulum sibi dono datum jucunda Oratione persequitur.

DUm tu reris fortasse, me tibi gratias habere pro anulo, quem mihi proxime dono dedisti, ego ingratus rideo, & incuso te potius, & nisi perversa hæc donandi consuetudo te paululum excusaret, damnarem te etiam, atque mulctarem, nam cum legeris, & item scripseris ad me sæpenumero præclarum illud Euripidis dictum, *amicorum omnia communia*, non animadvertis, si quid amico des tuo, id quidem amici mei esse? Sed quod superest cæterarum rerum, id totum ab amico alienum esse plane, qui unum donat, ac tradit reliqua omnia excepisse sibi, & abstulisse videtur. Quam scite Solon apud Græcos legem dixit, *Dandi consuetudines proprias esse morientibus*, idcirco viventibus inhibere: prospexit enim, ut arbitror, prudentissimus ille legum lator, id esse contemptum, & vile quoddam benevolentiæ signum, cum quis scilicet donat, nam & qui minime diligunt, donant interdum. Per se quidem amor amabilis est, nec mercede, sed gratis hominum be-

benevolentiam confectari debemus. Ego tametsi pretiosa fuerit gemma, & tuum munus, nihilo magis te diligam, aut meminerim tui. Non digito, sed corde sunt monumenta charitatis nostræ, & ea quidem certa, ac fixa clavo veri cupidinis, non volubilia, non caduca, quemadmodum ipse anulus. Nec te vehementius amare possem, quam amo, non si totam ipsam Venerem ebiberim liquefactam. Hæc tendunt, ut intelligas, tua hæc dona tibi deperdita, & mihi non grata dein affutura, hanc pro tuo egregio illo munere tibi gratiam ingratus reddo, ac refero. Tu quicquid ab amico, & familiare homine profertur, accipito semper in bonam partem, & jocari permittito, cum res exigit. Vale Cambi humanissime.

ANTONIUS PANORMITA.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA DECIMAOCTAVA.

Se ditandi studioso gratus rependit divitiarum vota.

EST particula litterarum tuarum Cambi magnifice, qua desiderare videris ampliorem fortunam, quo me dignitatibus honestares, & augeres copiis, atque facultatibus. Id ego & tibi opto, & fore vaticinor: nam & divino prope animo præditus es, & eo sub Principe agis, qui cum ipse ornatissimus ac beneficentissimus sit, hominum ornamenta in primis dignoscit, atque complectitur, & cum potest in cœlum efferre consuevit. Alioqui ingens, & eximia hæc tui animi virtus ingentem tibi aliquando fortunam parturiat oportebit, quod ut statim dixi fore confidimus, & avemus.

Non ego te facto divite pauper ero:

Quanquam a te sum assecutus jam, quod etiam, si Rex Philippus fias, neque majus quicquam, neque splendidius cuipiam possis conferre, summam animi charitatem, ac benevolentiam: ut intelligas quantum ad me attinet, fortunatissimus es. Non Cambium fortunatum, sed Cambium amo, nec beneficia, sed benefactorem. Sinam ego alios ex te contendere, aut argentum, aut equos, aut vestes: ego vero non rebus, sed animo tuo tantum inhiabo, quoad eum cum meo misceam, itaque fiat unus ex duobus. Sed audi nunc quid ego vicissim more poetarum fingo, ac somnio. Ascendisse me scilicet Dei cujuspiam beneficio montem altissimum, nam cœlum jocis immiscere nefas est, atque inde mihi concessum, ut pluere possem, ac spargere, tum campis, atque aliis hominibus nimbos, & grandines: tibi vero, tuisque penetralibus ningere margaritas: harum igitur gemmarum si fortasse cupidus existis, cura, ut facis, ut otium aliquando nanciscamur. Vale, nam meum est fingere, tuum autem sperare.

AN-

ANTONIUS PANORMITA
CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.
EPISTOLA DECIMANONA.

Sibi frequentes ad illum litteras danti & frequentiam litterarum retribui ardet.

CUm vix uno, aut item altero die ad te non scribo, & incusas me quasi tardum, & negligentem in amicitia, id ego haud quaquam moleste, sed in bonam partem accipio, mihique admodum gratulor, quippe qui ob id ipsum intelligam, tuam in me benevolentiam ad arcem usque ut ita dixerim, pervenisse. Vere quidem amantium est dies dinumerare, & moram, quæ quidem sit minima, ægre pati. Qua in re haud scio, an mihi nunc faciendum sit, ut puellæ solent, quæ cum amatorem pellexerunt, irretieruntque, mox illum ad quoddam tempus destituunt duræ, ac intractabiles, quo magis, magisque interim miser ille incendatur. Id pro tua hac querela sane indignissima jure, ac merito facerem, nisi quod vineor, frangorque mollitie, ac facilitate quadam animi erga te mei prope incredibili, nec pati possum ullo pacto querelas, aut contractiunculas tuas. Noli igitur succensere mihi Cambi suavissime, nam posthac non modo non diem, sed nec etiam horam prætereibo, quin ad te scribam, si modo epistolarum, & tu vices reddideris, nam sis licet perarduis negotiis impeditus, an ignoras amicitiam omnibus vere rebus præponi debere? Odi ego negotium quamvis magnificum, si minima ex parte violaturum sit amicitiæ munus. Immo vero eo jucundiores veniunt epistolæ tuæ, si quando ex mediis laboribus proficiscuntur: nam si cum vacat, tunc mihi solum exaraturus es, erunt profecto gratæ omnimodo litteræ Cambi, sed existimabo aliquid esse, quod pluris facias, teque magis oblectet, quam amor, & amicitia nostra: & summatim nulla excusatio tarditatis est, si tuis hisce negotiis tantum niteris ad te expurgandum. Cœsar interdiu contra Gallos summa industria, atque animi virtute præliabatur, nocte autem, ut scriptum legi, partim gestis scribundis; partim epistolis ad amicos vacabat. Tu vero qui ne ipso quidem Cœsare inferior haberis animi fortitudine, curane officio reddendarum epistolarum vel a Cœsare superereris, & Principi nostro, atque Reipublicæ dies præsta, noctes saltem amicis imparti. Vale meum decus. Ego quidem dies, ac noctes tuum sum.

ANTONIUS PANORMITA.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMA.

Litterarum suarum, Maphæi, Amicitiæque suæ meminit, itemque Andreæ litteras, litterasque Principis ad Regem, ac suos datas recenset; Cremona silente Cambii litteris privari non vult, quem de adventu Thomæ Fratris interrogatum, una cum Jacobo filio jubet valere.

SUperioribus diebus a te plures quidem epistolas accepi, ornatas simul, & officiosas, quibus tamen omnibus meis ipse respondes, quare intelligo te contra totidem a me accepisse: oportere rursum, & responsionum responsa, ea quidem fecimus, & misimus, nisi forsan tabellariorum perfidia, atque invidia fraudemur hac nostra litteraria voluptate, quæ nimirum ingens est, mihi potissimum, qui & lectione tuarum mirifice oblector, & quod reddendarum officio te exupero: nam si meis semper ipse respondes, nihilque novi renuntias, te victum, captivumque fateare necessum est. Igitur quod optas Maphæus tuus est, tu quod facis, mutuo eum dilige, & observa. Illud enim meum fuerit, quoscumque perspexero, aut ingenio valere, aut virtute pollere, tibi quotidie vindicare: dumque aliud in te nequiero, amicos saltem tibi enixissime comparabo, optimam, & præclaram vitæ supellectilem. Ego is sum mi Cambi, qui in amicitia summam voluptatem, parem utilitatem semper reposuerim. Gradus ad gloriam utique præcipuus amicitia est, & jam Cambinalia quædam celebrantur hic quotidie, verum id effici, non dici decet. Ab Andrea nostro viro clarissimo tandem litteras accepi, breves quidem illas, sed officii, & benevolentiæ plenas. Scribit a Principe exaratas jam epistolas familiaritatis, tum reliquas, & ad Regem, & propinquos meos, nihil præterea addit, nisi se curaturum, ut ad me e vestigio dimittantur: id felix, & fortunatum sit, sed tu, si quid aliud intercesserit, scisciteris, & rescribas volo, nam Cremona noster Diis gratia mutus omnino est. De adventu Thomæ fratris si quid innovatum est, renuntiato. Cum Jacobo filio dulcissimo vale. Ego tum demum valebo, cum non amplius speravero.

ANTONIUS PANORMITA.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAPRIMA.

Frequentia suarum litterarum ipse delectatur, exinde quæ de se ad Principem attinent, nec non quæ sua sunt alia, liberius expedit.

HOdierno die quatuor a te litteras accepi non minus certe graves, & ornatas, quam prolixas. Facis, si modo perseveres, ut addubitem, a te solum iri superatum, qui hactenus a nemine victus sim in honestissimo hoc epistolarum certamine. Quo fit, ut haud sciam, an lætari debeam tua hac inaudita, & incredibili diligentia, an angi potius, & invidere virtuti tuæ, nam exuperari reliquis in officiis, id quanquam turpe est, a te tamen vinci, facile, & patior, & confiteor. Verum hac una diligentia, quæ maxima ex parte ad amorem spectat, neque a te, neque a quoquam alio vinci patiar, aut confitear. Si quidem a me exemeris diligentiam, & observantiam in amicos, nudus, inermisque remaneam oportebit. Itaque monoculorum more unius hujus mei epistolaris officii, atque exercitii custos accuratissimus existo: qua in re, ut ante dixi, nemini vel primo loco usque huc cedo. Proinde tuas hasce epistolas fœnerabis potius, quam de me triumphes, & binis, & quinis agas licebit: ego fasciculis tecum agam. Sed de his satis, nunc audi serio. Jussi, ut in meam rem Principi scriberes ratus te maturius digressurum, nunc quoniam extollitur profectio tua, rejicias æque scriptionem in abitum tuum. Tunc vero suadeo, ut ad Principem litteras des, quibus nulla ex parte per me stetisse cognoscat, neque per amicos meos, quo minus ei fierem quodammodo adscriptius: (*a*) verum id ita

si tuæ

(*a*) Non uno tantum sensu *Adscriptitius* ab omni latinitatis ætate vocatus ad trutinam in medium prodiit, variam subiit pro temporum varietate significationem; Aureo pridem ævo *Adscriptitii* fuere Dii, qui Majorum Gentium Diis opponerentur, ut de Nat. Deor. III. Cicer. tradit: Mos autem est ductus ab Atheniensibus, qui ea superstitione Deos coluerunt, ut non solum duodecim præcipuos, per quos & jurare solebant, ara communi exstructa, impense venerarentur, verum alios quoque adoptare sacrum ducerent, ac religiosum; quod Strabo quum animadverteret: *Athenienses*, ait, *ut peregrina diligunt sic & peregrinos Deos*; quos inter numerantur præ cæteris *Orbane*, *Conissalus*, & *Tychon*, quin etiam eo devenerunt insanæ superstitionis, ut Paulo *Jesum*, & *Resurrectionem Mortuorum*, illis annuntiante: De *Mortuorum Resurrectione*, quæ Græcis est Ἀνάστασις, perinde ac de quadam Divinitate præclare judicarint; *Adscriptitii* pariter nominati sunt Cives, qui jam in alterius Imperium se dediderunt, quod videlicet natis Civibus sint adjuncti; Ar-

si tuæ prudentiæ, ita quoque visum fuerit. Alteris autem illis epistolis; quibus tam belle mecum philosopharis, monesque ne cuipiam magis, quam mihi ipsi confidam, & cætera ad hæc graviter, & sapienter, respondeo, pariter, & tibi assentior, si nobis non tam vivendi, quam bene vivendi ratio habenda esset. Sed corrupta, & perversa sunt omnia: eosque nostra memoria recte, & insignite philosophari, aut poetari putant, quos etiam saturos, nummatos, affluentes aspiciunt, quasi vero plurimum conducant divitiæ studiis litterarum, & gloriæ. Sed quid ego nostræ tempestatis viros recenseam? Non ne ipsi veteres, si Virgilio inquiunt

. . . . . . Puer, & tolerabile desit
Hospitium, caderent omnes a crinibus hydri,
Surda nihil gemeret grave buccina. Nonne &
Ipse Deus vatum palla spectabilis aurea
Tractat inauratæ consona fila liræ?

Et quando Poetis libenter utimur hac epistola, non ne illud etiam eleganter?

. . . . . Neque enim cantare sub antro
Pierio, thyrsumve potest contingere fana,

Immo sæva paupertas, atque æris inops. Sed dices, tu Deorum, & parentum gratia habes unde vivas, etiam ad voluptatem, est ita sane, sed

---

gentea postea ætas tulit *Adscriptitios*, hoc est Milites Supernumerarios, qui ad participanda tantum commoda essent in numeros relati, quod Claudio Auctore primum actum esse sic narrat Sveton. in Claud. cap. XXV. *Equestres militias ita ordinavit, ut post Cohortem alam, post alam Tribunatum legionis daret, stipendiaque instituit, & imaginariæ Militiæ genus, quod vocatur SVPER NVMERVM, quo absentes, & titulo tenus fungerentur*. Qui *Ascriptitius* & alio nomine *Vacans* appellatur a Trebell. Pollion. In Balista, cujus hæc sunt verba: *Est Epistola Valeriani, qua gratias Balistæ agit, gaudens, quod ejus consilio nullum Adscriptitium, idest Vacantem haberet, & Tribunum Nullum Stipatorem, qui non vere pugnaret*. Id vero Militiæ genus supplendis legionibus quondam a Romanis institutum accipimus a Varr. de L.L. libr. VI. ita scribente: *Dicti olim, qui adscribebantur inermes, qui succederent armatis militibus*, & libr. III. de Vita Pop. Rom. *De Adscriptivis, cum erant attributi Decurionibus, & Centurionibus, qui eorum haberent numerum Accensi vocabantur; Eosdem etiam quidam vocabant Ferentarios, ipsi depugnabant pugnis, & lapidibus, iis armis quæ ferrentur, non quæ tenerentur*. Deterioris latinitatis usurpatione *Adscriptitii* habiti sunt *Coloni*, *Agricolæ*, *Villani*, qui aliunde orti, in aliorum Dominorum Villas, ac prædia profecti, facta a Dominis copia, ibidem domicilia figunt, annuique census interposita Conditione in cæterorum Subditorum transeunt statum, & in Album adscribuntur, ita ut perinde, & ii distrahi, & transferri queant una cum ipsis prædiis quæ excolunt, ad *Servos Glebæ*, quos vocant, propius idcirco accedentes; Servis tamen benignius habiti, & Clericalis dignitatis capaces, ut in Nov. CXXIII. XVII.; uberiusque in Capit. Carol. Magni; Singula equidem de *Adscriptitiis* prolata ad rem nostram opportune faciunt, qua ad rem aliquam *Adscriptus*, semper fuit *Adscriptitii* vocabulo notatus, egregieque Panorm. *Adscriptitius* fieri quum vellet, se in familiarium numerum non esse cooptatum, nec ad Principis domesticos *Adlectum* recto usu latinitatis indoluit.

ed Panormiis Papiæ vero ita demum agere possum, ita mihi quicquam habere, si modo id meis collibuerit: alioqui navigandum potius, quam poetandum mihi est. Pudet me equidem dinumerare quot millia aureorum absumpserim in Italia, dum consector hæc paupertatis, volui humanitatis studia dicere, & dum fructum aliquem vigiliarum mearum expecto. Cumque & id ita sit, fac etiam meos velle, profundam etiam quod superest facultatum, ac patrimonii, degamque perpetuo apud hunc Principem, nihil prorsus ab eo expetens, nihil expectans præter meram animi charitatem, & benevolentiam. Jam intelligis, & poetis ipsis necessarium argentum, & mihi aliis, dum hic vitam duco, confidendum esse potius, quam mihi ipsi. Cæterum me etiam, atque etiam admones, ut philosopher, quod interpretaris, ut naturæ vivam, contentus dumtaxat rebus necessariis. Id ego quidem posse peroptarim, sine meorum auxilio: nihil enim ad voluptatem refero, sed peregrinus sum, aer, aqua, ignis, omnia denique mihi comparanda sunt, num hæc tibi videbuntur necessaria? Sunt sane, mihi tamen non donantur, sed pretio emuntur, ut dixi. Quid igitur sibi velit istud tuum philosophari, nomen sane odiosum, non intelligo, nisi ut mendicem, id tandem hortaris, & intendis. Id quandoquidem tibi placitum est, facerem perlibenter, si meorum dignitas, & Equestris ille, & Prætorius gradus pateretur. Nimirum plurimi facio has regiones, hos mores, hos amicos, te præsertim, ac Principem ipsum: ut vel ipsi patriæ vos propemodum anteponam, & propinquis omnibus. Verum non usque adeo a meis alienus sum, ut apud vos male, & ignominiose vivere perpetiar, potius quam ad illos reverti, satis, superque vobis est si id solum patriæ, meisque reservo, ac tribuo, neu hic misere degam. Et postquam me philosophari vis, idest tuo more necessariis tantum frui, adjicias salva dignitate, necessaria illa quidem, alioqui tibi habeas eam philosophiam, quæ generi pariat ignominiam, & Philosopho ipsi miseriam. Ego vero, ut existimas, neque habeo, neque possideo, sed pendeo jam, ut vides, aliorum arbitrio, & potestate. Itaque quod tantopere concupisco est, ut mecum aliquando possim vivere, & constituere jam vitæ rationem, ac statum, ut si hic fieri nequeat, alio animum intendam, quando per me, neque familiares meos steterit, quo minus hic gentium vitam traducere. Hoc inquam est, quod postulo, includi scilicet, aut excludi; non magistratus, aut imperium, quæ tecum sentio fugienda potius esse, quam expetenda, perinde quasi musis infesta, & tranquillitati contraria, & a nostro proposito, nostrisque consiliis prorsus abhorrentia, sed ut finem epistolæ faciam, ita hodie comparatum est, ut saturi solum philosophentur, & inopes philosophari cupiant. Vale cum Jacobo Filio. Papiæ.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMASECUNDA.

Spem ultra modum dilatam, Palatii, Cremonæque silentium vehementer conqueritur.

UNas a te litteras accepi tantum ab digressu meo, suaves tamen illas, & vere Cambianas, a me vero plures, & quotidianas accipere debuisti, ut jam verear, ne fastidio tibi sint ita crebræ, tamque inanes ab Antonio epistolæ. Sed quæso des hanc veniam desiderio meo ut dum absens sum, te cogitem, te somniem, te oblecter, denique te obtundam si non vivo sermone, saltem epistolari colloquio, donec Dii boni mihi concedant, tuis suavissimis moribus frui posse propius, conjunctiusque. Cæterum suades, & hortaris ad extremum epistolæ, ut pacem, & tranquillitatem mihi dem, id ego vel præcipue posse mi Cambi, sed qui sperant, ii prope mortui mihi videntur: nam dum futura expectant, præsentia omittunt, ac negligunt, neque interim sibi, neque aliis vivunt. Nunc primum experior, ingenio nihil incommodius esse, quam spem, nec quicquam magis contrarium tranquillitati. Nullo equidem pacto adduci possum inter sperandum, ut aut commenter, aut interpreter, aut philosopher, aut poeter, aut quicquam laudis exerceam, aut virtutis. Ut mihi quidem videtur, ignaviæ, atque desidiæ mater est spes, & animorum ægritudo, vel maxima. Hæc hactenus. Neque ex Palatio, neque ex Cremona nostris quicquam litterarum adhuc suscepi: vereor ne morbus ille lethargicus eos teneat, si perrexerint mecum silere, dispeream, nisi ambobus quasi vita functis faciam epitaphia. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMATERTIA.

Abbatem causatur de non misso Cornelio Celso, quem delaturus est Feruffinus, monetque sibi cum Augusta Panormum esse valde cito remigrandum.

NOn est quod amplius queraris de Antonio Abbate viro tersissimo, & nostrum utriusque amicissimo, pro eo quod Cornelius Celsus adhuc tibi redditus non fuerit, quod ipse quam tu, ægrius profecto, fert: nam cum mandasset tibi codicem reddi Mediolani, erat enim eo tempore Mediolani codex, interim ad se defertur Pa-

Papiam. Commendabitur itaque fidei Ferussini nostri viri amplissimi euntis ad te cras, qui non gravabitur ad te id librorum deferre. Tu vero suavissimum Abbatem nostrum, meque simul haud injuria expurgatos habeas. Quod sequitur audies, ut opinor, fronte contracta, sed audies tamen fatorum, siderumque voluntatem. Hesterno vesperi redditæ mihi sunt ex Bononia litteræ a Joanne Farafalla Siculo quodam conterraneo meo viro eloquenti, & juris civilis non solum doctore, sed etiam docto. Renuntiat mihi, Augustam necessarium meum adventurum Genuam, & advenisse jam nunc fortassis mea causa, hoc est, ut me secum reducat Panormium, est is industria, auctoritate, elegantia in primis præditus, cui quidem refragari, ut nefas, sic & difficile, & pene calamitosum mihi erit. In Principem nostrum maxime afficitur, pro quo, ut ab eo aliquando intelliges, pericula etiam capitis adivit. Id ego vaticinabar fore mi Cambi, tecumque rem, & vaticinium contuli, si rite memineris, & nunc etiam, ut præsentires meam profectionem, immo relegationem, id tecum communico, ut mecum angaris, mecumque deplores, simulque deterrimum meum fatum incuses, & damnes. Res ita se habet, & iisdem epistolis narrat Farafalla meus nescio quos proximos tumultus in Civitate tua Bononia, tua inquam, nam mea erit apud Barbaros, (a) ut audisti. Farafallæ litteras si legere concupiscis, ad te dimittam. Ego vero confusus mœrore rerum mearum, & nova vitæ ratione, totam adhuc epistolam legere nequivi, & hanc inter lachrymandum ad te exaravi. Vale. Papia.



AN-

(a) Longo usu assuetus Italiæ ad illos vel invitus regreditur, quos Mare Italis tantum sinit adjacere, nempe ad Siculos, eosque *Barbaros* dum appellat, id unum significat, quo innuatur loquutum esse de Gentibus, quæ per diuturnam absentiam sibi propemodum externæ videntur: Cæterum quibus *ingeniosum Siculorum genus* moribus per omne tempus enituerit, qua fuerit virtute, quibus institutis nemo est qui non noverit: Homines domi, forisque claros, fœderum jure, amicitiæ fidelitate, Virtutisque splendore præstantissimos Tullius celebrat in Verrinis, ac Siculorum ingenuus laudator de Populi florentissimi gloria ea copiose proponit, quæ nullo modo sunt prætereunda: Siculum qui amat nomen, & decus, Romanum Oratorem adeat, quod consulto monemus, ut ad commendationem Sicula Natio mirifice comparata, nos, qui apud illam Paregrini manemus, cum Ordinum, tum Nobilitatis amplitudine in admirationem non injuria petraxisse fateamur.

ANTONIUS PANORMITA

BARTHOLOMÆO PONTIFICI S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAQUARTA.

Curarum impedimento ad se non scribentem putat excusandum.

PLures ad te jam dudum litteras dedi, meoque satis, ut arbitror, officio feci. Tu contra nihil respondes ob mille, ut arbitror occupationes, quæ te vehementer, & undequaque distringunt, maxime cum Reipublicæ Genuensium præsis, verum ea opera, quæ amicis impenditur, primam esse debere, aut saltem primæ, idest virtuti proximam monumentis Philosophorum traditum est. Odi equidem negotium, quod quidem honestum, aut utile sit, si modo amicitiæ, vel minima ex parte sit obfuturum, sed *Sus Minervam*, tu quidem id altius prospicis, & non sine potissima ratione hactenus siluisti. Ego jam pro lumine sapientiæ tuæ mihi persuasi, recte, & prudenter actum iri quicquid agatur consilio tuo. Vale, nam quicquid ad me attinet, accipies ex epistolis meis ad Bonacursium Panormitanum benevolum, & necessarium meum. Iterum vale mea spes.

ANTONIUS PANORMITA

BARTHOLOMÆO PONTIFICI S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAQUINTA.

Quo in illum sit amore exarat, & ad Jacobi Modociensis commendationem plurimum incumbit.

DUm tu isthinc, ego autem hinc ob aeris inclementiam vagamur; factum est, ne jam pridem ad te scribere potuerim, aut si potuerim, certe nescivérim quo, nec proinde velim putes, te a me remissius observari, quia jam pridem sileo; nam si vel omnino mutus efficiar, non propterea te colere desistam, quin immo & si prorsus loqui obnegetur, capite tamen annuam, te per benignitatem meum benefactorem, per doctrinam meum præceptorem, per virtutem meum Deum: verum absis licebit, tecum sum, tecum loquor, tecum poetor. Quod autem in præsentia a te peto, audio enim te Genuam reversum, id est ut Jacobum Modociensem præclarum adolescentem ames, & honestes, etiam causa mea: nam etsi per se, ac propter se eum diligis, quippe humanitatis artibus, quarum tu Princeps es, plurimum valet: hoc meum tamen de homine judicium quæso aliquid benevolentiæ adjiciat,

aut

aut si tota eum benevolentia jam complexus es, illam firmet in posterum, ejusmodi enim est hic Jacobus, quod in adolescentia potissimum miror, aut ad ostentationem nihil referat, tacitus secum gaudeat, sermone urbanus, vita simplex, lectione assiduus, & supra ætatem eruditus, ut Gasparini discipulum possis agnoscere, epistolas scribit, quales a te, ne ornatius quicquam dicam, tuoque ingenio profectas arbitremur, postremo & a magno, ac divino nostro Francisco Barbavaria amatur, & amatur unice, clarissimum ipsius Jacobi virtutis, ac probitatis argumentum, quos ille amat, spectatæ medius fidius, ac inspectæ virtutis homines habentur, & quodammodo insignes. Si quid igitur mihi tribuis, siquid Barbavariæ nostro, hunc, de quo loquimur, adolescentem tua gratia, tuaque suffragatione dignum puta; quem si tua opera auctum, & ornatum aliquando intelligemus, ego, quod solum possum, tibi laudes, & gratias decantabo: Barbavaria vero, ut est omnium gratissimus, quam cumulatissimas referet. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

XANTHIO S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMASEXTA.

Se Aurispa, & Farafalla commemoratis, de Henrico, Francisco Pontano, & Viterbione quædam adjungit. Ultima spectant ad Glelmum, Russum Genzagum, Tuscanellam, Philelphum, & Gasparinum.

EA quæ ad dignitatem meam spectant accipies ab Augusta meo, qua ex re abunde lætaberis scio, non is enim es, qui amicorum absentia angaris, si modo absentiæ justa, & fortunata sit causa, verum hæc ab Augusta. Aurispa noster Sacerdos effectus est, & Plebanus (a) desi-

(a) *Plebanus* hic est Panormitæ, *qui Plebi præest*; expressius idem a Balbo in Catholico, & a Gregorio libr. III. cap. III. *Plebanus* vocatur *Dominus Plebis*, seu *Præsbiter qui Plebem regit*; *Quas* vero *Plebes appellant*, *Ecclesiæ sunt Baptismales*, qua in re Ugutio: *Plebes*, ait, *collectio hominum*, *item Ecclesia Baptismalis*; *Et proprie Plebs hominum*, *Plebs Ecclesiarum*, ut Ebrardus quoque adnotat in Græcismo:

Plebs hominum dicas, sed *Plebes* Ecclesiarum;

Plebes istas, de cæteris ut sileamus, Synodus Romæ coacta Anno DCCCXXVI. cap. VIII. ita commemorat: *Episcopi in subjectis Baptismalibus Plebibus, ut certe propriis diligenter curam habere debent*, iterumque cap. XVI. *Nulli Episcoporum liceat res immobiles de subjectis Plebibus, seu aliis locis Piis in proprio usu habere*; Ad hunc *Plebis* sensum & ille accedit, quo per *Plebem* designari *Diœcesis Episcopalis districtum* accipimus a Concil. Carthag. VI. his verbis: *Faustinus Episcopus Ple-*

designatus. Farafalla verò vir suavissimus Bononiæ agit, dabo operam ad me veniat; persacile quidem hic gentium magistratus exoravero, si modo id illi animi est. Henricus noster Forlivii est apud Franciscum (a) Physicum hospitem familiarem suum, si sarcinulam hic suam reluat, transeat ad nos. Franciscus Pontanus poculo amatorio jam annum insanus est, spero tamen hominis salutem, verum hæc a Viterbione proxime accepimus Mediolani, qui hac in re velim, ut in cæteris, vanus comperiatur, & mendax. Viterbio vero causam captivi fratris agit apud hunc Principem, tandem intelligit veterem nostram amicitiam sibi, & fratri reo capitis plurimum, atque feliciter conduxisse. Glelmus una cum Russo Gonzago balneas colunt apud Pisas, alter ille servus verna (b) mala scabie correptus est, alter mira animi constan-

---

bis Potentinæ Provinciæ Italiæ, addendumque postremo & *Plebes* esse Decimas Ecclesiasticas, vel quod *ad Plebanas Ecclesias*, vel quod attineant *ad Plebanos*, illudque ostendit præsertim Petrus Damian. libr. IV. epist. XII. ita scribens: *Sunt etiam qui Plebes Sæcularibus tradunt*, paucisque interjectis: *Quid est enim Decimas in usum Sæcularium vertere, nisi mortiferum eis virus, quo pereant, exhibere? huc accedit, quod & Plebesanis justa datur occasio, ut Matricibus suis Ecclesiis Obedientiam subtrahant, ut non ei legitima Decimarum Tributa persolvant*. Huc usque *Plebes* inspeximus, ad *Plebanos* ut redeamus, *Plebani Sacerdotes*, & *Plebani Clerici* recensentur a Burcardo de Casibus S. Galli cap. XIII., & a Chronic. Reichersperg. Anno MCXLIV.: Eos *Plebanatu*, quæ dignitas est Ecclesiastica, insignes, latine si compellare quis velit, *Curiones* recte dixerit, nam Plebem dum regunt, in Sacris probe Sancteque operati, id religiosissime præstant, quod superstitioso Curionum ministerio Romanis olim præstabatur in Curiis.

(a) *Physicus* diligens, ut ait Cic. de Nat. Deor. I. cap. XXX., *Speculator, venatorque Naturæ*, injuriose a Medio Ævo ad Medicum traducitur, ut liquet ex Lamberto Ardensi, cujus verba leguntur: *Unde & Physici ejus neminem ad ipsum accedere permittebant*, ac jocosum Asini Testamentum a Petro Lambecio vulgatum; *Fel*, inquit, *Apothecariis, stercus meum Medicis, Urinam quoque Physicis*, ac se *Professione Physicum*, Rigordus nominat in Prologo Historiæ, quo ferme sensu *Physici* vocabulum invenitur cum in Concil. Turon. III. Anno DCCCXIII. cap. XLVIII., tum in Concil. Monspeliens. Anno MCXCV. & passim in aliis Scriptoribus, quorum se loquutioni Panorm. hic accomodavit, pro *Medico*, Vulgi de More *Physicum* conscribens.

(b) Qui Panormitæ hic *Verna* latine scribenti probatur, occurrit nonnumquam in latinis Auctoribus, *Servusque* est *domi natus*, cujus meminit Plautus in Amphitr. Sc. I. v. XXII.

Satius est me queri illo modo Servitutem, hodie
Qui fuerim liber, eum nunc potivit Pater
Servitutis: hic qui *Verna* natus est queritur.

Deteriore hinc conditione quam cæteri Servi, censetur fuisse Verna, quod Horat. quoque arbitramur innuere Sat. VI. lib. II. v. CVI.

Ergo ubi purporea porrectum in veste locavit
Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes;
Continuatque dapes, nec non Vernaliter ipsis
Fungitur officiis, prælambens omne quod affert.

Cæterum hoc quod nomen aliquando fuit ignominiæ, & ipsi blanditii non raro sibi sunt Servi, compertumque fit Inscriptionibus nonnullis, quæ habent

ſtantia Oreſtem proſequitur, eique ſubminiſtrat. Tuſcanella noſter Sarzanæ degit, Philelmus adhuc Florentiæ, Gaſparinus hic ſenio jam, & invaletudine confectus. Tu vale, meque perſeveranter ama, Papiæ.

ANTONIUS PANORMITA.

XANTHIO SUO S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMASEPTIMA.

Quo Viatico redeundum ſibi ad Panormitanos eſt, recitat: Faraſallæ deinceps litteras, Glemum, rumoremque de pace inter Bononienſes, ac Pontificem edocet.

SI vales bene eſt, ego ſine te valere vix poſſum, ſpero ad perpaucos menſes, hinc me Panormium conferre, cum ob alias cauſas, quas tu noſti, tum quod Xanthius meus eo gentium agit. Interea ſi quid adventui meo aſtruere potes, nam debes, feceris ut te decet, & amicum verum. Ab Auguſta viro optimo mittentur mihi Alphonſæi centum, perbreve quidem Viaticum, & ad neceſſarias res tantum vix opportunum, ad voluptarias nihil omnino, hoc velim & tu mecum proſpiceres, & non ignara mali, & reliqua: eo pacto & amoris contractus fiunt, & culpæ diſtrahuntur, & expurgantur errata. A Faraſalla noſtro litteras accepi, valet, ſed in re tenui. Servus ille verna Glelmus Mamertinus adhuc carcerem colit: ſubveniſſem hinc illi cum Cambio familiariſſimo meo, ſi de me tale beneficium impurus, & ingratus ſervus meruiſſet. Concordiam inter Pontificem, & urbem Bononiæ factam affirmant, non ſine laude, & gloria civitatis: quanquam ex Cambio meo nihil tale adhuc accipio. Tu bene vale, nam cætera ex jucundiſſimo noſtro Henrico coram intelliges.

AN-

TUSCUS. AUGG. NOSTRORUM. VERNA.
VILLICUS. TUTELÆ. VOTUM. REDDIDIT.
& ibidem
LUCIDÆ. AUG. VERNÆ. MARITÆ. INCOMPARABILI.
eoque vel maxime gloriari poſſe videbatur *Verna* quod cecinit Statius libr. II. Sylv. I.
Hinc domus hinc ortus, dominique Penatibus olim
Charus uterque Parens.....
optimo profecto genere Servos inter *Vernæ* præponendi reliquis ducebantur, quod herili domui, veluti civis quiſque ingenuus Patriæ, ingenuitate quadam, benevolentiaque ſumma inſervirent, Tranſmarinis propterea, Advectitiis, in bello captis, atque emptis ex lapide longe præſtantiores, culpandi hinc ſolum, cum Dominorum indulgentia nimia dicacitate, *Scurræ* impudentes, procaceſque ſunt facti, quod Martialis faſtidium parere demonſtrat libr. I. Epigr. XLII.
Urbanus tibi, Cæcili, videris.
Non es, crede mihi, quid ergo?
Verna es.

ANTONIUS PANORMITA

DAVIDI VIRO CLARISSIMO S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAOCTAVA.

Est Amicitiæ confirmatio, & mentio de Aurispa Plebano.

SI vales, valeo, nam proxime te valentem, meique, & memorem, & in primis studiosum accepi: qua ex re cum mihi plurimum gavisus sum, tum maxime sum admiratus tuam animi constantiam, non temporum, non locorum distantia abduci potuisti, quin memoria saltem honestissimæ illius nostræ consuetudinis fruerere: facis quod debes, eoque præclarius, quo perrarum genus est perseveranter amantium: neque meo quidem judicio plus laudis, ac gloriæ aucupaberis ea qua plurimum præstas eloquentia, quam benevolentia: illa quidem admirabilem, hæc & amabilem te reddet: tum illa hominum voces, hæc, & animos tibi comparabit, ea demum gloria præcipua est, quæ ex amore, & charitate proficiscitur. Demosthenem, & Ciceronem admiratione prosequimur, at Pyladem, & Damonem etiam veneramur, colimus, observamus: horum enim facta celebrantur, illorum dicta, verum ego, mi David, utrumlibet id in te diligo, & deosculor: neque te dehortor ab eloquentia, sine qua fieri posse virum egregium haud quaquam putaverim: sed præcipue te ad amicitiam hortor, & currentem, ut ajunt, excito, illincque tibi laudem parari concupisco, unde perrarius, perque difficilius parari consuevit, & parta luculentius, ac præstabilius elucere. Ego quidem pro virili nunquam defuturus sum tam præclaro, ac plane sanctissimo sanctitatis officio, teque mutuo, teque constanter amabo, atque ita ut posthac magis neminem: denique & te licet absente oblectabor suavissima virtutum tuarum memoria, studeboque saltem in amore a te non iri superatum: verum hæc hactenus. Aurispa tuus Sacerdos Plebanus creatus est, & Ferrariensi glebæ (a) quodammodo adscriptus, horridus quidem ille

Desidia, latamque trahens inglorius alvum.

Vale Papiæ.

AN-

(a) *Ferrariensis Gleba* a Nostr. Auct. proponitur, qui ex Medii Ævi consuetudine loquutus Ecclesiastica prædia denotat cum Plebani dignitate conjuncta; id equidem significatur per *Glebam*, cujus expressius naturam ostendit Fleta lib. III. cap. II. § XVIII. *Gleba*, inquiens, *proprie est solum datum, cui Advocatia Ecclesiæ est annexa*, & in Charta Simonis Archiepiscopi Cantuariensis legitur; *Item habebit Vicarius duas acras terræ Arabilis de dote sibi de Gleba ipsius Ecclesiæ juxta ipsam Ecclesiam jacentes*; neque est hic prætereundum & *Glebam* pro Cadavere sumi, quod sepulcro mandetur ex Nicolai Rievallensis carminibus:

Semper hic & eris, non hospes, at incola, cujus
Nos penes est dulcedo recens sacra *Gleba*, sepulcri
Gratia, defuncti cineres veneramur abunde.

ANTONIUS PANORMITA.

VITERBIONI S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMANONA.

Aureos Philippeos vult Cremonæ reddi, ad se una cum Valerii Codice deferendos.

VOlo, & item peto, ut Antonio Cremonæ nostro, viro optimo, meo nomine restituas illos aureos Philippeos, quos tibi jam dudum In tua inopia mea cum incommoditate mutuavi: facies jam jam amodo officium grati, ac justi hominis meum mihi tribuere, ne nomen induas, & ingrati, & nullius fidei viri, nosti quid mihi debeat Blasius frater, nosti quid de vobis omnibus merear, nosti quod periculum inierim tua, ac tuorum causa, quid est quod unquam de te sperent cæteri, si mihi omnia debes, nec quod meum est tradis? Qua spe reposcam a te Valerium tuum, si tardas in restituendo, quod meum est? Pollicitus enim es mihi Valerium tuum, quem si Cremonæ nostro reddideris non gravabitur ad me deferre cum pecunia codicem, jam vero vides, quid facturus sis, nisi pluris facias brevem pecuniam, quam amicitiam meam, & nominis mei notam. Vale, ex Lauda manu turbata.



Hujus ex significationis Origine invaluit penes Ecclesiasticos Auctores consuetudo, qua Sanctorum Exuviis *Glebæ* nomen est inditum; Qua propter Gregor. Turon. de Vitis PP. cap. VII. *Ad Virtutiferam*, inquit, *Sancti Glebam nemine retinente pervenimus*; & in Vita Sanctæ Gundulæ scribitur: *Quæ latro secum omnia asportans diripuit, solo relicto Sarcophago, cum Sacra Virginis Glebas* Quod si per *Glebam* aurea latinitatis Ætas sit adeunda, terræ particula exprimitur in os mortui hominis injecta, per id tempus quo Cadaver cremabatur; Id narrat Cic. de Leg. lib. II. *Priusquam in os injecta Gleba est, locus ille ubi crematum est Corpus, nil habet religionis*; Sicque mortuus, qui antea tantum *humilis*, postea dictus est *humatus*; ac *Glebam* latinitatis varietate immutatam, semper tamen a Terra suam hausisse denominationem comperimus.

ANTONIUS PANORMITA

JACOBO ABBATI V. C. S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMAPRIMA.

Litterarum infrequens plura de suo in illum amore asseverat; Cremonamque celebrat per Jacobum Cardinali gratum efficiendum.

SI vales bene est, ego valeo, & te sitio, si jam pridem ad te non scribo, scio me excusabis, ac præpeditum potius arbitraberis, quam aliqua ex parte violes benevolentiam in te meam; eo quidem ingenio es, ut & constanter ames, & amicum verum haud quaquam peccare posse existimes, ego, quanquam occupatus sum, non propterea me expurgo; sed ita sæpe usuvenit, ut quos maxime amemus, cum eis maxime sileamus: atqui venia danda est, modo perseveremus amando, tantumque benevolentiæ quotidie adjiciamus, quantum sermoni detrahimus, & epistolis, amor verus non verbis, sed virtute gignitur, atque continetur: ego nisi te perseveranter amo disperéam, de his satis. Antonius Cremona vir apprime suavis, & amicus meus ad te it, neque putes abs te is contendat, quid Romæ potes, aut bullas (*a*) ullas;

(*a*) Bullæ originem attingit Plin. libr. XXXIII. cap I. dum inquit: *Sed a Prisco Tarquinio omnium primo Filium, quum in Prætextæ annis occidisset hostem, Bulla aurea donatum constat; unde mos Bullæ duravit, ut eorum qui Equo meruissent Filii, insigne hoc haberent, cæteri lorum.* Insigne autem ætatis prætextatæ *Bullam* fuisse indicant hæc Asconii Verba in Verr. III. *Simul cum Prætexta etiam Bulla suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea, libertinis scortea*, rationemque Bullæ deferendæ aperit Macrob. libr. I. Saturnal. cap. VI., ait enim: *Nonnulli credunt, ingenuis Pueris attributum, ut cordis figuram, in Bulla ante pectus annecterent, quam inspicientes, ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent.* Bullæ mentio fit etiam a Plutarcho Problem CI., nec non a Pompon. Festo sub finem libr. II. cujus ad similitudinem majus sigillum vel ceræ impressum, vel capsulæ cuidam ex auro, aut argento, aut plumbo inclusum, quod litteris Principum appendi consuevit, sequioris Ævi scriptoribus cum Græcis, tum latinis *Bulla* fuit; siquidem litteræ dignitatis plenæ, quæ Pragmaticas, ut ajunt, Sanctiones, ad totum Imperium, sive posteritatem attinentes continerent, & quæ de Privilegiis, Constitutionibusque Principum, Præsulum, Collegiorum, seu Civitatum aliquarum, gravibusque aliis quibusdam de rebus agerent, non lino, & cera, ut communiter litteras obligare, & obsignare mos erat, sed erant, sicuti nunc ipsi loquimur, *Patentes*, & in ima tantum parte fidei caussa locabatur Sigillum, quod legimus in Pragmatico Childeberti Regis apud Aimoinum de Gestis Francorum libr. II. cap. XX., alibique, & ibi est animadvertendum Jacob. de Breul notare ad cap. X. ejusd. libr. ex Petro Caroli VI. Franc. Reg Cappellano, quod Chronic. Damasi Papæ commenta-

las; cordi tuo inhiat, hoc petit, hoc sibi perpetuo devinciri desiderat; accepit enim te humanitatis, & eloquentiæ, cujus & ipse studiosissimus est, esse jam principem atque Pontificem maximum; id est, quod in te colit, ac coram cupit exosculari, tu, si me amas, hunc hominem, quem singulariter diligo, comiter, ac pro tua solita in meos omnes facilitate, ac festivitate suscipias; quem & Cardinali nostro viro maximo perjucundum efficias, quæ vero ad meum statum attinent, & fortunam, ab hoc viro suavissimo accipies vivo sermone, quarum rerum, & ipse magna pars fuit. Vale, meque mutuo ama. Ex Lauda.

ANTONIUS PANORMITA.

RICCARDO SUAVISSIMO S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMAPRIMA.

Litterarum rogationi vacat, commendationique Amici, cui perferendas tradit suas litteras, additque salutationem Alberti.

ADigressu tuo hinc neque litteras, neque nuntium accipio, quod proinde mihi grave est, nam in amore mollis sum nimis, in te præsertim amando, quippe qui me tuis pharmacis, idest humanitate tua irretitum reliquisti, ut præ tui desiderio timuerim aliquando tabescere, hoccine amicitiæ est, silere tamdiu? Hoccine pietatis, amicum deserere? Verum pro tua hac lentitudine mihi pœnas licebit rependas, videlicet ne graveris, aut graveris licebit, hunc tamen adlatorem epistolarum virum eloquentissimum conducas, ac perducas volo per omnes istas ruinas, perque loca omnia Romanæ urbis insignia; id enim ipsum, ut est solertissimus antiquitatis scrutator, in primis avet, atque a te efflagitat. Enim vero ut paucis deprehendas, meo huic divino Principi, ac principibus his viris omnibus gratus, & jucundus est, proque suis litteris, proque sua egregia virtute dignus nimirum qui a summis viris diligatur, & observetur: eum igitur ama, & amorem fœneraberis, scio ei quantum in te benefacias, neque oleum perdes, aut impensas: mihi vero nihil e Roma voluptuosius referre potest, quam si intellexero eum tecum coivisse gratiam immortalem, reliqua aget ipse

tus, *Olim*, inquit, *non appendebantur Sigilla per Corrigiam, vel fila; sicut hodie, sed affigebantur litteris, tenebantque chartam amplexam ab utraque parte, cum bona quantitate ceræ; Idque observatum est usque ad Ludovicum Crassum, qui regnare cæpit A. C. MCX. Hic enim primus cæpit appendere Sigilla*; Istis itaque Sigillis quum *Bullæ* nomen sit impositum, & easdem litteras, quæ signarentur a Principibus, quin & Summorum Pontificum decreta *Bullas* Auctores Ecclesiastici dixerunt, quorum ex sensu Panorm. hic Bullarum nomen apponit.

ipse præsenti sermone. Francisco Alberto viro splendidissimo me simul, & tabellarium meum Antonium Cremonam, etiam, atque etiam commenda. Cathalanus ex me salvus, ac lætus sit. Vale meum suavium. Ex Lauda.

ANTONIUS PANORMITA,

CATHALANO LASELÆ VIRO HUMANISSIMO S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMASECUNDA.

Omnia de se coram dicturum litterarum adlatorem affirmat; quædam de pecunia, ac Dionysio deinceps adjicit.

ANullo antehac plenius, aut suavius accipere potuisti fortunas meas, quam ab hoc potes adlatore litterarum, viro pereloquenti, ac mihi arctissima devincto familiaritate, quod facias velim, nam & jucunditate narrantis oblectabere multum, & meas vices gaudebis certe scio. Vivo equidem lætus, & a summo, ac divino hoc Principe dilectus, vel supra morem, verum hæc, & similia plura de me intelliges a Cremona meo: in quibus si quid est, quod possum aut tuo, aut Bornii fratris nomine, summa, atque omni diligentia, ac perlibenter id quod libuerit deducam: tibi quidem, & per te tuis omnibus perpetuo sum obnoxius, idque & fateor, ac continue fatebor apud gentes. jam vero puto tua tibi pecunia restituta sit integra, aut magna saltem ex parte: sin minus non mea culpa, aut ingratitudine accidit, sed mensariorum (a) Mediolanensium, quibus mandavi jam dudum uti gemmæ illæ proscriberentur, deque pretio fieret satis Cathalano meo; item aliam quandam pecuniam quam tenebant meam, tibi, ut traderent jussi: id fit nec ne tandem dissolutum ignoro, & a te certior fieri concupisco. Interim Panormitam tuum amato, a quo redamaris in mirum modum. Dionysium audio Roma discessisse virum aureum, & de me bene merentem: sit felix ubicunque sit, Tu vale. Ex Lauda.

AN-

(a) *Mensarius* latine a Panorm. scribitur; qui & *Nummularius* est Ulpiano l. si hominem ff. depositi: Et hic ex Abaco dicitur, sive Mensa, in qua pecunia numeratur, cujus quidem institutionem vetustam ex Livio dignoscimus, qui libr. VII. cap. XXI. *Solutionem*, inquit, *æris alieni in publicam curam verterunt, quinque-Viris creatis, quos Mensarios a dispensatione Pecuniæ appellarunt*. & Cic. pro Flacco cap. XIX. *Cum Civitate mihi res est acerrima, & conscientissima litterarum, in qua nummus moveri nullus potest, sine quinque Prætoribus, tribus Quæstoribus, quatuor Mensariis, qui apud illos a Populo creantur*. In idem recidunt *Mensarii* munus, & Argentarii, & *Trapezitæ* nomen, quorum Auctores latini meminerunt, iique diverso tametsi vocabulo, uno tamen instituto sunt *Mensariis* attribuendi.

ANTONIUS PANORMITA

MARCOLINO BARBAVARIO S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMATERTIA.

Illi plaudit, missaque Gaudentii littera ad se data eum ad Gaudentii laudes incitat.

EX litteris nuper ad Mercurium tuis, quanquam ex tempore, ac raptim editis, licuit tamen animadvertere, & ingenium tuum ad eloquentiam natum, & quod magni facio, modestiam animi singularem, nam cum sis natura dulcis, & suavis, nec minus plane doctus, & eruditus, mavis more Socratico esse, quam videri, ac prædicare te unum scire, nihil scire. Præclare medius fidius, atque hac temporis licentia ideo mirabilius, atque laudabilius, quod cum omnes pene dixerim elingues simus, Cicerones, & Virgilio apparere contendimus; adeo quidem omnia referuntur ad ostentationem, ad veram animi sapientiam nihil. Furata sunt omnia, accersita, temeraria, atque adeo ardua audemus, ut jam Dii superi cœlo reformident. Tu contra, nihil mehercle blandior, solus fere intra te gaudes, & est intra te sane, ut gaudeas, ne vanam aliunde adsciscas voluptatem, est inquam in te Deus ille Socraticus, id est vera virtus, veraque sapientia: nec in te solum effulget illustre illud Barbavariorum genus, sed etiam majorum tuorum mores, aurei quidem illi, & in te efflorescunt, videnturque præseferre quandam laudis spem certam, & hæreditariam: sed de hoc alias accuratius, prolixiusque. Tibi mitto epistolam quandam Gaudentii mei, versibus ad me proxime exaratam, meo quidem animo elegantem, & te dignam: redolent in ea omnia antiquitatem, & ut auctor ipse Romanus est, sic & hoc: & quicquid ab eo quotidie emanat, quandam spirat, sapitque Romanitatem, omnia sunt in eo tersa, luculenta, omnia crebra, & sonora, eam perlegas, te oro, tametsi vel invitum te trahet scio, eam æstimes, & siquid est, quod in ea te fortassis oblectet, quod spero fore, id ingenue, & sincere, ut cætera, pronunties, qui mihi enim in hac re per amicitiam fortasse non credunt, tibi pro tuo gravi, & severo judicio adsentiant oportebit. Equidem nolim illi amorem, & officium meum obesse, virumque doctum mea causa sua laude fraudari. Vale.

ANDREÆ THEOLOGO S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMAQUARTA.

Spe honoris allectum hortatur, ut ad se veniat.

Vellem pluribus, sed de via fessus, pluribus tecum agere non possum. Veni, fortuna tibi parta est honorificentissima, & satis utilis, etiam præter lecturam (*a*) quam tibi facile impetrabimus. Et tu putabas me fortassis oblitum tui: at ego feci, ut crearere studii, ut vulgo loquar, Cancellarius (*b*) honor, ut nosti summus, & utilitas magna, tu

---

(*a*) Lecturam ex Auct. Nostr. liquet hic esse, quæ erudiendis discipulis a Magistro palam explanatur; huic nomen est aliud, nempe lectio, allocutionum scilicet, & sermo, quibus Auditores publice imbuuntur; id autem quod sequior Ætas *Lectionem* vocavit, dixere Latini *Acroasim*, nomine mutuato ex Græcis, sive Latina denominatione verbum de verbo exprimentes *Auditionem* appellarunt, ut Vitruv. libr. X. cap. XXII., & Aul. Gell. libr. XVII. cap. II. *Professores* item recentior appellatio eos nominari tulit, qui aliorum præsunt institutioni, tametsi nec ignota vox Antiquis fuerit, eaque de caussa Quintilianus, *Geometriæ*, *Grammaticæ*, *cæterasque Artium Professores*, libr. II. cap. XI. commemorat, hoc est Viros Litteratos, qui liberales Artes doceant, Medio Ævo *Lectura* perfuncti.

(*b*) *Cancellarius* ex Auct. Nostr. is accipitur, qui a Medii Ævi Scriptoribus dictus est; Clarus nimirum Vir, rei litterariæ in Academia Moderator Amplissimus, cui demandata sit cura in studiosorum utilitatem Magistros idoneos legendi, ac in illis emendandi quidquid reprehensione sit dignum, sufectisque optimis a Doctorum cœtu amovendi, qui peccent inscitia; Ejus præterea jussu Baccalaurei, ut ajunt, ad Doctoralem honorem promoventur, conditis novis legibus veteres abrogantur, & ad Scholarum disciplinam instaurandam, aut restituendam quodcumque spectat, probis institutionibus communitur; Qua propter ad istam per omne tempus evecti sunt dignitatem, ex mente potissimum Summorum Pontific., homines præstantissimi, Episcopi plerumque, ad munus diligenter obeundum aptissime comparati; Qua in re ad commendationem nati, ut in cæteris, solertissime Siculi, Publicam Academiam jamdiu Catanæ florentem, eodem Catanensium Præsuli, longe omnium Nobilissimo Cancellario, regi gratulantur, magnificentissimoque Oneri parem suspiciunt, & Catanensi nunc Infula ornatum Virum Principem Petrum Galletti, Patritium Panormit. Ex Princip. Flum. Salsi, quem litterarum, litteratorumque bono, boni superi diu sospitem, incolumemque servent, cujus inter præclaras Animi dotes, ultimo non est loco habenda Religiosa pietas, eaque sane maxima, qua nostram Clericorum Regularium, vernacule Teatinorum Familiam, Catanæ perhumaniter complexus, amore, ac incredibili propemodum charitate prosequitur; Ingenua propterea obsequii gratia obliterare non patitur tanti hominis beneficia, quem dignitatis, honorisque caussa nominatum, apud Lectorem humanissimum in existimationem adducere non abs re esse judicamus.

tu viam vora, teque confer ad Stratellæ oppidum, ubi pestilentiam fugiens ago in præsentiarum. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

MARCETTO VIRO SPLENDIDIDISSIMO S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAQUINTA.

Hujus necessitudini inhiat, ad se quod attinet deinde coram Cambium acturum enuntiat.

Liceat affari te Marcette iisdem carminibus, quibus affatur Fuscum Poeta quidam non illepidus.

Siquid Marce vacas adhuc amari,
Nam sunt hinc tibi, sunt & hinc amici,
Unum si superest locum rogamus,
Ne me, quod tibi sum novus, recuses,
Omnes hoc veteres tui fuere,
Tu tantum inspice, qui novus paratur;
An possit fieri vetus sodalis.

Quod si id postulando cuipiam forsan importunus, atque insolens visus fuero, magnum profecto munus amicitiæ, tuæ præsertim est, id egregie, atque eximiæ virtuti, & probitati tuæ potius imputet: quippe quæ facit, ut qui te nunquam viderint, te & diligant, & admirentur, & abs te diligi magnopere concupiscant: idque si acciderit, se se tali benevolentia fortunatos existiment, & recte quidem, amari enim a spectatis, & maximis viris, id non ultimam hominis laudem esse majores tradiderunt, quo fit, ut tu quoque proinde quia divino nostro Principi mirifice places, clarissimum argumentum exhibeas humanitatis, atque modestiæ. Virtute quidem, ac probitate præditi homines natura malos exhorrent, & haud secus atque venenum evitant: contra autem, bonos, ac puros toto pectore amplexantur, iisque tantummodo oblectantur: in quibus imaginem quandam, & similitudinem sui cernere videantur. Itaque mea quidem sententia non potest, non tersus, & non emendatus esse, qui magnis viris, & ornatissimis collibuerit. Quamobrem non absurde fortasse id fecerit, siquis tuam gratiam inire studuerit, velut locupletissimum testem quærens, a quo virtus, si qua sit, illustretur sua, sed ut ipse finem faciam, teque non abducam amplius ab honestissimis officiis tuis, ardeo, & quidem cupiditate incredibili abs te amari, & in tuis, vel minimis familiaribus adscribi: quod si pro tua illa benignitate, qua inter mortales excellis, a te exoravero, vitam Deorum immortalium adeptum me esse crediderim; illudq; Poetæ nostri ad te sæpius decantabo,

Tu

.... *Tu das epulis accumbere Divum*, (a) hæc hactenus. Cambius noster vir amplissimus quædam, quæ ad me pertinent, vivo sermone tecum aget; qua in re si tuo studio, tuaque diligentia uti velis, nihil addubitamus voti nostri, desideriique compotes fieri, ex quo vel ad glebam usque me obligabis, nec non musulas meas tibi perpetuum constitues debitrices: quæ si tua opera otium nanciscantur, una cum Cœsare nostro ad cœlum, ni fallor, laudibus efferere; pergratæ enim musulæ sunt, & beneficia perire non sinunt. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.
GAUDENTIO S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMASEXTA.

Describit ubi sit, consilium suum de illius profectione manifestat, librumque ab ipso evulgatum exoptat ardentissime.

ERam & ipse de te vehementer anxius, hoc maxime rure agens; ubi innumerabilibus ferme incommoditatibus, atque molestiis dejectus, ac prope confectus sum, cum tuis interim epistolis, id est suavitate incredibili recreatus, atque restitutus sum: quibus haud scio, an fortunatius fortasse aliquid, sed nihil certe jucundius, aut opportunius mihi in hoc præsertim loco potuisset accidere: quodque me erigeret promptius, atque redimeret ab hisce turbationibus, oppugnationibusque rusticanis. Audi quid hoc est, te obsecro, paucis absolvam. Est hoc in loco pro domicilio mihi casa quædam, quam rectius haram porcariam appellarim, atra, atque adeo obscura, ut ne noctuæ quidem, aut cuculi inhabitent: fuligine, rubigine, araneis, & squalore obsita, ac mucida, tibicine circumquaque fulta, & ruinam minitans, atque mortem, hanc interdiu, ac noctu perpetuo circum excubant fastidiosæ fœminæ linum tundentes, & nescias an rudentes potius, quam ridentes, & latrantes magis, quam cantantes; sed quidquam id est certe molestum, atque perpetuum est: prope autem area messes terit non sine crepitu, strepituque. Hinc igitur, ut vides obtusus, illinc oppressus,

(a) Locum affert Panorm. Nost., quem decerpsit ex Virgil. Æneid. libr. I. v. LXXXIII., illudque est præcipuo indicio, quo usi fuere veteres ad notam Divinitatis exprimendam, ut innuitur quoque in Horat. Carmin. lib. IV. Od. VIII. v. XXIX.

...... Sic Jovis interest
Optatis epulis impiger Hercules.

quemadmodum inominatum esse creditum est etiam, quod antiqui dixerunt *Mensa Deorum* quempiam non esse dignatum, ut Ecl. IV. sub finem testatus est ipse Virgilius

...... Cui non risere Parentes
Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

quorum alterum scilicet Mensam, Genio convenire, alterum idest Cubile ad Junonem spectare, docet Philargyrius,

ſus, ac propemodum oppugnatus ſum a porcis, pullis gallinaceis, anſeribus, aſinis, bobus; circumvallarunt me plauſtris, & clauſtris, merdis liquidioribus, & alto luto; effecerunt, ut me domi continue retinerem, nec pedem proferre auderem etiam caligatus: neque domi tutus ſum, nam præterquam quod perbrevis illa eſt, & furno magis, quam domui ſimilis, & qualiſcumque etiam ruinoſa, excurſione ſoricum, & acerba, & perpetua inter ſe prælia, & tumultus, me territant, & in primis infeſtant. Jam vero, ut Codrus ille ſatyricus diceret,

Et divina opicis roſerunt carmina mures:

roſerunt veſtes, roſerunt calceos, ſoleas, braeas, roſerunt denique palpebras Ergotelis, & Palatioli os, & aures. Hiccine me poetari putas? Hiccine philoſophari? Quid dicam præterea? Aut quid non dicam? De culicibus, pulicibus, muſcis, crabronibus, fucis, & his, & ſexcentis aliis crucibus, quibus hic exedor, exenteror, mactor? Quæ omnia in præſentiarum prætereo, ut ad te veniam. Tu quidem ſane Haruſpex,(a) & mearum quaſi conſcius ærumnarum amice pariter,& hu-

(a) *Haruſpex* hic Noſtr. ex Auct. ſententia ponitur, ut rerum futurarum Divinitator.; *Haruſpicio* enim obventura prænuntiari poſſe Veteres cenſuerunt; ac illud quidem præſtitum ex diligenti Victimarum inſpectione, præſertim in Extis adhibita, cui & *Extiſpicio* nomen fuit; *Haruſpicum* itaque fuit, ſedulo Extas rimati, ac obſervare per partes, ut eventuras res conjectura facili aſſequerentur; *Exta* autem, quaſi *Exſecta* Deorum cultui ea ſunt maxime credita, quæ maxime eminerent, extarentque, videlicet *Cor*, *pulmo*, *jecur*, *fel*, ac præcordiorum cætera, quæ inter, *jecur* in *Extiſpicina* Græcorum primo eſt habitum loco; Singula quidem eo debebant contemplari ordine *Haruſpices*, ut nil omnino prætermitterent, Colorem, habitum, omneſque motus perpendentibus exitus ſive auſpicati, ſive inominati dubiis portendi putabantur in rebus, quod & firmare ſunt viſa quæ Romanis fauſta, vel infortunata nonnumquam acciderunt, ut antiquis litteris mandatum eſt, & in hiſtoriarum pierumque monumentis occurrit, ad Romanos potiſſimum attinentia; Ab illis proinde iſtæ tanti factæ ſunt *Haruſpicinæ divinationes*, ut nihil abſque illarum interventu ordiri ſint auſi, earumque ritus Sacrificiis abſolvere conſueverunt, quorum alia *Muta* ſunt vocata, quod ſcilicet nullo prorſus ſigno paterent, multa dicta ſunt *Arguta*, quod nimirum conſpicuis, & illuſtribus notis demonſtrarentur, pleraque *Regalia* ſunt appellata, quæ videlicet fortunatum quidpiam, ac felix pollicerentur; Quæ vero Divinationum foret ratio, conſulendi quiſnam eſſet modus libri docebant, a Romanis cura præcipua, cuſtodiaque aſſervati, & in *Haruſpicum* diſcipiina Romanorum filii nobiliſſimi excercebantur, miſſi idcirco ad Hetruſcos, *Haruſpicum* Principes, ut inde *Diſciplinæ Haruſpicinæ* præcepta commodius haurirent, Hetruſci enim Italorum omnium primi *Haruſpicino* munere Romæ ſunt functi, iique *Exta* non tantum, ſed inſuper *Portenta*, *Prodigia*, *Fulmina*, vel quidquid eſſet *Oſtenti*, ſive in aris, ſive in Cœlo, ſive in Domibus ſunt interpretati; Illorum uno conſilio, ominibuſque indicari viſa eſt fax in Cœio præfulgens, lapidum pluvia, Androgyni nativitas, Virgo filium enixa, & demum cuncta, quæ naturæ ordinem, ac leges eſſent prætergreſſa; Romano *Haruſpices* nomen dediſſe *Collegio*, ac in *Ordinem* deinceps fuiſſe cooptatos Vetus Lapis docet effoſſus Romæ Anno MDCV.

humaniter effecisti, litteras ad me dando pervenustas quidem, ac meis hisce infortuniis unicum profecto remedium. Scribis ut in scribendo eam gloriam adepturus sis, quam adhuc juvenum adsecutus est nemo; provocas adolescens senes, provocas, & vincis, ingenio, & natura felix, doctrina eruditissimus, oratione adeo dulcis, & suavis, ut quæ ipse componis, efficere, ac complere apes floribus, & innectere videantur; sed de te apud te non dicam ulterius. De profectione autem tua sic sentio, ut siquidem a summo Pontifice accersitus es, eas, nihil te moror: dignitas enim tua simul, & utilitas me licet desertum, proque tua absentia semianimem eriget, atque exuscitabit scio: sin vero intemperata quadam propinquorum tuorum benevolentia evocaris, itaque in rem minus certam profecturus es, ne decedas te hortor, atque rogo, ne illorum mollities te infirmet, deque gradu dejiciat, ut dicitur. Præterea illuc accessurus es, unde omnes exeunt, fugiuntque propter famem, bellum civile, & pestilentiam, ut Beati quodammodo habeantur, si quibus illinc se recipere potestas, aut facultas data est, est nimirum

L. FONTEJUS. FLAVIANUS.
HARUSPEX. AUGG. CC.
PONTIFEX. DICTATOR.
ALBANUS. MAG. PUBLICUS
HARUSPICUM. ORDINI
HARUSPICUM. LX. D. D.

Cujus Inscriptionis adnotarunt Eruditi quod est potissimum, hoc est τό *Magister Publicus Haruspicum*, nam exinde colligitur *Haruspicum* fuisse Doctores, qui cæteros erudirent, Ritualesque *Haruspicinæ Disciplinæ* libros Tages primus conscripsisse Tyrrhenorum utilitati perhibetur, de quo Ovidius Metamorph. libr. XV. v. DLIII.

Haud aliter stupuit quam cum Tyrrhenus arator
Fatalem Glebam motis adspexit in arvis
Sponte sua primum, nulloque agitante moveri,
Sumere mox hominis, terræque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis.
Indigenæ dixere Tagen, qui primus Etruscam
Edocuit Gentem casus aperire futuros.

Eorumque postea librorum Sententias quindecim accurate voluminibus exposuit Antistius Labeo, *Haruspicinæ* rei studiosos ad venturorum casuum series egregiis informans Institutionibus; Earum tamen altius esse primordia repetenda patenter ostenditur ex Prophetiæ Ezechielis cap. XXI. v. XXI. *Stetit enim Rex Babylonis in bivio, in capite duorum viarum, divinationem quærens, commiscens sagittas, interrogavit Idola, Exta consuluit*; quæ postrema verba sic est accurate interpretatus Vir eruditissimus August. Calmet, insignis, ac pervetusti Ord. Benedictini Alumnus in Congreg. SS. Vitoni, & Hidulphi apud Gallos: *Mos futura presagiendi ex motu fibrarum jecoris bostiæ recens immolotæ possim adeo occurrit in Antiquitate, ut inutile prorsus multis hic detineri arbitrer. Putat Grotius ex Choldæis Lydios superstitiosum hunc morem didicisse, qui a Lydiis ad Etruscos, ab Etruscis ad reliquos Italiæ populos migravit. Refert Cic. lib. I. de Divinat. primum victimarum exta, & jecur consuli consuevisse, tantum ad salubritatis, & pestilentiæ signa percipienda*. Haruspicum etiam fuisse peritissimos Armenios, & Comagenos, Phœniciæ, ac Judææ propius adjacentes, neque a Chaldæa valde disjunctos, discimus a Juvenal. Sat. VI. v. DXLVIII.

Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi
Testamentum ingens, calidæ pulmone Columbæ

tum tibi hic gentium tenue salarium, tuaque doctrina, ac meritis non satis dignum: id fateor, verum illud meminisse præstabit, quid Turpilius Limpia eleganter ait, profecto ut *quisque minimo contentus fuit, ita fortunatam vitam vixit maxime*, ut Philosophi nunc isti, quibus quidvis sat est. Quod si grandiorem tibi pecuniam expetiscis, erit tibi publica Ticini lectura, & de meo salario tibi quantumvis impartias, tuoque superadjicias volo, spondeo, recipio, atque adeo omnia, quæ mea sunt, tibi habeas communia, & utaris, & fruaris. Postremo eum librum, quem de voluptate nuper edidisti, videre ardeo cupiditate incredibili, eo magis quod de dolore scribere mihi cordi est. Opus id igitur, quam maturrime ad me mittas te oro, & obtestor: aut si vacat, ipse me visens adferas tecum optatissime, mi Gaudenti. Vale litterarum spes, & Bossio Pontifici, & Bossiolo tuo meo nomine salutem plurimam impartias. Ex Stratella.



Tractato, Armenius, vel Comagenus Haruspex.
Pectora Pullorum rimabitur, Exta Catelli,
Interdum, & pueri: faciet quod deferat ipse.

Verum a nobis dum ista consideramus, juges Deo O.M. gratiæ sunt habendæ, qui per Divinum veræ fidei lumen nostras liberaverit mentes ab inani Superstitionis errore, cui plerumque Veterum Doctissimi sunt adversati; hinc Columel. l. XII. *Haruspices*, ait, *vana superstitione rudes animos ad impensas compellunt*, & clarius Hippocrates in libr. de iis quæ ad Virgines spectant, *Redeunte*, inquit, *ad mentem homine, Mulieres cum alia multa, tum vero etiam vestes muliebres pretiosissimas Dianæ consecraent, a Vatibus*, idest, *Haruspicibus deceptæ*.

LIBRI TERTII
FINIS.

EPISTOLARUM GALLICARUM
LIBER QVARTVS.

LIBER QUARTUS.

ANTONIUS PANORMITA,

DOMINICO FERUFFINO VIRO HUMANISSIMO S. P. D.

EPISTOLA PRIMA.

Suadet, ut ad se venire maturet.

QUonam usque tandem te moraturi sumus, an usque dum tui desiderio tabescamus? Te quidem in diem ex die jam dudum expectamus, neque adhuc ista illucescit dies, neq; usquam appares. Quod & si me fortasse æquius ferre, ut virum decet, arbitraris, an ignoras mulieres esse, & moræ, & amoris omnino impatientes? Cum dico mulieres, & sororias tuas interpretare, quæ, ut tuæ salutis tenerrimæ sunt, ita te efflictim amant, ita tuum huc adventum vel præcipue optant, etiam supplicationibus, & votis, pararunt tibi sexcentas delitias, quæ non modo te febribus debilitatum in pristinam valetudinem restituere queant, sed etiam Lazarum a mortuis suscitare, cultæ tibi sunt pulcherrimæ quæque Ticinenses Nymphæ, ad harmoniam tibi instrumenta omnia adornata, simul & temperata, purgata pavimenta, aulæis tecti parietes, floribus, sertis, & suavibus herbis rident, ac redolent omnia, teque ad voluptatem quasi exposcere videntur. Vinum præterea non præteribo, tum Chium, tum Cretensem, tum Ultrinascum, quæ tibi quanquam parata sordeant, ac flocci fiant, febrientibus enim vina non sapiunt, tamen lætitiæ, ac voluptatis condimentum est Bacchus, poteritque si non te, tuum saltem sodalem huc facile pellicere. Tibi vero, si aquula per hæc tempora magis placet, ubi illam vel gustu suaviorem, vel visu jucundiorem, vel tactu leviorem invenias, quam in Ticini fluento, quam in pomario Principis, quod Barchum vocant? Ubi præter limpidissimos rivulos prata extant perpetuo viridantia, luci amœnissimi, arbores, ac fructus cujusq; generis, avicularum perpetui cantus, piscinæ, cuniculinæ, atque hinc lepores obambulant, hinc damæ pascuntur, hinc cervi ob amorem præliantur: atque hæc omnia hic tam varia, tam multa, tam amœna, ut nuspiam in toto orbe terrarum, aut varia magis, aut plura, aut jucundiora esse dicantur. Quid urbem loquar, quid pontem, quid palatia, quid viarum strata, quid arcem præstantissimam? Quæ quanquam tibi neque emenda, neque incolenda diu sunt, tamen quia præclara, & magnifica sunt, poterunt ad paucos dies oculos pascere, ac recuperandæ valetudini plurimum adjumento esse. Nescio an adhuc videris has triumphales naves, quas Galli vos Galliones appellatis: si nondum videris, hoc vel unum hercle spectaculum te recreare, ac pro-

 tinus

tinus redintegrare potis est, earum sane mirum artificium, & inauditam fluminibus molem ab aliis accepisti: verum hoc maxime juvabit, si quando eas ipse oculis legens, illius inclytæ victoriæ excitabitur memoria, quæ salutis nostri Principis causa est, & sempiternæ gloriæ. Ego, ut de illis meum aliquando testimonium afferam, nunquam hujusmodi naves inviso, quin mihi ad ad cœlum animus erigatur, & ex Poeta Imperator factus mihi videar. Quæris præterea oblectamenta litterarum: hic ut nosti, gymnasium & est, & floret artium bonarum, ago & hic tuus ego, qui tibi cum Poetarum jucundissima lectione nusquam defuero, suadent hæc, & plura etiam, ut ad nos advoles mi Dominice: tum deniq; te illud impellit, quod mutatio aeris ægrotantibus unicum est remedium: relaxamenta interdum ipsis fortibus conceduntur. Hæc adeo raptim, & festinanter a me scripta sunt, quam a te velociter lecta; ne dum inaccurate tempus tererem, tu in veniendo tempus differres. Vale mea lux, & veni.

ANTONIUS PANORMITA

FERUFFINO S. P. D.

EPISTOLA SECUNDA.

Post commendatam Cæciliæ causam, de littera deferenda Philippo ad illum fatur.

CAusam Cæciliæ meæ, mulieris urbanissimæ, quæ tuis auspiciis, ut illa scribit, commissa est Nicolao amico, & familiari tuo, te peto, ac rogo commendatam habe, dumque Alexandriæ agit, accelera, ut victrix evadat Guarinastria nostra: id mihi pergratum erit, ut per hæc tempora, præter victoriam nostri Principis, nihil possit esse jucundius. Rogarem te efficacius, nisi preces amicorum molestas haberes, mallesque illis non rogatus, quam rogatus benefacere. Expecto ut epistolam tu ipse deferas ad Philippum Ducem, quæ de laudibus Antonii inscribitur; absoluta etenim diu te unum adlatorem præstolatur, ut si per se suavis ipsa non sit, auctoritate certe tabellarii suavis, & amœna reddatur. Vale decus amicitiæ, ego ita valeo, ut inter hos strepitus, crepitus, muscas, & crabrones valere possum.

AN-

ANTONIUS PANORMITA.

DOMINICO FERUFFINO S. P. D.

EPISTOLA TERTIA.

Litteras ad suos per illum dandas, & ad se antea mittendas curat.

Audio tibi injunctam esse provinciam describendi litteras familiaritatis meæ, tum ad Alphonsum commendatitias, tum alias ad propinquos, & necessarios meos, proinde mihi maxime gratulor: nam tu, cum disertus, atque eloquens per te sis, accedet etiam eloquentiæ charitas illa, qua versus me flagras mirum in modum, tum enim præclaræ scribimus, aut facimus, nosque metipsos exuperamus, si ingenio & doctrinæ amor, aut odium congeratur, spero itaque illas ornate, accurateque scriptas, mihi admodum fortunatas adventuras, cures modo statim absolvantur; perdurum namque est diutius ferre desiderium, verum id ita si modo celeritas obfutura non sit, studio tuo invigiles ad illas familiaritatis, præsertim quibus quantum in similibus, aut dignitatis, aut prærogativæ aut commoditatis concedi solet, nihil prætermittas velim: non quod ambitiosus sim ego, nihil enim magna exhorreo, sed ut hisce sermonibus impleantur utres agnatorum meorum, quo mihi facilius, liberiusque concedatur licentia remorandi, & habitandi cum Philippo Principe: ab eis enim pendeo, mi Dominice,

Ut nihil invita dicam, faciamque Minerva,

deprehendis itaque quid illis scribere necesse habeas, ut contententur, quidve sperandum eis item sit de hac Principis nostri deliberatione, deque ejus in me tam singulari, & opinione, & affectione. Exemplum vero epistolarum cum ad Regem, tum ad propinquos meos ad me prius mittito: nec non illas ipsas primogenias sigillo Principis occlusas, & insignitas, vide quid stultus, & ineptus curem, cum potius philosophari, aut poetari deberem: sed amor, & pietas in propinquos hoc ipsum persuasit, ac compulit, mi suavissime Feruffine. Vale cum scribis collegis tuis, Vir clarissime.



AN-

ANTONIUS PANORMITA

DOMINICO FERUFFINO V. C. S. P. D.

EPISTOLA QUARTA.

Aspirat ad servitium Principis, Joliæque Catellæ Epitaphio memorato, eumque obtestatus, ne scribendo sibi desit, ut Cremona, & Palatius, officiosus est in Marcolinum.

DUm expecto ut per otium mihi liceat aliquid paullo accuratius ad te scribere, atque eo pacto saltem præclaro illi tuo dono gratiam referre, hactenus neque tibi, neque desiderio satis meo facere potui, confundor equidem animi quadam ægritudine, & ita confundor, ut neque amicis vacare, neque laudi, neque ingenio queam: quod & tu nosti, & pro tua in me singulari pietate compateris, & angeris mihi certe scio, nam qui sperant, atque animo suspenduntur, in vita quodammodo vitales non sunt, hoc est ignavi sunt, desides sunt, & prorsus inutiles, ac prope mortui, quippe dum futuris inhiant, instantia prætermittunt, ac negligunt, quasi Virgilianus

. . . . *Ille horridus, Ater*
Desidia, latamque trahens inglorius alvum.

In hunc igitur modum in præsentia dego, degamque quoad vel Poeta Principis prodeam, vel famulus, vel si superbum id utrumque est, quoad coquus, vel si quod coquo humilius est, pronuntier. Quare per sinceri-ta-

(a) Quod hic Auct. Nost. collocavit, est Virgilianum in Georg. libr. IV. v. XCIII. emendatius ita conscribendum

. . . . Ille horridus alter
Desidia, latamque trahens inglorius alvum.

Illic enim postquam narraverat inter duas Apum classes esse primam fulgentiorem, præstantioremque, ut v. XCII,

. . . . Hic melior, insignis & ore,
Et rutilis clarus squamis . . . . .

ad alteram viliorem, ignobilioremque descendit, cujus nempe forma latius æquo protendatur, eoque nota spectat, ex mente Interpretum non vulgarium, ut plurima laus tribuatur compressa, gracilique habitudine Apibus, & e contrario vitiosum hoc Insectum ducatur, si latum nimis, ac obesum sit: In hanc rem signanter Plin. lib. XI. cap. XVIII. *Apes sunt & rusticæ silvestresque, horridæ aspectu, multo iracundiores, sed opere, ac labore præstantes, Urbanarum duo genera; optimæ breves, variæque, & in rotunditatem compactiles: deteriores longæ, & quibus similitudo Vesparum, etiamnum deterrimæ ex iis pilosæ. Porrectiorum* item Apum vitia persequitur Aristoteles, quibus non videtur protensior Alvus convenire, quod compressiore, graciliorequé corpore debeant esse: Ducta est autem similitudo a Militibus, quorum in habendo delectu eos Imperatores prisci rejiciebant, qui essent denso ventre, quod graves, impeditique cum hoste non valerent in certamine congredi.

ritatem animi tui, perque in me studium illud incredibile te rogo, Mecœnatem, atque herum nostrum solicites, ut me ab hac animi tristitia aliquando liberet, me sibi vindicet, seu servitorem, ut vulgo, seu Poetam me dici suum maluerit. Ejus jussu epitaphium Joliæ suæ fecimus, non quidem quale fortassis ipse desiderabat, aut merebatur Catella illa præ cæteris pulchra, & suavis, sed quale ex media spe illa eadem animi ægritudine quivi componere. A Cremona nostro, neque ab Andrea Palatio viris clarissimis mihi quicquam renuntiatum est post digressum meum, quod non admiror, quinimmo execror, tu igitur sustineas vices omnium oportebit, alioqui silentium istud amicorum omni passione, & ne quid molestius dicam, etiam spe ipsa mihi deterius erit. Marcolino viro spectato, & insigni commissum, deditumque me facias, cui dum itidem expecto aliquid eo dignum exarare, vereor ne ingrati, & negligentis nomen induam apud virum omni laude dignissimum. Vale.

ANTONIUS PANORMITA

JOHANNI FERUFFINO JURIS CONSULTO S. P. D.

EPISTOLA QUINTA.

Ad se primum animum intendit, deinde ad gratulationem de Senatorio ejus gradu; culpat Ludovicum Ferrarium de Libro non reddito Guarino, ad quem datis litteris, & librum misit; Philippæ uxoris suæ, Feruffinorum, Ergotelisque mentione, & Amicorum salutatione litteram postremo concludit.

UNas, & item alteras a te litteras accepi a digressu meo, quibus ideo nihil respondi, quod me litteris purgare non erat necesse, velut fecissem, dixissemve aliquid excusatione dignum, si me nosti retuli semper omnia ad conscientiam, flocci faciens vulgi opinionem, vixi luculenter, & aperte nemini assentiens, præterquam vera præcipienti, loquatur de me vulgus, ut lubet, ego semper amabo perseveranter, simpliciter, fideliter: contemnam obtrectatores, odero delatores genus hominum pessimum: tumque mecum bene actum esse existimabo, cum hominum fæci displicuero, carus tibi, carus & sapientibus paucis. Tandem animi puritas eluxit, elucebitque, & veritas diu obtegi non potest, & de his satis. Renuntias te receptum esse in Senatorum numerum a Philippo Duce, & Principe divino, gaudeo medius fidius, & tibi gratulor: quippe qui hoc in loco promptius queas animi virtutem ostendere, prudentiam, justitiam, gravitatem, animi excellentiam, quam in Schola illa Legulejorum, ubi quanquam laus aliqua ingenii, aut memoriæ sit, tamen odiosa hoc tempore efficitur

scholasticorum immodestia: multumque refert doceas ne justitiam, an illam exerceas: etenim in legendo clarus efficieris, in exercendo etiam bonus. Memini me tibi hunc locum jampridem vaticinatum esse, nec me vatem poesis fecerat, sed gravissimi mores tui, qui sibi amplissimam hanc sedem suo quodammodo jure vendicare videbantur, necnon Principis natura, quæ talis est, ut prudentissimos, atque integerrimos quosque in consuetudinem adhibeat, si adsint, sin minus, accersat, merito itaque gaudeo, ubi videam virtutem, quod plerumque fit, tibi peperisse fortunam, & homini summam dignitatem obtigisse, qui ex amicis certis mihi sit plane certissimus. Nunc Ludovicum Ferrarium istum, tuum, olim meum familiarem compello, hominem vere ferreum, & ut rugas contrahat, etiam ingratum: is enim causa est omnis contractiunculæ Guarini viri constantissimi contra me: cum enim sua omnis culpa, & levitas sit, in me rejicit crimen Ludovicus: siquidem abeunti mihi, atque addubitanti mecum deferre Guarini codicem suasit, jussit, perpulit, voluit ut deferrem illum omnino, recipiens in se Guarini avunculi onus: immo contradicenti mihi respondit, si moleste tandem id laturus est Guarinus, quod nequaquam putes, hisce meis digitis exscribam illi longe pulchriorem Plautum, ac pretiosiorem: adsensi tandem, ut de Ludovico utique benemeritus. Nosti tu quidem beneficia mea erga Ludovicum, quem nos eundem Guarinastrum appellabamus, & nisi illa exprobrare videremur, memorarem ei, quot menses etiam ægrotantem acceperim domi meæ, ac matrem una: quoties me Mediolanum dimisere pro se oratum inclytum ductorem tunc justitiæ Præsidem Piccininum, quem tandem in re Guarinianorum deperdita, non solum oravi, sed exoravi, obtinuique contra eorum adversarios veteratores quidem, sed benevolos meos. Miseros juvi, erexi, direxi, protexi, beavi denique, eo tempore beneficiorum memores, utpote recentium, & satis gratos: nam me Genuam usque Ludovicus comitatus est. Me vero abeunte, & ab oculis ejus semoto, vide obsecro quid fecerit, aut quid potius non fecerit, non me modo non excusavit, sed incusavit, nec se id fecisse, sed me criminatus est: in me transtulit culpam, in me pœnam, hoc est Guarini indignationem, omnia mihi promissa mentitus. Ego vero id fore prospiciens, ut primum licuit librum transcribi curavi, suum Guarino seponens: quem cum invenissem, qui deferre non gravaretur, domino restituerem. Cum vero Florentiam me contuli Regis legatus, ideo librum ipse mecum non attuli, quod Panormii liber erat, non Cajetæ: unde subito proficisci mihi fuit necesse Principis mei jussu. Injustam ubi primum libri hujus querimoniam accepi, statim per epistolam Guarino me excusavi iisdem fere verbis, quibus nunc me purgo Compater apud te; litteras ad Guarinum dedimus Scipioni Ferrariensi utriusque nostrum amantissimo, nunc ut audio Pontifici Utinensi; is reddiderit nec ne mihi satis incertum est, nam Guarinus super hac re nunquam mihi aut scripsit aliquid, nec respondit, subiratus, ut arbitror, sed quid ultra immoror? Consignavi-

mus

mus (*a*) librum Hieronymo Senensi Philippi Ducis Nuntio ad Alphonsum, tibi, ut admones deferendum, quo Guarino tutius, certiusque reddatur. Interim Guarinum virum humanissimum mihi reconciliabis: quem nisi plus quam oculos meos amo, Dii mihi oculos exturbent. Uxor mea Philippa Commater (*b*) tua pulerhe valet, gravida jam septem mensibus, cum pariet, quid ni pariet, statim tibi, & Ergoteli significabitur: si masculum, quod Dii faxint, exsolvet, vocabitur Ergoteles, sin fœminam, Ferussina. De tuis autem quatuor Ferussinulis gratanter, ac volupe intellexi, quos certo scio ita institues, ut patrem, patruosq; repræsentent, & effingant. Quod Ergoteles Dominico devinctus sit, maxime gaudeo, par pari conjunctus est, moratus morato, simplici simplex, inter quos ut necessaria, sic & diuturna, ac perpetua amicitia

tia

(*a*) *Consignavimus*, ait hic Panorm., *librum Hieronymo Senensi*, hoc est *in manu deposuimus*, quod habet Svetonius in Claud. *Quam cum comperisset super probra. & flagitia, C. etiam Silio nupsisse, dote inter Haruspices consignata, supplicio affecit*; Cæterum latinitate servata, communius dicitur *Consignare* idem ac *Signare. firmare, notare*; Ita Plautus in Curcul., Trinum., alibique, *Tabulas*, itemque *Epistolas consignari* pronunciat; & pro Quint. cap. VI. inquit Tullius: *Tabulæ maximæ Signis hominum nobilium consignantur*. Translate usurpatur etiam hoc quod est *Consignare*, idem videlicet ac scribere; & Auctore ipso Cicer. Academ. IV. cap. I. *Litteris consignamus, quæ monumentis mandare volumus*. A proprietate latini sermonis Ecclesiastici Scriptores hausere in Medio Ævo verbum *Consignare* eo sensu quo *Signum imprimere* denotaret, de *Signo Crucis* nempe loquuti, quod *fronti Baptizatorum oleo imprimebant Episcopi, Sacramentum Confirmationis impertiti*; Sic Innoc. I. Summus Pontif. Epist. I. cap. III. *De consignandis vero Infantibus*, ait, *manifestum est non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere*; Idemque affirmavit Anastas. in S. Silvestro PP. *Et Privilegium Episcopis dedit, ut Baptizatum consignarent propter Hæreticam suasionem*; Fuit etiam *Consignare*, ex Cyprian. in Vit. S. Cæsar. Arelat. sub finem, *alicui Benedictionem Signo Sanctæ Crucis impertiri*; *Consignatorium* manavit insuper a vocabulo *Consignare*, locusque illo nomine innuitur, in quo *Baptizatos confirmari mos erat*, sive *inter Fontes* hi confirmarentur, ut placuit Jo: Diacono in Episcopis Neapolit ad vitam Johannis, qui floruit Anno Christi DCXVI., sive *in Sacrario Confirmatione* donarentur, ut sensit Alcuin. libr. de Divin. Offic. cap. de Sabb. Sancto Pasch. Nihil hac in re definimus, unum tantum colligimus, videlicet *Consignare* aliquo Signo firmatam rem per omne tempus indicare.

(*b*) *Commater* scripta est per Nost. Auct. Mulier, *quæ Cujuspiam Filium, vel Filiam suscepit de fonte baptismatis*, vel e contrario, *Commater est illius, a quo ejus filius, aut filia suscepta est de Fonte Baptismatis*; Ipsam commemorat lex Longobard. libr. II. Tit. VIII. §. V. *Nullus præsumat Commatrem suam ducere Uxorem*; Ejusdem fit mentio in Concil. Rom. sub Gregor. II. PP. cap. IV., & a Petro Damian. libr. II. Epist. XV. his verbis: *Commater Spiritalis tum de Sacro Fonte, quam de Confirmatione*; Conciliorum autem decretis, quod Sacrorum Institutorum Alumni, vulgo *Regulares non liceat Pueros de Baptismi Fonte suscipere*, ideo nec ullas possunt habere *Commatres*; quarum si peculiare nomen inquiras, invenies apud Hocsemium in Adolpho MarKan. cap. III *Commaternitatis* vocem sequioris Ævi Scriptoribus non ignotam.

tia est, sed de his alias, nam etiam epistolæ modus habendus est. Vale decus amicitiæ, & Barbavarios, & Grottos, & Castilioneos ex me plurimum saluta.

ANTONIUS PANORMITA.

GUARINO VERONENSI S. P. D.

EPISTOLA SEXTA.

Lætitia gestit de de suo Hermafrodito ab illo probato, ac misso ad eundem a Lamola,

ETsi acceperam Hermafroditum meum plurimorum judicio probatum, laudatumque magnifice, nihilo magis tamen animo movebar, quod satis sciebam partim exuberantia quadam amoris erga me, partim novitate, quam veritate magis, illorum judicia esse: Verum cum te virum simplicem, verum, apertum, & qui in manibus quodammodo mentem geras, idem de me, meoque libello sentientem animadvertam, non modo moveri non possum, sed, ut fatear mollitiem meam, gaudio distrahor; præsertim cum antehac nulla mecum amicitia, nulla familiaritate fueris devinctus: neque illud puto, te scilicet in causa hanc sententiam dedisse gratia novitatis ductum: quippe viro prudenti, atque spectato nihil novum, nihil mirabile, nihil denique quod hominum industria, atque ingenio fieri non possit videri solitum. Ex quo quidem mihi plurimum gratulor, ac pene blandior mi Guarine, atque id quidem non temere: summa mehercle laus ab laudatis atque probatis viris egregiis laudibus efferri. Bellissime quidem is alios laudat, qui semper inde a puero in laude vixit, cui nunquam humile, contemptum, aut vulgare aliquod gratum extitit. O felicem meum Hermafroditum, vocalissimum sibi buccinatorem sortitum, o fortunatam lasciviam libelli, jam modo ab invidorum, ac vulgi sagittis tuta es septemplicis, & Ajacis umbone, idest Guarini auctoritate. Sed quanquam hæc tua de me sententia mihi jucunda est, vereor tamen ne modum excedat, plurisque me æstimes, quam ipse sim: nam per Deum immortalem, si modo me velim ipse cognoscere, quid tam illustri prædicatione dignum edere potui, homo civili studio distractus, atque aliis mille occupationibus fere contritus? Quam pulchre Junius Juvenalis,

Quis locus ingenio, nisi cum se carmine solo
Vexant . . . .

Quamobrem te quæso mi Guarine honora mensuram: nam cum in omnibus mensura adhibenda sit, tum maxime puto, cum aliquem laudare studemus. Solon Atheniensis, unus ille ex septem sapientibus habitus, legem apud Græcos ediderat de decipientibus, qua cum his actio erat, qui alios in laudibus cujuspiam decipiebant. Aderunt itaque, ut arbitror, qui te etiam in jus vocabunt, quandoquidem se deceptos, & dicent,

cent,

cent, & docebunt. Proinde tutius atque consultius facies, si ab hisce laudibus omnino destiteris. Quod si naturæ tuæ benignitas, & incredibilis illa caritas, quam in studiosos omnes, tum vel magis in Poetas intendis, te ultro cogit, nec potes desistere, parcius lauda, quo nemini tenearis lege Solonis; neve illud præceptum Delphis consecratum aureis litteris negligere videaris. *Ne quid nimis*. Joanni vero Lamolæ viro docto, & emendato, & vere ex Guarini ludo litterario profecto discipulo, gratias, & ingentes habeo, propterea quod, insciente me quidem, Hermafroditum ad te miserit meum, measque partes ultro sustinuerit, nam cum illum tibi ut exhiberem accingerer, prævenit me vir diligentissimus. Postremo te magnopere oro, & obsecro, ut libellum, quem inter cœnandum lusimus, recognoscas, emendes, & male tornatum incudi reddas, nam si qua ex parte displicuisse intellexero, quod reliqui fuerit, tibi complacuisse non dubitaverim. Plura tecum agere animo insedebat, sed abs te invitus avocor ad auditorium (a) Jurisconsulti nostri. Illius autem versus, qui superant, tibi plenius explicabo, quos ut ex epistolis tuis colligo, non parva cum voluptate leges. Interea me amare perge, ego enitar ut amore tuo dignus veniam. Vale decus nostrum. Bononia.

(a) *Auditorium Juris-Consulti* dixit hic Panorm., quod spectat ad locum, ubi vel cæteros audit Juris-Consultus, vel auditur a cæteris; Ista porro vocis notio apud legis-peritos, quibus *Auditorio* nomen placuit esse *Foro*, ac *Tribunali*; Habet id Paul. in l. contra de Re Jud. *Is qui ad majus Auditorium vocatus est*; latius tamen *Auditorii* vocabulum latinis patule, ac propria significatione per illud locus est a priscis expressus, ubi audirentur Oratores: sic Quintilian. lib. II. cap. XI. *Sed cujus*, ait, *rei gratia pleuum sit Auditorium*. Improprie ad Turbam quoque Auditorum translatum est a Plin. lib. IV. Epist. VII. *Ipse etiam nuper adhibito ingenti Auditorio, librum de vita ejus recitavit, tum eundem librum in Exemplaria transcriptum mille, per totam Italiam, Provinciasque dimisit*; Pro Schola interdum est acceptum, in qua ingenuas Artes Pueri a Magistro edocerentur; Appellationem firmat ipse Quintilian. libr. X. cap. I. *Alia*, inquiens, *ratio est Fori, & Auditorii*. Nec vocem ignoravit deterior *Medii*, ut ajunt, Ævi latinitas; Multiplex per hanc ætatem *Auditorium*; Illo quidem innuebatur in Monasteriis *Cubiculum*, in quo advenientes hospites, ac salutaturi exciperentur, *locusque* fuit, sive *domus Colloquii*; hanc in rem Concil. Parisiens. VI. cap. XLVI. *Si colloquendum*, ait, *cum aliqua Sanctimonialium, ratio expostulat, id non alibi, nisi in constituto loco, idest in Auditorio*; Istud & reperitur in EcKeard. Junior. de Casib. S. Galli cap. XVI. *Abbas autem post laudes egressus in Auditorio eum salutat*, & ad Introitum Ecclesiæ ab ipso statuitur cap. X. *Et quum ad Introitum Ecclesiæ, ubi locus Auditorii est, venissent*; & in Vita S. Aicadri cap. XI. expressius legitur: *Susceptis Monachis ad Domum Auditorii eos perduxit, eorumque pedes lavit*. Appellabant præterea Cluniacenses, Cistercienses, aliique Monachi complures *Auditorium* locum, in quo una conveniebant, quod ibi in Scholis discipuli auditia Magistris erudirentur; ut in S. Dunstani statutis; *A primo pulsu Vespertinalis Synaxit, silentium teneatur in Claustro, usqueque Capitulum finiatur alterius diei, excepto Auditorii loco: qui & ad hoc maxime eo cense-*

GUARINO VIRO CLARISSIMO S. P. D.

EPISTOLA SEPTIMA.

Gaudium eſt de illius fortuna, ſuique ſtatus enarratio ſubdit pauca de Lamola.

DEerat id ſolum voluptati meæ vir humaniſſime, ut & te, quem jam dudum unice diligo, fortem pariter, atque felicem acciperem, id cum vehementer averem, ac crebro perveſtigarem audire, tu præſagus, & quaſi haruſpex deſiderii mei, Ludovicum nepotem ad me mittis, & cum nepote litteras tuas, tuas inquam: nam præ litteris aliorum, pace aliorum, graves, & jucundæ ſunt, ac meo quidem animo redolent muſas ipſas, his itaque te incolumem, atque animi tranquillum accepi, tum Principi, tum Juliolo Mecœnati tuo viris illuſtribus quam maxime gratum eſſe, reliquiſque Ferrarienſibus valde, & tua pro dignitate cultum, & obſervatum, eo nuntio haud facile ſcripſerim quantopere ſum oblectatus, & adfectus: ſed tu pro firmo, & incredibili meo in Guarinum amore id facile conjectabis ſcio: & aderat Ludovicus nepos, adoleſcens, & ipſe dulcis, & moratus, qui me non geſtientem modo, ſed inſanientem præ lætitia vidit: nam cum cæteris in rebus ſatis fortem, ac conſtantem animum præſtiterim conſueverim, amor eſt, qui me ſolum frangit, & enervat, equidem poſſum inediam, invaletuinem, paupertatem, invidiam, & reliqua id genus ferre moderate, amici lætam fortunam ferre non poſſum: immo cum mea ipſe voluptate nihil movear, amici beatitate non poſſum etiam vehementer

ter

tur nomine, quod ibi audiendum ſit, quod a Præceptore jubeatur, non vero fabulis, aut otioſis ibi aut alicubi vacare loquelis oportet. Adde libr. Uſuum Ciſtercienſ. cap. LXXII. *In Auditorio non loquantur plures, quam duo ſimul cum Priore tempore Lectionis, niſi forte Prior pro aliqua neceſſitate plures ſibi convocandos judicaverit.* *Auditorium* vero ante omnia celebratur in prima Catholicæ Fidei ætate, ex *Auditoribus* dictum; Ii ſane, & *Audientes*, & *Catechumeni* ex Tertullian. præſertim libr. de Pœnitentia: *Nemo ergo ſibi aduletur, quia inter Auditorum Tyrocinia deputetur*, locum habebant, *Auditorii* nomine, ubi conſiſtebant Sacris Doctrinis ex Ordine imbuendi, varias in Claſſes idcirco diſtributi, ut ex SS. PP. atque ex Concil. Nicæno Can XI. ac XII. potiſſimum liquet; Locum pariter, ubi Fideles Verba Concionatorum excipiebant vocavere *Auditorium*, quod ex Concil. Carthaginenſ. IV. cap. XXIV. intelligimus: *Sacerdote Verbum faciente in Eccleſia, qui egreſſus de Auditorio fuerit, excommunicetur.* De *Auditorio Sacro*, ubi Judices pronunciarent ſententiam ita Scholiaſtes Juliani Anteceſſ. in Conſtit. XVII. cap LXIII. *Auditorium Sacrum dicebatur, ubi formalibus Verbis cauſæ allegabantur: & veſtem induebat, qualem in Palatio, & veluti Campacos, & ſic ingrediebantur omnes ad eos*; Quæ in illud collimant ſingula, ut a multiplici *Auditionis genere*, *Auditorii* vocem emanaſſe clare demonſtrent.

ter non commoveri: ut aliquid nescio quid mollius, aut certe flagrantius in amicum diligam, quam in memet, hoc est, quod sæpiuscule dico, amoris palmam mihi jure ac merito deberi, liceat apud te loqui Magnifice mi Guarine, qui te cum tantum diligam, ut nec Pylades Orestem magis, aut Damon Pithiam; facis tu maxime, ut amicitiæ gloriam excellam, tu siquid erro, ne erratum quidem amico celandum puto, sed de hoc in te meo amore loquetur res ipsa aliquando simplicius, effusiusque. Nunc audi quo in loco res, & fortuna mea, quæ & tua est, sita est, nec cœnam menstrualem, sed Deorum simul accubitum spondeas licebit, igitur ne altius in præsentia exordiar, Philippi Mariæ Angli Mediolanensium amplissimi, atque illustrissimi Principis, ac mei Cœsaris gratiam, vel intimam adsecutus sum: necnon Francisci Barbavariæ Mecœnatis mei, viri omnium, quos nostra ætas fert, & humanissimi, & beneficentissimi, tum curialium, Patrum Conscriptorum, scribarum, denique primorum fere omnium apud Cœsarem hunc virorum, ac procerum; idque potissimum mihi felix, & fortunatum est, magnorum, ac spectatissimorum hominum gratiam iniisse, nam & si salarium quoque grande satis mihi conferatur, hoc facultates arguit, illud virtutes:collibuisse enim viris primariis laus quidem illa præcipua, & æterna est, sapientum amor non nisi virtutem complectitur, at quanquam in me virtus aut vis ingenii nulla, aut certe minima est, Cœsar tamen meus, & Cœsariani nostri, & Mœcenas ipse ita in virtute flagrant, ita in musas incenduntur, id est in suam ipsorum gloriam, ut vel opinionem, quam de me, meoque ingenio, meisque moribus habuerint, dilexerint, auxerint, honestaverint: ut si quidem ea in re tribuas, non meo quidem merito, quod nullum est, sed incredibili nostri Augusti benignitati, ac liberalitati id tribuas oportebit. Est hic vere alter Augustus mi Guarine, & ut armorum industria inter mortales excellens ipse, excellentes quoque ea in re summa affectione prosequitur, fovet, & exornat: ita & litteratos, & bonarum artium studiosos pari caritate, indulgentiaque complectitur, nec domi minus, quam militiæ præstans, me velim contempleris, ut omittam alios longe doctiores, & eruditiores, quibus hæc sua partim Academia, partim Curia redundat: me inquam contempleris, quem quanti faciat audisti supra, & luculentius, & prolixius aliquando ab aliis cognosces; sed Dii nobis illum sospitent, superstitentque tu nunc partem mearum audis fortunarum, ac status: nam commoditates præterea, honores, prærogativas ab nepote tuo accipies vivo sermone. Illud pene exciderat, quod tu vel in primis admiraberis, quod neque lecturæ, neque scriptioni, nisi quantum libeat, obstrictus sum: salarium quoque sicui solvitur, mihi percommode solvitur, & perlibenter, sunt & alia præter hæc æque fortunata, & voluptuosa, quæ ab aliis honestius potes, si sciscitaveris, intelligere. Ego quidem vereor, ne dum tibi morem gero, hoc est de mea fortuna te certiorem reddo, & epistolæ, & continentiæ modum excesserim: quanquam id feci non quidem ut glorier immerito mihi, sed ut divini hujus Principis, &

Me-

Mecœnatis mei naturam paucis deprehenderes, quam tu quoque deamares, ac laudibus eveheres sempiternis. Lamola vero tuæ, meæque delitiæ salvus, & lætus sit, aut si illud mavult, Græcus evadat, Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

GUARINO VIRO CLARISSIMO S. P. D.

EPISTOLA OCTAVA.

Præmittens cum litterarum expectatione quid agat Ludovicus, Giliolum salutat.

IGitur expecto a te latiores illas, quibus mecum verbosius, utque & amicum decet, gratulaturus es: atque illas expecto, ut cœlestem, quasi quandam voluptatem, & lætitiam inauditam, nam scripsissem ad te prolixius, sed argumentum gratulationis intercipere nolui. Ludovicus tuus fortis, ac liber est, mecum est, hodie enim se recepit ex Volpedo: mecum lectitat, & poetatur, suavis, humanus, comis est, & vere Guarini nepos, ibi ad te propediem

Suspirat longo non visam tempore matrem,

a quo reliqua accipies. Vale meum desiderium, & Giliolo isti magno, & illustri viro me iterum, atque iterum gratum, ac deditum facito, Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

GUARINO VIRO CLARISSIMO S. P. D.

EPISTOLA NONA.

Commendatione sua fretum una cum litteris Jacobum ad illum euntem prosequitur.

JAcobus hic litterarum adlator adolescens haud magna cum re, sed doctus, & modestus, & amicus meus ad te it, solum ut te invisat, & legentem audiat: tuo enim nomine, & doctrina jam pridem adlectus usque adeo est, ut nisi aliquando voti compos fiat, desiderio facile contabescat. Quare tu officium tuum feceris, & mihi admodum gratum, si quod vehementissime cupit, lætanter impleveris, rem præterea perhonestam, neque factu difficilem attentabis, si ei auxilium, & consilium præstabis, quod bonis, ac pauperibus præstare consuevisti, Vale.

ANTONIUS PANORMITA,

POGGIO VIRO CLARISSIMO S. P. D.

EPISTOLA DECIMA.

Laus est Cremonæ ad eum ituri, ac de se plura in conspectu dicturi. Luscique salutatio.

SCio nihil esse, quod tanti facias, quam hominum amicitiam, eorum præsertim, qui & virtute sunt præditi, & studiis Romanæ eloquentiæ clari, id itaque de te ratus, dum majora nequeo, si modo virorum gratia majus sit quicquam, quot semper potui hujus generis homines tot semper tibi aucupatus sum; in quibus vel maxime tua benevolentia dignum existimavi Antonium Cremonam, harum adlatorem, virum meo judicio doctum, & suavem, tuique ingenii in primis admiratorem, is nunc Romam, & te petit, te quidem magis, ut quem tantopere colit, ac celebrat, aliquando etiam invisat, ac salutet: magnam quandam felicitatem arbitratus se inventurum, si quando detur, te coram exosculari, & vivas audire, & reddere voces. Quare te peto, & quoniam quidem id vehementer volo, te etiam, atque etiam oro, sine te utatur, ac fruatur quoad licet Antonius meus, vir quidem tersus, ac simplex, nobisque, atque his omnibus primoribus viris unice dilectus: sane te dignum judicabis hominem, si periculum feceris; alioqui mihi quoque pergratum facies, nec non debitum exsolves, si quos tibi concilio, humaniter exceperis. Quæ autem ad meam attinent fortunam, & reliqua, accipies ab hoc tam eleganti tabellario, a quo siquid in me lautum, & fortunatum esse intelliges, eo utere, atque abutere arbitratu tuo, tuus enim persto anima ipsa, ut ajunt, & membris. Vale cum Lusco nostro Poeta illustri. Ex Lauda.

POGGIUS FLORENTINUS S. P. D.

ANTONIO PANORMITÆ,

EPISTOLA VNDECIMA.

Post laudatum ejus Hermafroditum, suasor est illi graviorum rerum conscribendarum.

IOannes Lamola adolescens, ut percepi, tum doctus, tum studiosus tui, attulit ad nos libellum epigrammatum tuorum, quem inscribis Hermafroditum, opus, & jocosum, & plenum voluptate. Hunc cum legisset primo vir clarissimus Antonius Luscus, multisque verbis laudasset, & ingenium, & facilitatem dicendi tuam, nam liber

est suavissimus, misit deinde illum ad me legendum, delectatus sum mehercule varietate rerum, & elegantia versuum: simulque admiratus sum res impudicas, tam venuste, tam copiose a te dici: atque ita multa exprimi turpiuscula, ut non enarrari, sed agi videantur: neque ficta jocandi causa, ut existimo, sed acta existimari possint. Laudo igitur doctrinam tuam, jucunditatem carminis, jocos, & sales; tibique gratias ago pro portiuncula mea, qui latinas musas, quæ jam diu nimium dormierunt, a somno excitas. Pro charitate tamen, qua omnibus debitores sumus, unum est, quod te monere, & debeo, & volo: ut scilicet deinceps graviora quædam mediteris: hæc enim, quæ adhuc edidisti, vel ætati concedi possunt, vel licentiæ jocandi. Ita & Virgilius adolescens lusit in Priapeia, (a) & multi præterea, qui post lascivos versus, severioribus vacaverunt, ut enim Terentius noster refert, *hæc ætas aliam vitam afferre, alios mores postulare* videtur. Itaque tuum est jam missam facere licentiam, & res serias describere, ne arguatur vita impura libelli obscenitate, scis enim non licere idem nobis, qui Christiani sumus, quod olim Poetis, qui Deum ignorabant. Sed fortasse sus Minervam. Tu ipse hoc idem sentis, quod laudo, proboque, & te ad majora hortor, hæc bono animo accipias rogo; ego enim tuus sum: tu Poggium ascribe tuis. Plura scripsissem si per otium licuisset; verum alias erimus longiores, si hæc non displicuerint. Vale, & me quando id tuum tibi fieri intelliges, ama. Romæ. iiij. Non. Aprilis.

AN-

(a) Juvat hic adnotare quæ de Priapeiis uberiora tradidit Gaspar Barth. in Adverf. libr. præsertim XXIV cap. VIII., ubi singula exacte perpendit, quæ referuntur ad Priapeia, inquiens: = *Priapo dedicata Carmina* pleraque non quid dicant, sed quomodo dicant, considerandum arbitror; sunt enim merus flos latinæ elegantiæ, unde utinam abessent obscenæ maculæ, venenatorum Insectorum Inutiles, noxiæque reliquiæ. De ætate ita sentio, perpauca Martialis ævo antiquiora esse, nam ævo altiore non tanta cura erat, numerorum, præsertim Phalæciorum, qui quidem in hoc Opere legem eam enixe servant, quam sibi præscriptam Martialis studiosissime servavit. Sunt in eum Ityphallum apud eundem Scriptorem paris argumenti Epigrammata istis ad oculum similia, ut, si alia in contrarium non essent argumenta non adeo adspernabilis foret Pauli Melissi conjectura, pro V. M., Virgil. Marone, iisdem Capitalibus litteris V. M., Valer. Martialem substituentis. = Neque illorum est opinio prætereunda, quibus placet Ovidium Priapeia fuisse modulatum, tametsi quamplurimi refragentur Auctores, quibus est verosimilius Priapeiorum Opus a multis concinnatum, ob argumenti similitudinem in unum subinde Volumen fuisse congestum. In tanta sententiarum diversitate, an hic Poggio sit standum, judicent æqui Lectores, nihil hac in re pronunciamus, nobis ipsi videlicet, sensuique nostro, ancipiti in disceptatione, non fidimus.

ANTONIUS PANORMITA.

POGGIO FLORENTINO VIRO CLARISSIMO S. P. D.

EPISTOLA DUODECIMA.

Suum opus, cum ejus, tum Lusci Poetæ judicio bonum, cujusdam ex accusatoris obstrectatione defendit.

EPistolæ tuæ, quæ veterem sane & antiquum illum eloquentiæ Romanæ morem præ cæteris mea sententia exprimunt, ad me, ut jusseras, perlatæ sunt: eas tametsi auctorem obticuisses, abs te tamen pro singulari quadam elegantia profectas animadverti, habent enim epistolæ tuæ nescio quid excelsum, suave, acre, opulentum, grave, atque ea quidem insigniter, ut qui tuas illas esse dubitarit, auctorem quoque præter te non inveniat oportebit, oblectarunt me itaque & affecerunt, cum ob alias causas, tum vel maxime, quod opusculum meum tibi non injucundum extitisse significas, necnon Antonii Lusci Poetæ non obscuri judicio laudatum, probatumque, qua quidem ex re mihi, atque libello meo plurimum gratulari licet: mihi, quia locupletissimos hos mihi laudatores compererim, qui pro sua ipsorum singulari eloquentia queant ex fumo fulgorem (*a*) exhibere atque ipsum, si modo velint, Thersitem vel quemvis alium abjectissimæ conditionis virum illustri laude perspicuum reddere: libello, quia in doctissimorum hominum manus tandem pervenerit, quos certus equidem eram minime reprehensuros lasciviam ejus; quippe cum plurimos norint viros doctos, graves, sanctos, & græcos, & nostros talia scriptitasse, atque inter manus adhuc versari Catullum, Albium Tibullum, Propertium, Junium Juvenalem, M. Valerium Martialem, & prius P. Virgilium, P. Nasonem, Poetas egregios, & latinos, qui plerumque verba adeo nuda

(*a*) Id nimirum Homero laudi vertit Horat. in Arte Poet. v. CXLIII.

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat
Antiphaten, Scyllamque, & cum Cyclope Charybdim.

quæ dilucida explicatione sic illustrat Vir Egregius Jason de Nores: = Pulcherrima similitudine (Horatius) = Homeri diligentiam commendat, = cum in suis Operibus, non ut Cyclicus, fumum ex fulgore, sed ex = fumo dare lucem, hoc est ex leni, = & humili principio, res speciosas = depromere, idest Antiphaten, = Scyllamque, & cum Cyclope Charybdim, cogitaverit. Sumitur autem ab igne similitudo, qui & antequam accendatur, & cum extinguitur, fumum emittit: Ait autem Homerum ex fumo dare fulgorem, non ex fulgore fumum extincta penitus flamma Orationis. = Patronos ergo suæ gloriæ jure celebrat Panorm. Nost., qui eodem laudis genere, ac Homerus, longe cæteros antecellant.

nuda proferunt, & dictu fœda, ut haud sciam, scena-ne magis, an lupanari digna videantur. Ego quidem vir humanissime tot summos oratores, tot summos viros memoriæ proditum comperio se se hoc generis studio, & oblectasse, & exercuisse, ut ignorem medius fidius, qui se potius non oblectarint, quam qui se oblectarint, nam ipsum Philosophorum Principem Platonem non quidem Christianum hominem, sed qui Deum non ignoraverit, immo unum Deum servaverit, cæteros vero Angelos, vel Dæmones dixerit, constat versus, & quidem petulantes fecisse in Astera, in Alexim, in Phædrum pueros: item, & de Dione Syracusano, & generaliter versus ejus non nisi molles, & amatorios extitisse, e quibus hos tantum hoc loco commemorem, quamvis aliquanto licentius, ut ait Gellius, liberiusque ex græco in latinum conversos, tu Platonem lepidissimum Poetam audi, audi inquam Platonem Poetam lepidissimum.

Dum semiulco, suavio,
Meum puellum suavior,
Dulcemque florem spiritus
Duco ex aperto tramite,
Anima ægra, & saucia
Currit mihi ad labia,
Rictumque oris pervium,
Et labra pueri mollia
Rimata, itineri transitum;
Ut transiliret nititur:
Tum si moræ quid plusculæ
Fuisset in cœtu osculi,
Amoris igni percita
Transisset, & me linqueret,
Et mira prorsus res foret,
Ut ad me essem mortuus,
Ad puerum intervicerem.

Solonem quoque, & unum ex septem sapientibus habitum, & severum virum, & verum Philosophum, nemo est, qui nesciat: attamen eum similiter quidem versus lascivos edidisse palam est. Item Diogenem Cynicum, Zenonem Stoicum, Zejum Lacædemonium, Callimachum: in quibus vel præcipue numeranda est Sapho Lesbia, cujus versus, qui etiam latini extant, ad Phaonem Siciliensem amatorem suum, adeo impudici, adeo procaces, alioqui adeo elegantes sunt, ut cuilibet legenti pruriginem excitent, etiam ipsi Nestori, Priamoque. Enim vero, ut Horatius in poeticis institutionibus scriptum reliquit, semper Poetis, atque pictoribus concessum fuit, quodlibet audere, licere, (*a*)

cum

(*a*) Loquitur item Nost. Auct. cum Horat. in Art. v. LX.

. . . . . . Pictoribus, atque Poetis
Quidlibet audendi semper fuit
æque potestas.

cujus tamen locutionis sententia per Jasonem de Nores sic explicatur: = Assert (Horatius) objectionem = de Pictorum, & Poetarum licen- = tia, quibus omnia concedi, præ-

eum vero lasciviam delegerint, ea lex ex Poetis, & verissima illa quidem, quam Catullus dixit.

Nam castum decet, & pium Poetam
Ipsum, versiculos nihil necesse est,
Qui tum denique habent salem, ac leporem,
Si sint molliculi, ac parum pudici,
Et quod pruriat incitare possint,

quod & Valerius Martialis eruditissime simul & facetissime probat in hæc verba:

.... Sed hi libelli,
Tanquam conjugibus sui mariti,
Non possunt sine mentula placere.

Ego itaque tantorum virorum exemplo nitor, majorum præcepta custodio, denique aliquid struere studeo, quod sit in suo genere perfectum, fremat licet Odus nescio qui ex ultima vulgi fæce, qui nihil furiosi habet, præter cerebrum, utique vir malevolus, falsoque putans me proinde parum pudicum, quia versiculi mei molles, ludicrique sunt: quasi ut cætera bona, ita illud quoque nescierim, quod scilicet eo jucundiores futuri sunt hujusmodi versus, quo minore cum severitate compositi, atque eo sanctiores judicandi, quo apertiores sunt, qua in re si meo testimonio satis non fidit, Madaurensi illi magnæ auctoritatis Viro non potest non adsentiri, qui non ineleganter ait, *Platonis versus tanto pudicitius compositi, quanto simplicius professi, dissimulare enim, & occultare peccantis, profiteri, & promulgare ludentis est*, & sane perquam ridiculum est, eos impuros interpretari, qui spurcis verbis utantur, cum res exigit, sane qui medendi scientia morbos curant, hi cum obscenis partibus medicamenta adhibere volunt, obscenis vocabulis id explicent opus est: an idcirco eos vita obscenos arbitrabere? Scimus Voconium Poetam summa castimonia præditum fuisse, & tamen eum parem lasciviam exercuisse satis indicat epigramma, quod Divus Adrianus ejus sepulcro inscripsit,

Lascivus versu, mente pudicus erat,

 Rur-

---

ter contraria, & monstruosa affirmat; Erunt autem contraria, quæ a Pictoribus evitentur, ne cum placidis immitia, hoc est cum ferocioribus mansuetiora conjungant; a poetis autem hoc omnino cavendum est, ne cum gravioribus, & altioribus immisceantur leviora, & humiliora: ut puta, ne heroicæ materiæ inserantur vanæ quædam descriptiones, quæ nullam continent majestatem: quales sunt fluviorum, locorum sacrorum, & reliquæ rerum hujusmodi digressiones, quæ licet per se delectent, gravioribus tamen adjunctæ, ut diximus, tanquam incongruæ, & nimium lascivientes deridebuntur. Sunt enim quasi meretriculæ, non autem Matronæ ornamenta, quæ si meretrici, ut propriæ personæ, adhibeantur, afferunt splendorem, sin autem integerrimæ fœminæ adimunt etiam gravitatem, & speciem probitatis imminuunt. Negat autem Plato libr. IV. de Republ. omnia Poetis licere, nec illis permittendum quidquid velint, acerrime contendit.

Rursum quis ambigit Annæum Senecam Christum novisse, & Apostoli Pauli amicum fuisse, (a) & in Catalogo Sanctorum positum? Cæterum siquid Plinio secundo credimus, non seria modo, verum etiam lusus, & sales descripsit. Præterea floret hac in nostra tempestate Sacerdos quidam non minus continens, quam disertus, atque eloquens habitus, cujus, ut vulgo loquar, prædicationibus sæpenumero ipse adfui, & nisi surdus omnino sum; ita nudis, ac deturpatis affatibus interdum excandescentem in frequentissimum populum audivi, ut non dicam in templo, sed ne in foro quidem adesse crediderim, an illum propterea turpem judicabis, quia turpia turpiter, idest fœdioribus verbis castiget? Minime hercle, Mihi quidem, si nescis, eadem mens est, & intentio, nec refert si per lusus, ac jocos id ago; nanque eo modo, & nos agere posse Majores nostri, ut prædiximus, instituerunt, & instituta perpetuo observarunt, & sane omnes: nam si veterum scriptorum monumentis fides præstanda est, quicumque perlegitur, aut rerum, aut verborum simul & rerum lascivia prælusit, quorum ex nostris perpaucos nominabo: nam si singulos exequi velim, equidem scribam Orestem alterum, & in tergo scriptum, nec dum finitum necesse est. Igitur, ut Plinii verbis utar, verear ne me non satis deceat, quod decuit Marcum Tullium Ciceronem, C. Calvum Pollionem, M. Messalamque, & Hortensium, ac M. Brutum, L. Sillamque, ac Scevolam, Servium Sulpitium, Varronem, Torquatum, immo Torquatos, C. Memmium,

(a) Paullo fidentius quam par est, Christianum non tantum, verum & Christiana Sanctitate conspicuum affirmat Senecam Panorm Nost. Dubis in re multæ variæque proferuntur Auctorum sententiæ; præ cæteris gravissimus, accuratiusque Doctor S. Hieronymus in Ecclesiasticorum Scriptorum Catalogo, ut vocant, Senecæ meminit his verbis: = L. Annæus = Seneca Cordubensis, Socionis, = (hanc lectionem probamus, non illam, qua Sophronius legit *Sozontis*, aliamve, qua *Photionis* apponitur) = Stoici discipulus, & Patruus Lu- = cani Poetæ, continentissimæ vitæ = fuit; quem non ponerem in Cata- = logo Sanctorum, nisi me illæ Epi- = stolæ provocarent, quæ leguntur = a plurimis, Pauli ad Senecam, & = Senecæ ad Paulum, in quibus cum = esset Neronis Magister, & illius = temporis potentissimus, optare se = dicit, ejus esse loci apud suos, cu- = jus sit Paulus apud Christianos. Hic = ante biennium, quam Petrus, & = Paulus coronarentur Martyrio, a = Nerone interfectus est. = Item Senecam ad Paulum Epistolis datis celebrem asseris ad Macedonium Epist. olim LIV., nunc CLIII. num. XIV. cap. V. S. Augustinus hæc referens: *Merito ait Seneca (qui temporibus Apostolorum fuit, cujus etiam quædam ad Paulum leguntur Epistolæ) omne odit, qui malos odit*; ac fusius ipsas commemorat Epistolas, insignis Dominicanæ Familiæ decus eximium Natalis Alexander in Hist. Ecclesiast. Sæcul. I. cap XII. Art. V. inquiens; = Licet Epistolas ad Se- = necam, & Senecæ ad Paulum, quæ = nunc extant, & quas refert Sixtus = Noster Senensis libr. II. Bibliothe- = cæ Sanctæ, genuinas esse non con- = tendam, imo suspectas habeam = cum Viris eruditis, quod nec Pau- = li, nec Senecæ stylum referant, = quodque in illa, in qua de Nero- = niano Urbis incendio ad Paulum = scribis Seneca, manifestæ argua- = tur falsitatis, ex Auctoribus Histo- = riæ Romanæ, ut Baronius Tom. I. = Annalium ad annum Christi 66.

mium, Lentilium, Gerlicum, Virgilium, Ruffum, Cornelium Nepotem, & denique Plinium ipſum: & quos pene prætererieram, Ennium, Acciumque, & ſi non ſufficiunt exempla privata, Divum Julium, Divum Auguſtum, Nervam, Tiberium Cæſarem, atque alios ferme innumerabiles. Ego quoque tot, tantorumque virorum exemplo, atque auctoritate fretus, non eſt quod verear hiſce carminibus jocari, ludere, ridere: cum ſciam iras, fletus hac quoque ratione mitigari poſſe, mire quidem his opuſculis animus remittitur, refovetur, & ad majora ſuccenditur. Verum enimvero epigrammata, quia brevia licet, arguta ſunt, & quibus non copia, ſed acumine certamus, poteſt non otioſus quiſque perficere: ſeria vero quia continua, & longa ſunt, ſane niſi otioſus, ſecuruſque non poteſt, quo fit, ut ſi maxime id concupiſcam, ſerias res tamen reponere non queam impræſentiarum, diſtringor etenim mille, atque iterum mille occupationibus, quibus nullo pacto carere nunc poſſum, ſin vero, quod Deus optimus maximus ſinat, aliquando extricer,

Condere victuras tentem per ſecula curas,
Et nomen flammis eripuiſſe meum.

Sed quid ego tecum, qui itidem, quod ego, ſentis, quique pro tua eruditione facile concedis me, ſed cum tot, tantiſque viris errare potuiſſe? Nam cum neque Odum, neque reliquum vulgus tanti fecerim, ut ejus maledicentiæ ad ipſum reſponderem, tecum id agere conſilii

= annotavit; licet Paſſio Pauli Lino = adſcripta non me moveat, ut quaſdam Epiſtolas a Seneca datas ad = Paulum, & alias a Paulo ſcriptas = ad Senecam exiſtimem, quia Acta = illa Paſſionis Pauli non ignoro, nomine Lini confićta fuiſſe; tamen = inficiari non auſim, Senecam quaſdam ad Sanctum Paulum Epiſtolas dediſſe, & Paulum viciſſim = quaſdam dediſſe ad Senecam. = Id pariter attingit, longe tamen diverſa opinione, diligentiſſimus, unaque Sapientiſſimus Divinorum Librorum Interpres Auguſt. Calmet. hæc in cap. XXVIII. Act. Apoſtol. v. XXX exarans: = Ferunt donec ibi = permanſit. (de Paulo ſermo eſt Romæ agente) = cum Seneca Philoſopho neceſſitudinem iniiſſe, = imo edi ta ſunt Epiſtolæ quædam = Senecæ ad Sanctum Paulum, & = Pauli ad Senecam quas SS. Augu= ſtinus, & Hieronymus veras crediſſe videntur; Verum eruditis = Viris hodie perſuaſum eſt, illas = ſuppoſititias eſſe, Apoſtolo, & Se= neca indignas. = Demum qualis fuerit Senecas, & qua in Paulum Amicitia, res ab eodem Paulo geſtas Italica narratione complexus Romæ per Ludovicum Grignani vulgata An. MDCXLI. ad An. LVII. ex ſpectatiſſima Congreg. S. Pauli Cler. Reg. vir præſtantiſſimus P. D. Sigiſmundus Laurenti iſta conſcripſit: = Ebbe = (S. Paolo) anco ſtretta Amicizia = con L. Anneo Seneca eccellente = Filoſofo, e Maeſtro di Nerone, = cha fu Fratello Maggiore di Gallione Pro-Conſolo dell'Acaja, e = Zio di Lucano Poeta, il quale = Seneca vien lodato molto da S Girolamo per le ſue rare Virtù, e per = la ſtretta Amicizia, che ebbe con = S. Paolo, fra quali paſſarono lettere molto amorevoli vicendevolmente, però lo loda queſto Dottore per aver dati molti ſegni di = Pietà Criſtiana. = ſubjungitque poſt pauca.

= Ma perchè fra le dette epiſtole = ve ne ſono delle Apocrife, e finte, = ſi laſciano addietro, e poca fede

filii fuit, scilicet apud te virum doctissimum, & qui vulgi imperitiam satis exploratam habes, quererer de ejus in me, meosque mores opinione, falsa præsertim, sed jam multa satis, superque satis. Redeo igitur ad epistolam tuam, ut ornatissimam, atque officii plenam, ita mihi admodum gratam, & jucundam: in qua quidem nihil legi, nihil vidi, quin læto animo, quin læta fronte acceperim, præter brevitatem, proinde cura uti posthac ad me longior fias, quod tute perhumaniter polliceris, ut intelligas nihil mihi brevius videri, quam Poggii epistolas longissimas. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

POGGIO VIRO ILLUSTRI S. P. D.

EPISTOLA DECIMATERTIA.

Ejus ad Xenophontem interpretationem prædicat, carpitque maledicum obtrectatorem.

PErvenit ad nos tandem Xenophon tuus, opus profecto dignum, quod Cicero legendo contereret, & Scipio velut speculum ad bene, beateque vivendum sibi proponeret, nunc demum intelligo Cy-

ro

---

loro si presta. E' però vero, che Seneca fu ornato di molte virtù morali, ma non Cristiano, benchè tale lo chiami L. Destro, che visse nel tempo di S. Girolamo *L. Annæus Seneca Cordubensis Hispanus* (dic' Egli) (L. Dext. in Cr. An. Dom. 64.) *missis ultro, citroque ad Paulum litteris, de Christiana re bene sentit. factusq; Christianus, occultus ejus Discipulus fuisse creditur. dulciterque scribit ad Paulum in Hispania morantem.*

D'altro senso però è Cornelio Tacito, il quale afferma, che avendo Seneca preso il veleno fattogli dar da Nerone, sacrificò prima la bevanda a Giove Liberatore, e portato nel Bagno ivi morì, spruzzandosi il viso di quell'acqua, e la Persona all'usanza de' Gentili, perchè così purificato, e netto, partisse da questa vita: (Corn. Tacit. 15. An.) *Libare se, inquit, liquorem illum Jovi liberatori in Balneo illatus, & vapore ejus exanimatus, sine ullo funere crematus est.* Basta, ch' è vero, che il concorso alla casa di Paolo era grande, anco di Persone insigni come si è detto: [Act. 28. 30.] *Suscipiebat amnes, qui ingrediebantur ad eum*; E particolarmente di Seneca, si cava da un libro nella Biblioteca de' PP. attribuito a S. Lino (se pur è suo) nel quale si legge: (Act. S. Lini) *Concursus de domo Cæsaris fiebat ad eum* (idest Paulum) *sed & Istitutor Imperatoris* (nempe Seneca) *adeo fuit illi amicitia copulatus, ut se a colloquio illius temperare vix posset, quominus si ore ad os illum alloqui non valeret, frequentibus datis, & acceptis epistolis, ipsius dulcedine, & admirabili colloquio, atque consilio frueretur.* Idem vero utilitatis publicæ gratia latine sic vertimus.

Habuit quoque necessitudinem (S. Paulus) cum Seneca, præstanti Philosopho, & Neronis Præceptore, ac fratre natu majore Gallionis Pro-Consulis Achajæ, Lucanique Poetæ Patruo, qui & Seneca a S. Hieronymo celebratur cum singularibus animi dotibus, tum necessitudine cum S. Paulo, utrique enim mutuo secum litterarum humanissime com-

ro-Pediam *(a)* scriptam esse ad æmulationem Reip. Platonis: nam hic quoque religionis, pietatis, justitiæ, clementiæ, liberalitatis, moderationis, continentiæ, fortitudinis, constantiæ, cæterarumq; virtutum omnium exempla licet intueri: Regum instituta, & ornamenta domi, militiæque non dico traduntur, sed ita exprimuntur, ut non legere, sed quodammodo videre, & amplecti omnia videaris. Mentior ni Xenophontem legens, mihi visus sim belli Dux factus, audax ad obeunda quævis pericula, doctus ad conciliandum militum animns, inflammatus ad decus, & gloriam: tantaque mei mihi fiducia incessit, ut si quis interim lectione hujusmodi excitato, ac prope alienato mihi exercitum ductandum obtulisset, oblitus mei, conditionem haud quaquam renuissem, magna nimirum, ac quippe incredibilis Xenophontis vis, ut non injuria a veteribus traditum sit, in labris ejus sedisse quandam persuadendi Deam, talis quidem est Xenophon, sed & qualis Xenophontis interpres? Nempe illi persimilis: nam ut Xenophon inaffectata illa dicendi jucunditate inter Græcos facile excellit, ita noster hic jucunditate, & gratia latinorum nemini vel primo loco concessit: quin adeo ingenii facilitate, & cœlesti quodam impetu pervehitur, ut inter-

mercio sunt usi, laudatque ea de causa Hieronymus Senecam, multis Christianæ pietatis notis insignem: » subjungitq; post pauca. « Quod vero ex iis litteris pleræque degeneres sint, & adulterinæ, prætermittuntur, modicæque sunt fidei; verum attamen est Senecam bene moratum fuisse, sed nonChristianum, eum licet Christianum vocet L. Dexter S. Hieronymo coævus L. Annæus Seneca Cordubensis Hispanus (ait ille) [Luc. Dext. in Cr. an. Dom. 64] missis ultro citroque ad Paulum litteris de Christiana re bene sentit, factusque Christianus, occultus ejus discipulus fuisse creditur, dulciterque scribit ad Paulum in Hispania morantem.

« Veruntamen secus opinatur Corn. Tacitus, qui affirmans Senecam hausto veneno, ei, Nerone jubente, propinatum, potionem sacradeJovi liberatori, & in Balneum invectum, illic occubuisse, ejus aqua faciem, corpusq; respergens, Gentium osu, quo sic purgatus, nitidusque migraret e vita: Corn. Tacit. ann. 15. Libare se, inquit liquorem illum Jovi liberatori in balneo illatus, & vapore ejus exanimatus sine ullo funere crematus est. In dubitationem, cæteroqui adduci non potest, insignes etiam viros, frequentes ad Paulum convenisse, ut diximus [Act. 28. 30.] *Suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum*, Senecamque præ aliis docet libet quidam in Bibliotheca Patrum S. Lino adscriptus, ejus genuinum si forte sit Opus, in quo legitur. [Act. S. Lini] *Concursus de domo Cæsaris fiebat ad eum* [idest Paulum] *sed & Institutor Imperatoris* [nempe Seneca] *adeo fuit illi amicitia copulatus, ut se a colloquio illius temperare vix posset, quominus si ore ad os illum alloqui non valeret, frequentibus datis, & accepit Epistolis, ipsius dulcedine, & admirabili colloquio, atque consilio frueretur.* » Quæ prolixius ex aliorum mente omnia exscripsimus, judicio nostro haud ægre temperantea, Lectorisque docti sententiam expectaturi.

(a) Mire in rem nostram Dom. de Rollin Vir in Antiqua Historia, apprime versatus, cujus hic verba ad fidem Italicæ versionis concinnata proponimus, ut habentur expresse in Historia Veteris Tom. II. Lib. IV. cap. I,

terdum; quæ suavissima, ac dulcissima fluunt, ipse contemperet, & naturæ vim de industria compescat, & reprimat; elegans præterea, clarus, pulcher, fusus, tersus, lenis, & æqualis: adeoque omnibus præter amentes ejus oratio grata, probataque est, ut æque ei, atque olim Xenophonti influere sermonem Gratias usurpari cœptum sit. Merito ergo tibi gratias, & quidem ingentes habebunt, ac referent, nisi ingrati esse volunt, Reges ac terrarum Principes, quibus justissimi imperii formam exhibuisti, merito, & tibi statuas erigent Populi omnes, ac Principum subditi; quibus persæpe accidit, ut felices sint, si bonum Principem sortiantur, miseri si malum, merito & tibi Poggialia celebrabit seculum nostrum, cujus tu tam illustri, & æterna laude gloriam exornasti. Hæc cum ita futura sint, non tu nunc obtrectatoris tui immo omnium invidi, teterrimi, atque impurissimi hominis maledicta contemnes: illius dico, qui tam multa insipienter sapit, qui litteras tantum, & syllabas scribentium aucupatur, gravitatem sententiarum, aut verborum pondera nihil omnino perspiciens? Bellissime hic quidem a Faccio nostro araneus appellatur, quod muscas aranearum more tantummodo consectetur; a nonnullis capra, quod nucleum cum nequeat

---

cui præmittitur titulus: *Storia di Ciro*.

« La Storia di questo Principe diversamente è raccontata da Erodoto, e da Senofonte. Io mi appiglio all'ultimo, perchè su questo punto infinitamente più degno di fede del primo, e mi contenterò, nei fatti in cui discordano, sommariamente riferire quanto ne dice Erodoto. Si sà, che Senofonte servì lungo tempo sotto il giovane Ciro, che avea nelle sue truppe un gran numero di Signori Persiani, co' quali senza dubbio questo Scrittore, curioso, ch'egli era, s'intertenne sovente, per istruirsi col loro mezzo de' costumi, delle maniere de' Persiani, delle loro conquiste, e soprattutto di quelle del Principe, che fondata aveva la lor Monarchia, e di cui divisava scriver la Storia. Ce lo dice egli stesso nel principio della sua Ciropedia. Essendomi, dic' egli, questo gran Personaggio paruto sempre degno d'ammirazione, ho preso piacere di ricercare il suo nascimento, quale sia stato il suo naturale, in qual maniera sia stato allevato, per conoscere con qual mezzi egli abbia potuto divenire un sì gran Principe; nè produco cosa, che io non l'abbia intesa.

Nel resto ciò, che dice Cicerone nella prima Lettera a suo Fratello Quinto, che *Senofonte composta aveva la Storia di Ciro, non seguendo l'esatta verità, ma come il modello d'un buon Governo*, non dee scemar punto l'autorità di questo giudizioso Scrittore, nè il rispetto dovutogli. Ciò, che se ne può concludere, si è, che 'l disegno di Senofonte, egualmente gran Filosofo, che gran Capitano, non fu semplicemente di scrivere la Storia di Ciro, ma d'insegnare a' Principi nella Persona di questo, l'arte di regnare, e di farsi amare da' loro suddiri, malgrado il fasto, e l'altura della potenza sovrana. Egli potè, a tal effetto, dare al suo Eroe alcuni pensieri, alcuni sentimenti, e alcuni discorsi; ma il fondo degli avvenimenti, e de' fatti, ch'ei racconta passar dee per vero, e n'è una pruova evidente la loro sola conformità colla Sacra Scrittura. Si può leggere la Dissertazione del Signor Abbate Banier, intorno a tale proposito, nelle memorie dell'Academia delle belle Lettere. »

queat, corticem obrodat: a me vero non absurde fortassis cymex jampridem vocari consuevit, quod ex spurcissimi pectoris sentina putidissima, & ut poetice loquar,

.... *Mephitica verba frequenter*
Exhalat ....

& profecto nihil boni cum insit homini insano, unde ejus animus gaudeat, maledicentia nutritur, livore disrumpitur, insania concitatur: omnesque sui similes, flagitiosos videlicet, & indoctos haberi concupiscit, ab hoc, & hujusmodi hominibus, quicumque laudatur, a sapientibus negligatur oportebit: contra malorum omnis vituperatio laus est, Vale.

AN-

[Tom. VI. Pag. 400.] quod omnium commodo servientes latine ita reddimus,
= In Historia Cyri conscribenda
= alius Herodotus, & alius est Xe-
= nophon; ipse postremum sequor,
= cui longe major ac primo fides est
= tribuenda, factorumque in quibus
= utrique discrepant, quæ loquatur
= Herodotus summatim enarrare sa-
= tis habebo. Xenophontem, con-
= stat diu meruisse sub Cyro Junio-
= re, cujus in Exercitu complures fe-
= cere stipendia Persarum Optima-
= tes, quibus certe Xenophon adhæ-
= sit, curiosior ad investigandum ex
= ipsis, quæ Persis forent consuetu-
= dines, quid armis acquisivissent,
= ac suo quidnam adjecisset Impe-
= rio, qui primum Rex apud Per-
= sas fuerat, a quo res præclare ge-
= stas litteris mandare Xenophon
= aggrediebatur; Testis est ipse Cy-
= pediæ sub initium. *Mihi quum vi-*
= *sus sit*, ait ille, *Magnus hic vir*
= [Cyrus nempe] *admiratione di-*
= *gnus, voluptate ductus, ejus Na-*
= *tivitatem, indolem, educationem*
= *sum perscrutatus, modum percepta-*
= *pturus, quo clarus adeo Rex eva-*
= *serit, nec quidquam profero, quod*
= *egomet non audierim.*

= Cæterum, quod Cicero in Epi-
= stola I. ad Q. Fratrem inquit; *Cy-*
= *rus ille a Xenophonte, non ad Hi-*
= *storiæ fidem scriptus, sed ad effi-*
= *giem justi Imperii*, nec minimum
= quidem gnari Scriptoris Aucto-
= ritatem, nec in eum reverentiam
= debet imminuere; Unum hinc
= potest colligi, videlicet Xeno-
= phontis Philosophi, ac Ducis præ-
= stantissimi consilium fuisse non
= tantum Cyri historiam contexere,
= verum etiam per Cyrum Artem
= regnandi edocere Reges, eosque
= ad Populorum amorem instituere,
= Regia Majestate, ac Suprema po-
= tentia contra incallum obnitenti-
= bus; Talem propterea, quem si-
= bi pro Heroe proposuerat, Xe-
= nophon informavit, qualia fortas-
= se vel cogitando, vel judicando,
= vel loquendo nemo fuit, eo ma-
= jore eventuum, factorumque ve-
= ritate servata, quo ad Sacros ma-
= gia Divinarum Scripturarum li-
= bros conformantur. Videnda hac
= in re Dissertatio Abbatis Banier
= in Monumenta humaniorum lit-
= terarum (Tom. VI. Pag. 400.) re-
lata. = Quibus equidem satis, ut
putamus, superque Cyro-Pedia a
Nostr. Auct. hic inducta declaratur.

ANTONIUS PANORMITA.

JOANNI LAMOLÆ VIRO HUMANISSIMO S. P. D.

EPISTOLA DECIMAQUARTA.

Ad se vocat allectum, spe amplioris fortunæ.

STomachaberis scio, cum tam brevem litterarum faciem intuebere, quanquam tu, & si Orestem (*a*) alterum ad me scribis, videris tamen admodum brevis, & Laconum more circumcisus:

Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis,

ait Poeta, cæterum existimato meam erga te benevolentiam tanto prolixiorem, quanto breviorem epistolam, Salviam quidem in ore gerimus, Lamolam in corde, & eum quidem fixum clavo veri cupidinis: sed missis quæ tibi jam explorata sunt, velim deleres ex animo Florentiam, sit licet Deorum, ut ais, domicilium,

Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget: . . . . .

satis enim superque discipulus, & scholasticus fuisti: nunquam ne repones, (*b*) nunquam ne prospicies utilitati: senesces jam inter pueros,

---

(*a*) Ludit Panorm. apponens Orestem, de quo Juvenalis Sat. I. v. V.

. . . . Aut summi plena jam margine libri
Scriptus, & in tergo, nec dum finitus *Orestes*?

Sane Orestis nomine Tragædia intelligitur de Oreste conscripta, ac nimis quidem longa præ aliis; Multæ enim Tragædia Orestem exhibuerunt versum in furorem, ac insaniam, quarum præ cæteris illa prolixius, quæ & in tergo scripta memoratur: Orestis autem casus omnibus noti, ac penes Romanos celeberrimi, in Scenam inducti & actorem habuere Cæs. Claud. Neronem ex Svetonio in Ner. cap. XXI. *Inter cætera cantavit* (Nero) *Canacem parturientem, Orestem Matricidam, Oedipodem excæcatum, Herculem insanum*. De Oreste cum Virgilius, tum alii sunt loquuti, omnium vero diligentissime Hyginus in Fabulis, præsertim Fab. CXIX., & CXX.

(*b*) Loquitur & hoc in loco Panorm. Nost. cum Juvenal. Sat. I. v. I.

Semper ego Auditor tantum? numquamne *reponam*
Vexatus toties rauci Theseide Codri?

Nec satis profecto Interpretibus est explorata significatio verbi reponere, quæ a plerisque vario, ac multiplici sensu donatur; Nostra fortasse ne improvide nos fallat Opinio Jo: Brittanici in hunc Juvenalis versum verba proferimus: = Reponam? non = ignoro a commentatoribus hunc = locum variis exponi modis: ut alii = dicant reponere idem esse quod = reficere & resarcire, ut sit sensus: = Nonne aliquando scribendo re= sarciam hoc tempus quod aliis au= diendis consumpsi? ita enim poe= tæ reponere dicuntur. Alii vero = reponere idem esse quod scribere, = scribendo enim reponimus rem = de qua agitur: unde si talia non = scripsisset: haud reposita nobis es= sent: & reservata. Alii inquiunt = repono quandoque est retro appo= no: & quasi acceptam cœnam re= stituo, ut si quis mihi hodie convi-

ros, inter ludos litterarios fenefces? Quos Ambrofios a te audio; quos Aretinos? non tibi præceptore opus, fed libris, fed otio, fed Panormita, proinde mihi renunties velim, & quidem mature, an mecum optes vivere, an fedem tibi conquiram, & firmem hic gentium: nam fpero præter mea omnia, quæ tibi communia funt, comperturum me virum tibi magnificum & eruditum, cui fi litterarum græcarum rudimenta impartias, retribuat tibi Philippeos centum annuos, & victum, & fpem etiam amplioris fortunæ, habebis prætcrea, me habebis Mecœnatem, & amicos meos omnes propitios, faciles, ac perpetuo benefactores, ad fummam tibi perfuadeas mihi nihil fixius federe, quam te cum laude honeftare, tum divitiis augere, modo Dii boni fecundent propofitum meum. Vale meus ocellus aureus.

vium apponat: ego cras ei reponam large ac liberaliter. Et in hunc fenfum hoc verbo ufus eft Juvenalis, cum inquit:

> Semper ego auditor tantum,
> nunquam-ne reponam?

Ignaviæ enim feipfum accufat: & ut mos fatyricorum eft, ex abrupto incipit. Semper-ne eorum quæ alii apponunt ero auditor, nunquam ne ipfe aliquid reponam, reftituam? Quæ omnia etfi ex aliqua parte convenire videntur. Ego tamen hoc fumptum effe a debitore contenderim: qui cum pretium creditori reddit, reponere dicitur, unde Seneca in epiftola LXXXII. ad Lucillium: *Ergo nec quod debet creditori fuo reponere quifquam fcit alius quam fapiens.* Differentiam enim facit inter referre, & reponere. Nam referre inquit eft ultro quod debeas afferre. Reponere autem eft creditori fuo tantum reddere, quantum debeas. Idem lib. VI. de beneficiis: *Ideo non eft trepidandum, quam cito reponamus*. Loquitur enim de beneficio referendo, unde Plautus in Perfa Act. I. Sc. I. v. XXXVII.

> Ut mihi des nummos fexcentos, quos pro capite illius pendam,
> Quos continuo tibi reponam in hoc triduo, aut quatriduo.

In ea fignificatione eft etiam illud Horatii in epiftola ad Mecœnatem:

> Infpice fi poffum donata reponere lætus:

hoc eft reddere, & reftituere. Ergo inquit Poeta: cum alios Poetas audiverim, eorumque fim debitor, tanquam ab eis multa acceperim: nunquam ne eis reponam: nunquam-ne eis reddam quantum acceperim: ac per hoc nunquam-ne, & ego fcribam? Reponere rurfus capitur quafi pro renovare, & reparare: ficut expofuimus apud Perfium in ultima fatyra:

> Neu dicta repone paterna:

fed hoc nihil ad rem. Lectoremque doctum audiemus non invisi, fi penitiora de verbo reponere producat.

ANTONIUS PANORMITA.

CAROLO ARETINO V. C. S. P. D.

EPISTOLA DECIMAQUINTA.

Ad Gaudentium, Gaudentiique lucubrationem illi commendandam, diligenter incumbit, salutatis Nicocle, ac Monacho.

GAudentius Vanius, qui pariter ad te scribit, & libelli sui quoddam quasi præludium mittit, a me pro egregiis virtutibus prolixe diligitur: mira quidem hominis continentia, morum sobrietas, & incredibilis ardor ad studia litterarum, & bonas artes. Facit ac monumentis litterarum tradit quandam inter M. T. Ciceronem, & M. Fa. Quintilianum comparationem, odiosam quidem illam, sed proinde excusandam; quia solum ut sese exerceat, tum ut quosdam a somno excitet, id agere respondet, præstantiam vero nostri Ciceronis cognitam habet, illamque, & observat, & colit, ac pro virili sua sequi magnopere studet, adficitur tamen in primis ad Fa. Quintilianum, qui tametsi mirifice instituerit vel ab ipsis incunabulis oratorem,& causas,sive mavis declamationes scripserit etiam egregie, tamen, Quintiliani, & Gaudentii pace dixerim, nequaquam Ciceroni latinæ eloquentiæ Principi fuerat, non dico praponendus, sed ne æquandus quidem. Sed stultior ego, qui in Gaudentii causa patronus datus contra eum postulem, excusandus est inquam Gaudentius noster, qui exercitationis gratia id facit, ut modo dixi, ut nonnullis dormientibus eo pacto prospiciat; interdum enim quos summissa voce non possumus, clamore, ac manibus excitamus. Cæterum hac in re tuum officium erit primo Gaudentii virtutes, & ornamenta diligere, eo magis quod te in amicitiam idest amorem provocavit; deinde ejus hanc exercitationem potius quam comparationem æquo animo ferre, & ut nos facimus, etiam excusare; postremo illum hortari ad humanitatis studia, ad quæ quidem natura meo quidem judicio natus est. Nam si tu quoque ut severi quidam, ac rigidi judices, & studiorum censores, eum increpes, atque succenseas, facile ab inceptis sane humanissimis destiterit, tantum apud illum valet auctoritas tua. Vale decus nostrum, & Nicolao Nicocli, & Ambrosio Monacho viris clarissimis ex me salutem plurimam dicas. Romæ.

AN-

ANTONIUS PANORMITA.

CAROLO ARETINO VIRO CLARISSIMO S. P. D.

EPISTOLA DECIMASEXTA.

Servit commendationi Faccii, cujus asserit desideria esse perspecta Nicolao, & Tuscanellæ.

GAudeo sic nobilitatam esse amicitiam nostram, ut qui Florentiam se collaturi sunt, litteras ad te meas commendatitias magnopere desiderent, in his præcipue est Bartholomæus Faccius Spediensis haud vulgari mecum benevolentia devinctus: vir apprime doctus, doctus inquam litteris latinis, nam ut græcas addiscat, ea potissima causa est cur Florentiam petat, hujus vero ingenium ac suavitatem, si recte auguror, non poteris non etiam vehementer amare: si modo morum, studiorumque similitudo quid possit exploratum habeo. Hunc itaque mi Carole ita tibi commendo, ut magis ex animo fratrem non queam: amo utique illum ardentissime, & haud scio, an te excepto, quempiam magis. Quid ille concupiscat ex Nicolao, & Tuscanella viris clarissimis accipies, fac quæso f. ntiam commendatitias, quas ille summo studio, ac spe a me efflagitavit, suis desideriis non nihilum conduxisse. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

NICOLAO NICOCLI VIRO CLARISSIMO S. P. D.

EPISTOLA DECIMASEPTIMA.

Insistit, ut Faccius, de quo plura ad Tuscanellam, collocetur, de sua peregrinatione nonnihil, & aliquid de Guasco Rhetorem Cherii agente, salutationemq; Monachi adjicit.

BArtholomæus Faccius Spediensis meus Anconem proficiscens, isthac transitum daturus est: primum ut te invisat, reliquosque istos Heroas, (a) qui studiis nostris Florentiæ præstant: grave quidem est,

(a) Heroas communi sensu vocavit hic Panorm. Viros Nobiles, ac Illustres qui virtutis gloria excellerent; secus aliqua ex parte, ac Veteres, quibus Heroes fuere, qui supra naturæ humanæ conditionem magni rerum a se gestarum splendore ac gloria ad superos quum accessissent, penes vulgus tanti sunt habiti, ut post mortem in Deorum numerum referri ducerentur; eosque inter eminuere præcipue, qui Semidei nominati altero Parente Deo, altero homine in lucem prodiisse sunt crediti; tametsi commentitia hac Opinione adulteriorum turpitudini consultum esse.

est, eos aliquando non visere, quorum doctrina, aut gloria fueris adlectus, deinde litteras græcas hauriendi cupidus libenter se Florentiæ contineret, modo suppeditaret sibi pecunia, est enim re non grandi, virtutis tamen, & humanitatis plenus, facies ea propter officium tuum, si tua omni opera, atque industria eum juveris, auxerisque, quod probe feceris, si hominem isthic apud quempiam primorem civem non sine utilitate locaveris, habebis illum hujus tuæ beneficentiæ gratum, ac perpetuum, vel ipsius animæ debitorem; mihi vero nihil jucundius efficere poteris: amo equidem illum mirifice, eidemque æque ac mihi bene, prospereque semper optavi. De mea isthac peregrinatione dicemus alias, & fortasse aliquid tibi non ingratum. Guascus noster Cherii Rhetoricam profitetur, deque Faccio verbosius cognosces in epistolis ad Tuscanellam meis. Ambrosius Monachus vir clarissimus ex me salvus sit. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

NICOCLI SUO S. P. D.

EPISTOLA DECIMAOCTAVA.

Per otium responsurus est litteris sibi allatis.

Joannes familiaris tuus, & idem meus, vir modestus, & prudens, & in omni genere diligendus, cui id dederas negotii, ut me tuis cum litteris conveniret Romæ, inter ambulandum me offendit: & mihi tuas suavissimas litteras reddidit, quibus accuratius respondebo, cum plus otii nactus ero. Vale.

AN-

---

de industria nonnulli judicaverint; Heroum autem unde sit orta primum denominatio non convenit inter Auctores, quorum alii hauserunt a Terra cum Servio ad Ecl IV. Virgil; alii cum Martiano Capella lib II. ab aere desumpsere; Postremo ἔρως, *Amor* nempe, nomen Heroibus per Hieroclem indidit, cujus quidem ex mente, Deorum, hominumque mutuo ex amore Heroes geniti perhibentur; ejusdemque Hieroclis in Platonem observatio e animadvertitur ad Dæmones, quorum primi, ex illo, Angeli sunt Diis immortalibus propriores, (Ethnicus porro Philosophus, non ipsi loquimur) medii sunt Dæmones boni, in ultima classe revocandos esse Heroes, quod sc licet in extremo Dæmonum, hoc est Spirituum, ordine sint constituti: ipsiusque Hieroclis testimonio *Medii* alio in loco dicuntur Heroes, qua profecto ratione ex illo audiatur sic in latinam ex Greco sermone converso a Gottfr. Oleario in Dissertatione de Genio Socratis:

= Medii *vero sive naturam spe-*
= *ctes, sive debitum ipsis honorem,*
= *sunt. qui jam porro in carminibus*
= *Pythagoricis dicuntur* Heroes il-
= lustres, *qui mente quidem ad opi-*
= *ficem semper convertuntur, & qua*
= *in ipso fruuntur beatitudine illu-*
= *strantur, non vero perinde ac illi*
= sine mutatione. *Eo ipso namque,*
= *quod medii cum Deo uniuntur, mu-*
= *tationemque mali expertem reci-*
= *piunt, alia atque alia mentis in-*
= *tentione Deum contemplantes qua-*

ANTONIUS PANORMITA.

NICOCLI S. P. D.

EPISTOLA DECIMANONA.

Silentii sui excusationem prætexit.

NOli existimare mi jucundissime Nicocli idcirco me aliquandiu siluisse, quia tui nominis, tuæque pietatis oblitus sim, obversatur enim quotidie oculis meis tua humanitas, tua sapientia, tua denique in studiosos omnes, in me vero præcipua charitas, ut si quidem tua hæc singularia officia oblivioni tradam, aut negligens, & ingratus, aut mei ipsius immemor sim necesse est. Jucundæ admodum sunt, fateor, epistolarum vices, nam & absentes quasi præsentes per epistolas alloqui videmur, & ut civiles quædam obligationes litteris conciliantur, sic & nonnumquam amicitiæ litteris conciliantur. Sed perquam ridiculum est putare, si quando amicorum epistolæ tepescant, amorem quoque ipsum algere oportere: quasi non fides ipsa, sed atramentum sit stabilitatis, atque constantiæ ejus, quam in amicitia quærimus firmamentum. Ut si quando, ut fit præter consuetudinem tacuerim, tibi persuades, me non minus erga te, tuosque facillimos mores incendi, sed potius nihil auditu, aut fatu dignum, quod ad te scriberem, extitisse. Vale, & siquid auditu jucundum ipse habes, quod plerumque soles, illud renunties velim.

= *si exultant*, immutabilemque & = simplicem *primorum contemplatio-* = *nem multiplici sua cognitione simul* = *& dividunt & contrahunt, extre-* = *mæ sublimis illorum cognitionis* = *initiorum suorum principium fa-* = *cientes. Unde* illustres Heroes *me-* = *rito appellantur*. Illustres *quidem,* = *ut, qui boni sint, & luce undequa-* = *que corusci, mali omnis atque obli-* = *vionis expertes?* Heroes *vero, quip-* = *pe qui quidam quasi amores sint,* = (medii enim ultima summis con- = jungunt, unde & apud Platonem = in convivio præcipuus inter hos = Demones ἔρως dicitur) *atque ora-* = *tione pollentes: amantes proinde* = *atque diserti Dei amatores, qui a* = *terrena ista vita ad divinam nos* = *erigant*. De Animis a corporibus avulsis Herois quoque appellationem invaluisse testatur Virgil. Æneid. VI. v. DCLXXII. ita de Musæo loquutus:

Atque huic responsum paucis
ita reddidit Heros.

Heroes & peculiari expressit notione in Adversf. libr. LIV. cap. IV. Gasp. Barthius, cujus hic verba subjungimus:

= *Heros* non tantum armis inclu- = tum, verum etiam religione præ- = signem hominem notat, & est pro = Episcopis, Martyribus, Abbati- = bus, non indignus ipsis titulus, = Adrevaldus lib. I. de Translatione = B. Benedicti, cap. V. *Quibus visis* = *reverendus Heros gaudiis amplis-* = *simis repletus, mundi gubernatori* = *& seculorum Rectori benedicens* = *in iisdem laudibus noctis terminum*

ANTONIUS PANORMITA,

ANTONIO PETRUCCIO EQUITI CLARISSIMO S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMA.

Cum amoris confirmatione Lampognini commendationem conjungit, a quo multa de Andrea sunt illi nuncianda.

SI vales gaudeo, res hic nostræ prospere cedunt, atque in dies cedent Diis bene juvantibus: quo vero in loco res isthic procedant a te saltem minime scio: sed sileas licebit, & si vis etiam mutus & elinguis fias, perpetue te & singulariter amabo: non tuas epistolas quamlibet suavissimas diligo, sed auctorem ipsum, sed virtutem, & probitatem tuam: sed de hoc alias, at si gratiam cupis taciturnitati tuæ, ita demum impetras, si Lampogninum hunc litterarum adlatorem militem sane egregium respexeris, juverisque etiam mea causa: vir quidem est adprime litteratus, eo magis a te diligendus, quod militiam litteris exornat: qui cum non minus de re bellica, quam de studiis humanitatis conferre consilia potes. Adde necessarius est tui Pontificis Laudensis, & mei ita amantissimus, ut tecum possit de benevolentia certare. Hunc tu igitur si non amas, barbarus es, si non auges, & honestas, illiberalis, scribit eleganter, nec minus carmine, quam prosa oratione, atque utinam in primis rescribat meas commendatitias fuisse sibi commodo, & honori, measque amicitias suis rebus plurimum conduxisse. Andreas noster evasit jam ad summa rerum fastigia: is enim apud inclytum Ducem nostrum primus, aut primo proximus habetur: qua de re si plenius voles, audies a Lampognino suavissimo. Tu vale, & me tuum ama.

AN-

= *expectabat.* Hericus Altissiodorensis lib. VI. v. CCIX.

= . . . Hinc pulcris mentem præ-
= cingitur armis,
= Commoda militiæ quæ no-
= verat esse supernæ.
= Hæc Heros vibrat, turbasque
= facescere mandat.

= Vetus Poeta incertus de Prudentio Episcopo Tricassino.

= Hanc Frodobertus ovans do-
= mino bene condidit aulam,
= Et sub Olympiadis cursu per-
= duxit ad unguem,
= Quam sacrans, sacrando di-
= cans, Prudentius Heros,
= Exhibuit cunctis per secula
= cuncta verendam.

Quæ Heros vel priore vel ætate posteriore quid sibi voluerit aperte omnia demonstrant.

ANTONIUS PANORMITA.

ANTONIO PETRUCCIO S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAPRIMA.

In illum officiorum observantissimus ei Cremonam de meliore nota commendat, salutatque Andreoccium cum domo Petruccia.

SI vales isthic tu, bene est, nos hic quoque valemus, & triumphamus, ab digressu tuo a te de te nihil accipio: quod proinde maxime ægre fero, quod in negotiis & laboribus tuis nihil uteris, quo etiam abuti potes, opera & obsequio Panormitæ; tui quidem gratia nihil uspiam declinaturus sum, ne mortem quidem, hoc a te quæso, nescius ne sis, quod cum erit, ita demum intelligam si me tuis in rebus immiscueris, uterisque vetere, & inspecto amico: hæc hactenus. Antonius Cremona Vir doctus egregie, ac Principis nostri, & Barbavariorum familiarissimus ad te una cum Ludovico Hercule armorum, immo armatorum ductore proficiscitur: eum benigne atque humaniter suscipe, ama, auge: tum quia recte, & ex consuetudine tua facies, tum quia gratiam ac beneficentiam fœneraturus es, plurimum in hac nostra curia potest, ut dixi, omnium quos terra nutrit gratissimus: jucunditatem hominis, suavitatem, gravitatem, fidem tute experieris, afficierisque vehementer. Venit socius, & quasi Achates alter Ludovici, & Principis jussu, tu, quem Dii amant, suspice, & observa: postremo fac ejus litteræ non minus tuam magnificentiam, quam animi magnitudinem commendent apud Principem, & Principales *(a)* nostros: nihil profecto aut frequentius aut libentius ab illis legitur, quam Cremonæ mei epistolium. Vale militiæ decus. Andreoccium singularis exempli Virum, & domum omnem Petrucciam ex me saluta.

AN-

(a) *Principales*, quasi *Principes*, & in Vetustis Inscriptionibus *Præcipui Civitatum*; honoris namque Ordo erat iste inter Cives, quo in unaquaque Civitate Principum loco essent habendi Curiales, sive Decuriones, iidem ferme ac Senatores, eorumque Primi nominandi forent *Principales*; ad istos vero pertinebat modum tributi definire, illudque habita Personarum ratione vel augere, vel imminuere ut Symmachus docet Epist. IX. X. *Principalibus, & Tabulariis liberum est aliot a dispendio vindicare, aliis indebitum munus imponere*; In militia præterea frequentius Principales commemorantur; hinc Vegetius libr. II. cap. VII. *Principaliam militum*, ait, *& ut proprio utar vocabulo, Principiorum nomina, & dignitates, secundum præsentes Matriculas indicabo*; *Principalis* autem ad Principem quæ singulariter pertinent significat præsertim; Quamobrem Sveton. in Claud. cap. XVII. *Majestatem Principalem*, Plin. in Paneg. Tra. cap. XXXVI. *Principalia Beneficia* dixit, quæ nempe Principum essent propria; eodemque plane sensu hic *Principales* videtur Nost. Panorm. conscripsisse.

ANTONIUS PANORMITA

FRANCISCO BARBAVARIÆ VIRO INCLYTO. S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMASECUNDA.

De Papiensi ad Bononiensem Episcopatum transeundi cupidus, qui fieri possit, ut Franciscus Pontifex transferatur, exequitur.

PRoxime eum evocarer ad Portarberam a Francisco Pontifice Papiense, ageremque multa ac varia, quæ familiares & amici inter sese consuevere: tandem ille nescio quomodo in hunc incidit sermonem, ut optaret, quamquam modeste admodum, ab hoc suo Pontificatu transferri ad Bononiensem; cum ob alias causas, tum vel eo magis, quod illic plus conducere rebus nostri Principis posse confideret, quam hic gentium; atque id cessurum existimat, si modo Abbatia (a) san-

---

(a) *Abbatiam*, sequioris ætatis vocabulum dixere Scriptores *Abbatis regimen. a gubernationem*; Ita Concil. Meldense An Chr. DCCCXLV. cap. V. *Tales Abbatia, quæ Paternitas latino nomine dicitur, funditus removeatur*: Per nonnullos *Abbatiatus* nomen obtinuit, eoque honore qui insignerentur, vocabantur *Abbates*, qui in Imperio multi sane, ac potentes; iisque varii sunt Abbatiatus, quorum alii dividuntur in *Singulares*, quod singulis contenti sint suffragiis, alii in *Collegiales*, quod nonnisi Collegialia, ac conjuncta habeant suffragia in Principum Collegio, Singularium Abbatum quilibet Princeps est, eosque inter eminet Abbas Fuldensis, idemque cum Imperatricis Cancellarius, tum omnium Germaniæ, Galliæque Abbatum Primas, quo nomine non tantum Episcopo Hildesiano, verum & Coloniensi Archiepiscopo in Comitiis Imperii semel, atque iterum litem indixit; *Collegiales* Abbates in duplici statuuntur classe, alii enim *Suevici*, alii *Rhenenses* appellantur, quorum Indicem exhibent passim Auctores, de Re Imperiali pertractantes: Has præter Abbatias nonnullæ ab Ecclesiasticis manarunt ad Laicos, quarum præ cæteris Hirsfeldensis una cum quibusdam Præfecturis Tit. Principatus pace Monasteriensi interposita Hasso-Cassellanis Landgraviis accessit A. C. MDCXLVIII. Hæc fusius in Otton. Menckenio Notis ad Horn. ubi *Abbatiarum* Luderensis, & Murbacensis immedietati cautum docet Pacific. Monaster §. *Teneatur Rex Christianissimus &c.* notatq; ibidem *Abbatum* esse primum Magistrum Ord. S. Johannis per Germaniam; Præterea *Abbatiæ liberales* eæ censebantur, quæ in Regiis fundis Monasteriis exstructis ab Episcoporum jurisdictione essent immunes; quibus Imperatores aut Reges Abbates præficiebant quoscumque voluissent, jura enim instituendi, deligendi, investiendique ab eorum tantum nutu pendebant, quod multis liquet monumentis, ac præcipue Diplomate Henrici Imperat. A. C. MLXIII. pro Monasterio S. Maximi Trevirensis; Opulentissimis item Abbatiis Siculos Gentium omnium florentissimos auctos esse per suos Reges Auctor est Diligentissimus Rocchus Pirrus, ac inter magnificentissimas est referenda Abbatia Altifontis, cujus est Abbas Vir in primis Nobilissimus, ac Splendidissimus Telepten-sium Pontifex Joseph Barlotta Prin-

Sancti Ambrosii, vel alia similis conferatur in Commendam (a) Cardinali Sanctæ Crucis, ita quod Riccius noster Abbas Ambrosianus Pontificatum obeat Papiensem, Bononiensem ille: mirifice quidem gratus est Abbas noster Francisco Pontifici, nam & suavitate ingenii, doctrina, & candore animi, ac linguæ, omnibus fere Sacerdotibus hujus vestræ Galliæ illum anteponit, ac putat dignum magno omni Pontificatu, cumque hic ego interrogarem num summus Pontifex, num Cardinalis permutationi hujusmodi assentiret, utrunque respondit in nostram sententiam ituros, si res prudenter diligenterque deducatur, qua ex re ego quidem magnopere sum lætatus: nam sive Principis nostri negotium considero, erit hic Pontifex noster longe illi Bononiæ utilior, ac prope necessarius: afficitur enim vix credibiliter ad nostrum Principem, tum hac tempestate, ac rerum perversione, si vera fateri volumus, facilius charitas ejus hic degentis minui poterit, quam augeri: vexatur enim quotidie a Quæstoribus, & quia inopia laborat, & quia id nequit, quod vehementer vult, animi excruciatur, ut hinc impotentia, illinc amor in Principem penitus eum confundant, sin vero abfuerit, & cessabunt hæc, & amor ejus exardescet in dies magis, magisque præsertim si opera nostri Principis intelliget se adsecutum Bononiensem Episcopatum, si autem Cardinalis rationem habeo, minus certe eum pigebit, pudebitque tenere Abbatiam, quam Episcopatum in Commendam, præsertim patriæ suæ Episcopatum, quod est quasi Tyrannidem quandam in patria exercere, utilitas præterea ex Abbatia major, ut affirmat noster Episcopus, propter impensam Bononiensis Episcopatus, verum hæc, & id genus plura differemus verbosius, si cognovero rem hanc tibi ac Principi haud ingratam fore. Vale.

ceps S Joseph, in nos quidem munificentissimus, bonarumque litterarum amantissimus, quem honoris causa nominamus; Hujus si fuerit generis *Abbatia* quæ a Panorm. commemoratur, viderint eruditi Lectores.

(a) *Commendam* deterioris Latinitatis more appellat Panorm. Prædium, sive Beneficium Ecclesiasticum, vel Monasticum, Laicis, vel aliis in clientelam commendatum; Hujus rei meminit Luitprandus libr. IV. cap. III. *Commendavit illi, seu quod verius est in escam dedit Ecclesias*; Ejusmodi autem Commendarum usum communis tulit Opinio Scriptorum processisse a Leone IV. in id potissimum incumbente, ut Episcopis, ac Clericis, qui Saracenis universa devastantibus a propriis apud Italos, Siculosque præsertim Ecclesiis arcebantur, aliqua commodi ratione consuleret; usu autem recto, sanoque qualis ubique Gentium irrepserit consuetudo, aliis dicendum relinquimus.

ANTONIUS PANORMITA,

HENRIGHETTO ASTENSI

Ingenuo, & insigni adolescenti, S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMATERTIA.

Piccinini victoriam nuntianti gratissimus, Piccininum non mediocriter effert.

NOn poteram admirari satis tarditatem, ac silentium tuum, verebarque, utpote studiosus tui, ne cum fortuna mores simul immutasses: cum inter hæc tandem a te mihi litteræ redduntur suaves certe, ac voluptatis plenæ, in quibus permulta quidem, sed in primis prudentiam tuam exosculatus sum: quippe qui tam recte prospexeris, quid averem, prospiciensque satisfeceris, nihil enim jucundius, nihil antiquius mihi renuntiari potest, quam victoria, & laus Piccinini viri magni, maximique Imperatoris; quem profecto tantum diligo, quantum miror: tantum vero miror, ut de eo jam illud verissime dici posse existimem, quod de Alexandro litteris consecratum est. Cum nullo unquam hostium congressus, quem non vicerit, nullam urbem obsedit, quam non expugnaverit, nullam gentem adiit, quam non calcaverit. Hoc vero recens Trophæum proinde magis, ac magis miror, & cordi est, quod tam brevi manu cum infinita hostium multitudine conflixerit, eosque profligaverit, cœperitque, non quidem incautos, sed instructos, non sine ductore palantes, sed acerrimo, fortissimoque duce munitos: sunt hæc nimirum indicia futuri triumphi. Jam vero intelligimus fortitudinem præstare multitudini, nec esse quod ulterius hostes, quia multi sunt, extimescamus. Memoriæ quoque litterarum est proditum sexcentos duntaxat milites castra quingentorum millium irrupisse, vicisse. Virtus in bello, non multitudo victoriam parit; verum hæc alias accuratius, & quidem in libro, si modo certa aliqua ratione deprehendero nostrum hunc strenuum Piccininum gloria,& mulis oblectari, velut mercede quadam tot, tantorumque laborum ejus, ac periculorum. Tu vale, & si quid novi quotidie accidit, fac me quæso participem voluptatis.

AN-

ANTONIUS PANORMITA.

CATONI S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAQUARTA.

Angitur se litteris ejus privari; obsequens in Priorem, culpam a se removet, quod ad illum cum Cremona non iverit, attexit nonnulla de Maphæi versibus, & Miola.

SAtis, & super addubitavi, an Cato, an Canis a me hodie inscriberere, pro eo maxime, quod nuntium ad me mittis, & eundem hominem vastum, & terribilem, litteras vero nullas ad me mittis. Quid est quæso quod a te potius expectem, quam epistolas, quæ loquuntur, & amice, & simpliciter, & ornate, & amicum, siquem habeas, laudibus efferunt? Disce Cato suavissime, si posthac hujuscemodi portenta ad hominum ad me missurus es, haud vacuos litterarum mittere: ut quantum ex portento inficior, tantum adficiar litteris, & oblecter. Dominum Priorem nostrum non Flaminem (*a*) solum, sed

(*a*) *Flaminem* ex Veterum appellatione Panorm. nominavit: Qui autem *Flamines* essent apertum, perspectumque judicamus ex Romanarum Antiquitatum Scriptoribus, qui de Flaminum dignitate quum multa prodiderint, animadvertere præ cæteris eam fuisse Romæ vetustissimam, institutam nempe vel a primis Regibus; censent enim plurimi Romulum duplici Flamine rem Sacram Romanam auxisse, quorum alter Jovis esset, vocatus exinde *Flamen Dialis*, alter *Martis*, & hic dictus *Flamen Martialis*; affirmant plerique *Flamines* Romania datos olim a Numa, sive tres fuerint, idest unum Jovi, Marti alterum, tertium Quirino, sive quatuor sint numerandi, duo videlicet Marti addicti, alter Jovi, Quirino postremus: Ad quindecim deinde, Flamines pervasere, quorum postea numerus quousque excreverit id tantum demonstrare potest, quo constat, totidem Flamines, quot Deos fuisse: Flaminum & Cicero meminit de Leg. his verbis: *Divis aliis alii Sacerdotes, omnibus Pontifices, singulis Flamines sunto*. Singulis Flaminibus Dii singuli, hinc etiam Singula Sacra tribuebantur, Flaminum vero erat ordine firmatum, alios dici *Flamines majores*, qui ex Patriciis creabantur, erantque *Flamen Dialis*, *Martialis*, & *Quirinalis*, alios *minores* qui assumebantur ex plebe, & ad cæteros Deorum pertinebant: Princeps, ac nobilissimus omnium erat *Flamen Dialis*; minimus, ac vilissimus habebatur e contrario *Pomonalis*: Eorum ritus passim occurrunt in Auctoribus, ac præter Auctores monemur Inscriptionibus Imperatores Flamines sibi quoque perinde ac Numina impudentissime vindicasse: Testatur Sveton. in Jul. cap. LXXVI. *Pulvinar, Flaminem, lupercos, appellationem mensis suo nomine, ac nonnullos honores ad libidinem cæpit, & dedit*; Fusius deinceps ad Neronem sibi audacter *Flaminem* asciscentem refertur Inscriptio.

NERONI. CESARI
GERMANICI. F.
TI. AUGUSTI. N. DIVI. AUG.
PRON. FLAMINI. AUGUSTALI.

alia item expressior

M. ARTORIUS. M. F. PAL.
PRISCUS.

ſed Apoſtolum, (a) & virum rarum verbis meis circumplectere, & oſculare : ad quem ne tecum, & cum Cremona proficiſcerer, per me certe non ſtetit : vos igitur merito cauſetur, non Panormitam ſuum. Maphæi verſus abunde placuerunt : eſt tamen in illis aliquid, quod potius coram, quam litteris moneam: laudo & verſus, & ſtudium viri, & ſi ut cœperit perrexerit, nominabitur, modo ſibi tantum non indulgeat. Avetote ex Stratellæ locuſtis. Quod pene prætereram. Miola noſter ſuavitatis Deus mecum eſt, te amat, & abſentem ſuſpirat : contendit me Parmam conducere : quod ſi minus impetrabit, ſtudiis adſcibe meis. Tu vale.

ANTONIUS PANORMITA.

MINIATO DULCISSIMO S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAQUINTA.

Obſecrat, ſi valet, ut negotium conficiat, nullæ habita pecuniæ ratione. De Ergotele, ex quo illum jubet valere, permulta, ſalutandumque Piſciatinum addit.

EX litteris hiſce tuis noviſſimis, fateor, ægri plus quam voluptatis accepi : nec tantum quod febriculas paſſus ſis, quam quod febriens Roma diſceſſiſti, deſeris utique amicitiæ officium, dum illud omni

---

VICASIUS. SABIDIANUS. TRIB COH.
XV VOLUNT. C.R.TR LEG. VII.
CLAUD. PIÆ. FID. PRÆF. ALÆ. I.
PANN. PRÆF. MONTIS BERENICI-
DIS. FLAM DIVI. AUG......
prætermittendum tandem non exiſtimamus quod penes nullos Auctores comperitur *Flaminem* quempiam Diis omnibus attributum, id in vetuſtis Municipiorum Inſcriptionibus exprimi, ac ferme in iſta
PATRON. COL. FLAMINI. DIVOR. OMNIUM.
& in hac etiam
II. VIR. QUINQ. FLAM. DIVOR. OMNIUM.
poſtremoque hic apertius
II. VIRO QUINQ. DIVOR. OMNIUM.
quæ ampliori omnia *Flaminum* honori conceduntur.

(a) *Apoſtolus* hic a Panorm. loco honoris inducitur, antiqua ſpectata nominis ſententia, qua per *Apoſtolum* indicatur *Nuntius*, vel *Miſſus*. Judæis quidem Apoſtoli fuere iidem fere ac legati, videlicet ii, qui deſtinati erant, ut reciperent aurum, quod pro Templo erogabatur, quodve tribuebatur Patriarchis, ſeu illi, qui ad decumas exigendas, aut quacumque alia urgenti de cauſa mittebantur, cujus porro generis fuit S. Paulus ad conquirendos Jeſu Chriſti Diſcipulos miſſus Damaſcum : Iſta vero miſſio ne falſitatis poſſet unquam inſimulari, neutiquam ſe viæ hi Viri committebant, ſine Teſtimonialibus, hoc eſt Credentialibus, ut vocant Epiſtolis, ut a Synagogæ Principibus vere ſe miſſos confirmarent : Conſentaneo cum Judæis verbo Apoſtoli ſunt etiam

omni ex parte complecti studes, vere probatum est illud verbum *Summum jus injustitia*, nam per immortales Deos, quid simulatione opus erat, præsertim tuo cum incommodo, quod nostrum est? Sed missa hæc faciamus, quæ sine tui contumelia dici nequeunt. Si liber factus non es in hunc diem, ipse advolabo salutiferis herbis: aderit medicus, ut Plautus ait, qui te curabit, consulendum vel in primis est saluti posthabita re omni; sin vero salvus evaseris, omni cura, omni solertia, coneris in rem nostram: ut, quod ajunt, aliquando pedem proferamus ex negotio vetere illo quidem, & odioso, trecentis aureis solidis (*q*) ne parças te hortor, hoc est argento gloriam præferas.

dicti a Christo Jesu Servatore, qui ab ipso sunt ad Evangelicam legationem electi, licet diversi penitus a Judæis Legati fuerint; Illos enim quomodo mittas, ita Salvator ipse testatur Joh. XX.XXI. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, collata eis potestate remittendorum, retinendorumve peccatorum, curandorum morborum, prædicandi, in suo nomine baptizandi ad peccatorum veniam obtinendam; eosdem denique suos Vicarios, suarum voluntatum Ministros, suæque constituit Sequestres Auctoritatis, universas Gentes judicaturus una secum judicaturos affirmans Matth. XIX.XXVIII. *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, quum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel.* Hunc Paulus Apostolatum hominum ejurata quacumque missione, suæ dignitatis notam prædicat singularem ad Galat. I. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum*; Verum *Apostoli* nomen in pravum detorsere sensum Hæretici, penes Augustinum Hæres. XL. *Apostolici*, ita se nominantes, quod *nihil proprium possidentes*, *nequaquam reciperent aliquid in hoc mundo proprium possidentes*: In Apostolorum attamen imitatione supra cæteros præclare se gessit S. Cajetanus Thienæus Nostr. Ord.: ac primus Cleric. Reg. Auctor, quem Apostolicæ Vitæ per se, ac suos Restauratorem, quo tempore vesanus Hæreticorum furor Septentrionales Terras miserandum populabatur in modum, Sæc. XVI. Divinitus propemodum datum, viribus bonorum animisque confirmandis, sanæque disciplinæ restituendæ, vera Catholica Ecclesia sibi est gratulata.

(*a*) *Solidus aureus* usurpatur pro Nummo; id autem invaluit vocabulum ex discrimine, quod erat servandum inter Nummum, ejusque Partes; primo enim quum una tantum inesset Romanis Nummi forma, is nonnisi *Aureus* appellabatur, qua sane denominatione a cæteris Nummis, argenteis videlicet, aereisque secernebatur, *Semisses* deinceps, ac *Tremisses*, nomen *Aurei* quum accepissent, inducta est vox *Solidi*, qua dignosceretur a sui generis, ac materiæ Nummis, non Solidis, verum illius partibus: *Solidus* itaque sic vocatus, non a pondere, æquante scilicet Assem Æreum, verum ab integritate, quod nimirum Nummorum Aureorum cæteri vel *Semisses*, vel ejusdem forent solum *Trientes*; Meminit *Solidi* Lamprid. cap XXXIX. in Alex. Sever. ista conscribens: *Tuncque primum Semisses Aureorum formati sunt: Tunc etiam cum ad tertiam partem Vectigal Auri decidisset, Tremisses; dicente Alexandro etiam Quartarios futuros, quod minus non posset; Quos quidem jam formatos in Moneta detinuit, exspectans si vectigal contrahere potuissent, ut eosdem ederet, sed quum non potuisset per publicas necessitates, conflari eos jussit, & Tremisses tantum Solidosque formari: Formas binarias, Ternarias, & Quaternarias, & denarias etiam atque amplius usque ad Bi-*

Ergoteles noster meo imperio non quidem a fructu, ut tu scribis, sed a malis, aut pomis abstinebit, & pila item lusoria, donec ab ægritudine revalescat, tua vero ista invaletudine animi discruciatur, sique adesset ait se cantaturum.

Ne timeat Miniate, Deus non lædit amantes.

Quod si redditu tuo vides ægritudini prospicere te posse, redi, veni, fuge: nec me putes adeo inhumanum, qui prius tuæ saluti, ac fortitudini consuli velim, quam utilitati quamlibet magnæ, cura igitur tuam valetudinem, quæ nostra est: & Antonium Pisciatinum nobilem negotiatorem ex me suaviter saluta, ex Ergotele, & tu vale: quem facile non erit continere, quin ad te properet, si pergat, quod Dii avertant, tua hæc ægrotatio, iterum vale lux nostra. Romæ,



AN-

librex quoque, & Centenarias, quas Heucgabalus invenit, resolvi præcepit, neque in usu cujusquam versari; atque ex eo bis materiæ nomen inditum est, quum diceret, plus largiendi hanc esse Imperatori causam, si quum multos Solidos minores dare posset, decem, vel amplius una forma, triginta, & quinquaginta, & centum dare cogeretur. *Solidi* veruntamen nomine pro *Aureo Nummo* vix usos Antiquos Scriptores ex Scalig. Observatione lib. de Re Nummar. contendit Du Fresn. in Gloss., sub ætatem tantum Constantini M. *Solidum* dictum existimans; De *Solido* ita Gregor. M. libr. I. Dialog. cap. IX. *Repente in sinu suo duodecim Aureos invenit ita fulgentes, tanquam ex igne producti eadem hora fuissent; Qui mox de Ecclesia egressus eos in sinum furentis Præsbyteri projecit dicens; Ecce habes Solidos, quos quæsisti.* De Veterum *Solidis* præ omnibus uberiora leguntur in Gronov. de Pecun. Vet. III. VI. IV. XIII, & XIV.; De *Solidis* autem Recentiorum congessit plurima Du-Fresn. antea commemoratus cum in Dissert. de Numismat. Impp. Constantinopolit.; tum in Glossar. Ad Panorm. quod attinet *Solidos Aureos* cum scripsit, Nummum attigit latinitati per varia tempora manifestum.

ANTONIUS PANORMITA.

IPHICLEO SUO S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMASEXTA.

Litterarum studioso se præsto fore promittit, discruciatur suas litteras Ergoteli, & Marrasio non esse redditas.

SI litteris, & Ingenuis artibus operam das, ut scribis, gaudeo, cuipioque tua causa vates appellari non verus: verum incœpisse ita, profuerit, si perseveraveris: persta igitur in proposito hoc, & posthabitis reliquis cole litterarum studia, cole litteratos, & bonos viros, statim ad te mittam epistolas, quas petis: & siquid præterea requisieris, facile impetrabis, modo litteras ames, atque homines doctos, vivas liber ubicumque mavis, ego si isthic etiam bene feceris te velut præsente utar, fruarque, absentisque absentem juvabo, & generaliter si modestum, si stabilem, si studiosum, & litteratum te sensero, non minus absentem diligam, & fovebo, quam præsentem sum solitus diligere, ac fovere. Tu vale: litteræ illæ quas Ergoteli, & Marrasio per te misi redditæ nusquam fuere, quod iniquo animo tuli; at dices misi ego illas: sed ita misisti inquam, ut nuspiam redderentur. Vale iterum.

ANTONIUS PANORMITA.

LEONARDO SUO S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMASEPTIMA.

Panormum rediturus de sua cum illo Amicitia proloquitur, cui plura Henricus est nunciaturus.

SI vales gaudeo, ego saltem vivo, institui animo ad ver me Panormium recipere, modo per Augustam meum ne fiat, quo minus accedam, incessit mihi jam amor patriæ, desiderium propinquorum, cupiditas necessariorum, tui præsertim, quem germani loco semper dilexi, & in præsentia nisi perseveranter, atque unice amo, non me amet, qui cuncta amore creat, & regit, te vero an fortuna mutaverit, enervaveritque satis addubito: plerumq; enim quos illa complectitur, cæcos (a) red-

(a) Propius ad sensum Ciceronis accedit Panorm. exscribitque diligenter quæ de Fortuna uberiusq; de Fortunatis tradit De Amicitia cap. XV. his plane verbis; *Non enim solum ipsa Fortuna cæca est, sed eos etiam plerunque efficit cæcos, quos complexa est*; ea profecto mente id aperte declarans, ut homines edoceantur, per nullum tempus Fortunæ esse fiden-

reddit, & quidem cæca *(a)* depingitur apud Poetas: quanquam ita mihi persuadeo commutet, & commisceat in te omnia, attamen tuam in me solidam, & puram illam animi charitatem neutiquam flectet. Ego igitur primo vere te petam, tu siquid ad-

---

dum, in eandem rem apposite ibidem de Tarquinio loquutus, quem ait *dixisse ferunt tum cum exsul esset, se intellexisse quos fidos amicos habuisset, quosque infidos, cum jam neutris gratiam referre posset*, moresque fortunatorum paucis exprimens Orationem ita concludit: *Itaque illi efferuntur fastidio fere, & contumacia, neque quicquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest*, cæcam Fortunam de animorum improbitate criminatus.

(b) Equidem recte. Panorm. *Fortunam cæcam* Poetarum judicio scribit effingi; *Cæca* illa non tantum, verum & *Insana* habita est, quod profecto hi docent Versus Pacuviani a Lilio Gyrald in Syntagm. XVI. Hist. Deor. prolati:

Fortunam Insanam esse, & *Cæcam*, & *Brutam* perhibent Philosophi,
Saxoque instare globoso prædicant Volubili.
Ideo quo saxum impulerit Sors, eo cadere Fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem iterant, quia nihil cernat, quo se se applicet.
Insanam autem ajunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit.
Brutam, quia dignum, atque indignum nequeat internoscere.
Sunt autem alii Philosophi, qui contra *Fortunam* negant
Miseriam esse ullam, sed temeritate omnia regi, id magis
Verisimile ajunt, quod usus reapse experiundo edocet;
Velut Orestes modo fuit Rex, modo mendicus factus est,
Naufragio res contigit; nempe ergo haud fortuna obtigit.

Cæca item *Fortuna* pingitur in Thebani Cebetis Tabula, eademque præterea *Surda*, & *Insana*, Furentique similis, quæ volubili pendens in Saxo nihil ratione judiciove perpendit, sed omnia temere, cæcoque impetu administrat, universum terrarum Orbem perlustrans, homines vel auctura dignitatibus, vel ad egestatem inopinato redactura: Ejus propterea cultus ita ridetur a S. Augustino in libr. VI. de Civit. Dei cap. XVIII. *Ut quid autem colitur, quæ ita cæca est, passim in quoslibet incurrens, ut suos Cultores plerunque prætereat, suis Contemptoribus hæreat?* Illusit etiam Fortunæ Plinius, plurima de illa sic referens lib. II. cap. VII. *Tota quippe Mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus Fortuna sola invocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conviciis colitur, Volubilis, a plerisque vera & Cæca etiam existimata, vaga, incerta, incostans, variaq; indignorum fautrix*: His autem ejus cultui non obsistentibus, mirum Romæ præsertim, sive Reipublicæ tempore, sive Cæsarum ætate quot habuerit *Fortuna* cultores, quotisque fuerit consecrata nominibus: In Auctoribus passim singula occurrunt, eademque produnt etiam Inscriptiones; Illud vero præ cæteris vulgatum *Heram hominum Fortunam* esse vocatam, quod legitur in Plaut. Merc. Act. V. Sc. II. v. I.

Divum atque hominum quæ Spectatrix, atque *Hera* eadem es hominibus,
Spem speratam quoniam obtulisti hanc mihi, grates ago.

Illius effigies adornabatur interdum, Modio Capiti apposito, abundantiam designante, dextra Navis gubernaculum gerebat, cui Delphinus, & Serpens sunt superimpositi; Sinistra *Cornu Copiæ* sustentabat; Serpens gubernaculo superpositus prudentia designat *Fortunam* consistere; Delphino innuitur eam navigationi præesse, ac Mare pro suo voluntate gubernare; Eo prorsus modo, quo Principis *Genius*, Principis *Fortuna* venerario-

adventui meo consules, officium amici facies, & benigni, & benefici viri, de his satis: is enim es; in quem minime cadit ignorantia. Vale spes aurea. Cætera ex facetissimo nostro Henrico accipies vivo sermone. Papiæ.



nem sibi conciliabat, ut Inscriptio quædam apud Conseranos loquitur:

FORTU
NÆ. AUG
M. FAL
JUSTUS
EX
VOTO

& penes illam Imagines quoque Majorum fuisse appensas docet Vetus Fragmentum, in quo hoc est Carmen Heroicum:

Tu. quæ. Tarpejo. coleris. vicina. Tonanti
Votorum. vindex. semper. Fortuna. meorum.
Accipe. quæ. pietas. ponit. tibi. dona merenti
Effigiem. nostri. conservatura. parentis.

De *Fortuna*, illiusque *attributis* complura Lactant. III. XXIX. Veruntamen ad ejusdem Divinitatem cultumque quæ spectant, opportune Juvenal. Sat. X. v. CCCLXV.

.........Nos te,
Nos facimus Fortuna Deam,
Cæloque locamus.

ac nobis, qui Catholica veritate supra cæteros eminemus, gratias D. O M. quamplurimas opus est rependere, qui a mente nostra inane Fortunæ nomen amovit, unus enim ipse omnia quum sapientissime hominum utilitati accomodata disponat, constituat, moderetur:

Immotus, firmusque manens dat cuncta moveri.

LIBRI QUARTI

FINIS.

ANTONII
BECCATELLI
Cognomento Panormitæ.

EPISTOLARUM CAMPANARUM

LIBER.

ANTONII BECCATELLI

S I C U L I

COGNOMENTO PANORMITÆ,

EPISTOLARUM CAMPANARUM

L I B E R.

ANTONII PANORMITÆ EPISTOLARUM CAMPANARUM LIBER,

ANTONIUS PANORMITA.

NICOLAO BUCZUTO S. P. D.

EPISTOLA PRIMA,

De suarum litterarum ad illum mittendo volumine pauca præfatur,

TU quidem efflagitas quotidie, Buczute nobilitatis splendor, ut litteras, quas in Campania scripserim, in corpus redigam, & ad te mittam: at ego, si nescis, nihil profecto minus curo, quam meas ineptias in vulgus dare, aut minus credo, quam epistolas raptim, cursimque compositas doctis auribus placituras. Verum tibi utcunque mos gerendus fuit, primum ne diutius postulando me enecares, deinde quia a te saltem epistolas lectum iri non dubito, ut qui, nescio quomodo, fœminarum more semper in vetitum obnitaris, eoque magis eas legendas putes, quo magis eas ne legas admonearis. Sempronius quidam fuit; is cum uxorem mortuam cuperet, apposuit ei vinum suave quidem, sed veneno corruptum, præmonuitque iterum, atque iterum, ne illud biberet, quod scilicet veneno esset infectum: illa vero, ut primum maritus e conspectu abiit, quod sibi vetitum potissimum fuerat, hausit, & simul extincta est. Itidem tibi, ut dixi, eventurum suspicor de epistolis meis, ut quanto magis eas tibi denegem, tanto tu magis eas lectione dignas existimes, & inesse aliquid putes, quod ego haud abs re supprimere studeam, & quod tu haud quidem temere concupiscas. Verum ego in hoc, ut in cæteris ingenue tecum ago, atque iterum exclamans admoneo, ne id tibi legendum assumas, quod semel lectum pariat fastidium, extant epistolæ Ciceronis, Senecæ, extant Hieronymi, Plinii, quarum lectione nunquam te satietas capiat, tum facundior, tum etiam melior effici queas, illud postmodum pro mea hac facilitate, aut rectius levitate te peto, ne epistolas ullo modo efferas, sed uni tibi vel legendas, vel deridendas habeas, utinam tibi ipsa saltem ineptitudine placituras, & risum excitaturas. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI CLEMENTISSIMO S. P. D.

EPISTOLA SECUNDA.

Triumphanti, continentique gratulatur, ac plaudit.

QUod vincis, merito omnes gaudent: ego vero, & quod vincis gaudeo, & quod victoria clementer, & moderate uteris, recte quidem virtus tibi victoriam peperit: verum hoc ipsum commune cum multis: nam & qui fuerunt, & qui sunt, vicerunt, triumphaverunt, imperarunt: hique innumerabiles, & interdum etiam injusti, ac penitus indigni; qui vero, & vicerint, & victis pepercerint, nihil intemperantér, nihil avare, nihil crudeliter agentes, hi nostro, atque omni tempore perpauci, sed & dissimiles habiti sunt, & habebuntur. Cato tuus ajebat pessimum Imperatorem esse, qui sibi ipsi imperare nesciret, ideo, ut arbitror, quoniam absurdam videretur eum plures vincere, qui se unum ipse non vinceret. (*a*) Macedo ille magnus armis invictus laudatur, ira victus vituperatur. Annibalis gloriæ multum crudelitas detrahit. Equidem malo tibi victoria laudem inveniat, quam fortuna victoriam, quicquid in bello accidit, fortunæ laus est: ve-

(*a*) Sententiam Catonis, quam attingit hic Panorm., pluribus adornat Cicero pro M. Marcello ita de Cæsare loquutus: "Nullus tantum est flumen ingenii, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit: tamen hoc affirmo, & pace hoc dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quam eam, quam hodierno die consecutus es. Soleo sæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus, omnes nostrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum Regum res gestas cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri: nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis, non dicam cursibus, sed victoriis lustratæ sunt, quæ quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens, aut cogitatio capere possit, amens sim: sed tamen sunt alia majora: Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint Imperatorum, & certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum juvant; maximam vero partem quasi suo jure fortuna sibi vendicat: & quidquid est prospero gestum, id pene omne ducit suum, at vero hujus gloriæ, C. Cæsar, quam es paulo ante adeptus, socium habes neminem: totum hoc, quantumcumque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum, nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil Præfectus, nihil Cohors, nihil

verum si vincendo, benigne, misericorditer, caste, mansuete, constanter te gesseris, fortunam sua laude fraudabis: tuamque prorsus efficies victoriæ commendationem. Cum igitur tute is sis, qui hostes pariter, & te ipsum superes, jure ac merito tibi gratulor, mihi gaudeo: tibi, quia perpetuam ex virtute, & continentia laudem tibi comparabis, erisque posteris omnibus clementiæ, & humanitatis exemplum, mihi, quia tali Rege, ac domino fortunatus sum: ubi possim, & vivendo melior fieri, & scribendo clarior. Vale, & triumpha.

PHILIPPO MARIÆ INCLYTO MEDIOLANENSI DUCI FERDINANDUS ALPHONSI FILIUS.

EPISTOLA TERTIA.

Arctissima se ad illum necessitudine adjungit.

Diu veritus sum si puerulus ego tibi tanto Principi scriberem, ne arrogans viderer, contra si benefico non scriberem ingratus, vicit tandem sententia ut scriberem, habererque potius arrogans, quam ingratus; eo maxime, quod siquid inepte locutus fuerim, danda erit ætati venia. Salve igitur Dux invictissime, Ego Ferdinandus Alphonsi Regis filius nuper ex Hispania me contuli in Italiam non minus her-

torma decerpit: quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna in istius societatem gloriæ se non offert; tibi cedit, tuam esse totam, & propriam fatetur, nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: ea tamen viristi, quæ & naturam, & conditiooem, ut vinci possent, habebant, nulla est enim tanta vis, tanta ropia, quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangique possit: verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem, hæc qui facit, non ego eum rum summis viris comparo, sed simillimum Deo judiro. Itaque, C. Cæsar, bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non solum nostris, sed pene omnium gentium litteris, atque linguis: neque ulla unquam ætas de tuis laudibus conticescet, sed tamen ejusmodi res nescio quomodo, etiam dum audiuntur, aut dum leguntur, obstrepi clamore militum videntur, & tubarum sono, at vero cum aliquid clementer, mansuete, juste moderate, sapienter factum, in iracundia præsertim, quæ est inimica consilio, & in victoria, quæ natura insolens, & superba est, aut audimus, aut legimus, quo studio incendimur non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis? ut eos sæpe, quos nunquam vidimus, diligamus, te vero, quem præsentem intuemur, cujus mentem, sensusque, & os cernimus, ut, quidquid belli fortuna reliquum reipubl. fecerit, id esse salvum velis, quibus laudibus efferemus? qui-

hercule tui visendi gratia, quam Patris: nec tam Patris charitate adle-ctus, quam meritis, & virtute tua plane divina, dego, atque educor in præsentia sub patre optimo, studeoque ejus institutis talis evadere, qualis & esse, & videri debeat Regis filius. Duo mihi maxime proponuntur, virtus, & amor tui. Virtutem Deus ipse tribuerit, & Patris cura. Ego quidem, ut dixi, ne a majoribus meis degenerem, operam do, amorem vero tui usque ad postremos cineres servaturus sum, colam te, observabo te, venerabor te, meque semper debitorem inclytæ virtutis tuæ profitebor. Signum vero meæ hujus voluntatis, ac propositi, non quidem aurum, aut equos, aut lapillos pretiosos tibi mitto, sed memet ipsum tibi dono do, exiguum profecto donum, sed si tu libenter acceperis, magnum: soletis enim vos maximi, ac principes viri, quæ vilia sunt, cum illa acceptatis, pretiosa, & præclara reddere. Suscipe igitur munusculum meum, te quæso, atque obsecro Princeps humanissime, saltem ut ob hoc mihi onus injunctum videatur ita vivendi, ita adolescendi, ut te aliquando dignum donum judicari queam. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI S. P. D.

EPISTOLA QUARTA.

Consilio impellit, ut Filiam Ducis Mediolanensium nuptu Petro Fratri locandam curet.

Durum est amorem cohibere, & ego te amo, & colo, & nisi loquar, disrumpor. Fama est inclytum Ducem Mediolanensium Philippum Mariam nuptui dare velle unicam filiolam, eamque locaturum arbitratu tuo, vide quam magna sit hominis illius fiducia, atque observantia erga te, ut sua viscera, suam omnem jucunditatem, suum consilium, suam spem in te uno reponat, novi ego illum, ex animo loquitur, nec minus etiam te novi, videlicet qui virtute, ac animi gratitudine vinci non pateris, videre itaque mihi videor hac in re consilium

---

= bus studiis prosequemur? qua be-
= nevolentia complectemur? parie-
= tes medius fidius, C. Cæsar, ut mi-
= hi videtur, hujus curiæ tibi gra-
= tias agere gestiunt, quod brevi
= tempore illa futura sit auctoritas
= in his Majorum suorum, & suis
= sedibus. = Apertiusque paulio in-
fra concludit. = Et cæteros quidem
= omnes victores bellorum civilium
= jam ante æquitate, & misericor-
= dia viceras; hodierno vero die te
= ipsum vicisti, vereor, ut hoc, quod
= dicam, perinde intelligi auditu
= possit. atque ego ipse cogitans sen-
= tio, ipsam victoriam vicisse vide-
= ris, cum ea ipsa, quæ illa erat ade-
= pta, victis remisisti, nam cum ipsius
= victoriæ conditione jure omnes
= victi occidissemus, clementiæ tuæ
= judicio conservati sumus: recte
= igitur unus invictus es, a quo etiam
= ipsius victoriæ conditio, visque
= devicta est.

lium tuum, grave quidem illud, atque utilissimum, jucundissimum; fratrem tuum Petrum, nisi vates male vaticinor, puellæ illi honestissimæ maritum deligis, ac destinas: id si ita est, quid maximo illi Duci gratius, quid Petro fratri fortunatius, quid tibi laudabilius excogitari potest? Hoc uno beneficio Ducem ex creditore adhuc debitorem tibi constitues, ex amico amicissimum, ex patre filium. Sileo utilitatem ex matrimonio futuram, & ex patre ipso Duce, qui filius Ducis erit, idem & hæres erit, postremo nemo eorum erit, qui merita clementissimi hujus Ducis erga te cognorit, quin te hoc facto laudibus in cœlum ferat, & matrimonium non judicet pro meritis tam digni Ducis honorificentissime, ac sapientissime factum. Hæc ego Rex humanissime ex amore & observantia, quam erga te, tuosque omnes maximam gero, locutus sum, si male, non me, sed amorem incusabis meum, sin bene, dabis operam ut celeriter exequaris, quod prudenter a te cogitatum est. Vale Poetarum spes.

ANTONIUS PANORMITA,

FRANCISCO XANTHILIO SPLENDIDO EQUITI S. P. D.

EPISTOLA QUINTA.

Interrogantem, edocet amoris naturam, & ad amandum incendit.

CAjeta digrediens, atque ea ipsa hora qua digrederis, petis a me quid sit amor, quæve ejus vis, aut potestas, facile intelligo de quo amore loqueris, cum sis juvenis, otiosus, divitiis, atque deliciis affluens. Amor est animi passio, & ut recte ait Cicero, omnium animi perturbationum vehementissima; influit in homines, ut ait Plato, (*a*)

Iii ab

(*a*) Alia longe multa quam hic Panorm. recenseat, acutissime multis in locis de Amoris natura, proprietatibusque disputat Plato, præsertimq; in *Convivio* ex Pausaniæ Persona juxta Marsil. Ficini interpretationem sic loquitur: „Videtur mihi Phædre, haud satis recte sermo ille nobis esse propositus, quo amorem simpliciter laudare jubemur. Nam si unus esset amor, probe dictum fuisset: Cum vero non unus sit duntaxat, satius enim prius qui sit laudandus, exprimere, hoc itaque emendare conabor. Primo enim quem amorem laudare deceat explicabo, deinde pro Dei istius dignitate extollere nitar. Neminem profecto latet, absque amore Venerem nunquam esse. Quare si una esset Venus, unus & amor. Quoniam vero duæ sunt Veneres, geminum quoque amorem esse necesse est. Geminam autem Deam hanc esse quis neget? Nonne una quædam antiquior est & sine matre Venus, cœlo nata, quam cœlestem Venerem nuncupamus? Altera vero junior e Jove & Dione progenita, quam vulgarem communemque vocamus? Necessarium itaque amorem Veneris illius comitem, cœlestem vocari, hujus vero vulgarem. Laudare quidem Deos omnes decet: sed utriusque amoris opera distinguenda. Actionis cujuslibet hæc est conditio, ut suapte natura, neque honesta sit, neque turpis, ut

ab astro, quod Veneris vocant, cui advenienti nisi fortiter obstiteris, fit furor, totasque labitur in medullas,

Igne furtivo populante venas,

alitur otio & luxu: potestas vero ejus est mira, ex sapiente stultum hominem facit, ex sano furiosum. His breviter respondeo quæstioni tuæ, si copiosius cupis, fiet tam libenter, quam diligenter in reditu tuo. Interim i felix, & ama quidem, sed pauxillum si potes. Vale.

AN-

---

ea quæ nunc nos agimus, bibere canere, disputare. Nullum ex his seipso turpe vel honestum. Sed agendi modus actioni certum tribuit cognomentum. Quod enim bene recteque agitur, honestum: quod non recte, turpe resultat. Eadem ratione non quilibet amor & quivis amandi modus, honestus est & laudandus. Imo ille solus, qui honeste amare nos hortatur. Etenim vulgaris, & quodcunque contingit, peragit. Atque is est, quo pravi abjectique homines amant. Amant porro fœminas non minus quam masculos, & corpora magis quam animos, & sine mente homines potius quam prudentes. Ad explendum sane desiderium inhiant: honeste vero necne expleant, omnino non curant. Quo fit, ut quodcunque fors illis offert, exequantur, & bonum similiter atque malum. Affectus enim hujusmodi a Venere illa juniore, & utriusque sexus in generatione participe prolluit. Amor autem qui cœlestem sequitur Venerem, quæ non fœminæ, sed masculi tantum sexus in generatione est particeps, ipse quoque genus respicit masculum. Deinde quoniam antiquioris Veneris pudicæque est comes, & ipse petulantiæ omnis est expers. Quocirca quicunque amore hoc inspirati sunt, genus masculum natura robustius & generosius, & mentis magis particeps diligunt. Et qui amore hoc sincere perfecteque sunt rapti, ex hoc perspicue dignoscuntur, quod pueros non amant, sed adolescentes, cum mente valere jam cœperint. Hujusmodi vero genus exercendæ menti propinquius est, ad eamque exercendam familiaritas inter illos intur. Parati enim sunt arbitror qui sic amare incipiunt, per omnem vitam simul & communiter vivere, neque amatum decipere, neque ab uno in alterum amandum abire, neque enim pueros adhuc mentis expertes amant, quos deinde exoletos irrideant & relinquant. Oportet autem legibus institutum esse ne quis pueros amet, ne in re ambigua frustra tantum studium poneretur. Incertum enim est quo aut corpus, aut anima puerorum tam secundum virtutem quam secundum vitium postremo evadat. Probi quidem viri legem hanc sibi ipsis sponte proponunt. Oportet quoque eidem legi vulgares illos amatores adhibita necessitate subjicere, quemadmodum illos ipsos pro viribus amare mulieres liberas prohibemus. Nam hi sunt qui occasionem convitiia & quorundam sententiæ præbuerunt, qui amatoribus obsequi turpe dicunt: qui quidem de vulgaribus amatoribus ista loquuntur, quia importunitatem injustitiamque illorum agnoscunt & improbant. Nihil autem quod modeste & legitime fit, vituperare decet. Lex utique de amore in civitatibus aliis instituta, intellectu facilis est, quam simpliciter traditur. Apud nos autem & Lacædemonios varia extat. In Elide nanque & apud Bæotios, & ubi dicendi arte homines carent, simpliciter lege statutum est, morem amantibus esse gerendum: nec apud eos quisquam aut juvenis aut senex, turpe id prædicant. Quod quidem ea de causa ab illis arbitror esse factum, ne in persuadendis adolescentibus elaborandum illis esset, utpote qui ad orandum inepti sunt. In Jonia vero & apud alios multos qui Barbaris subiecti sunt, omnino turpe

ANTONIUS PANORMITA,

OLZINIO S. P. D.

EPISTOLA SEXTA.

De sibi erepto vini vectigali illum objurgat.

IN nunc & Mecœnas esto: spes musarum, præsidium, decusque Poetarum, ut primum Panormium applicuisti, inquiunt te regia auctoritate alienasse, proscripsisseque vectigal vini, unde miserum mihi il-

lud

---

hoc lege censetur. Nam inter Barbaros quidem propter tyranoides turpe illud habetur, & sapientiæ præterea atque gymnasticæ studium. Neque enim Tyrannis conducunt ea studia, quæ subditorum mentes acutas generosasque reddunt, quæve amicitias inter eos indissolubiles, societatesque frequentes pariunt: quæ cum ab aliis, tum vel maxime ab amore gigni consueverunt. Hoc autem ipso eventu tyranni nostri didicerunt. Nam Aristogitonis amor & Harmodii amicitia confirmata, illorum tyrannidem dissipavit. Atque ita ubicunque Amoris indulgentia funditus sublata est, pravitate illorum qui leges condiderunt, est vetita, principum quidem iniquitate & violentia, subditorum ignavia. Ubi vero penitus permissa est, propter eorum qui sic statuerunt socordiam & segnitiem est permissa. Hic vero multo rectius est institutum: sed ut dicebam, non facile cognitu. Concedi plane videtur, si quis animadvertat, quod dicitur, præclarius esse palam amare quam clanculum, eosque præcipue qui generosi & optimi sunt, etiam si minus formosi quam alii videantur. Favet quoque amatori quamplurimum communis omnium cohortatio, quasi nihil turpe aggrediatur. Nam communiter si quis amatum capiat, pulchrum quiddam videtur: si non capiat, turpe. Et lex ad amatum sibi conciliandum amatori mira quædam machinamenta concedit, laudatique permittit: quæ siquis aliquando cujusuis gratia tentare auderet, maximas apud philosophos vituperationes incurreret. Siquis enim accipiendæ ab aliquo pecuniæ, vel magistratus potentiæ gratia, aggrediatur illa quæ erga amatos amantes, passim occurrat, supplex oret, obtestetur, ad fores noctu jaceat, & sedula quadam observantia serviat, & in omnibus obsequatur, quæ servus aliquis agere nec vellet, neo etiam cogeretur, ab inimicis pariter & amicis objurgabitur. Illi adulationes servilesque assentationes vituperabunt, isti corripient, eosque servitutis amici sui pudebit. Amator autem dum ista facit, gratiam adipiscitur, & quasi præclarum aliquid agat, a lege absque ulla infamiæ nota facere ista permittitur. Quodve permaximum est, vulgo fertur, quod sola amatorlis periuriis dii dant veniam. Venereum quippe jusjurandum nihil valere ajunt. Itaque tam dii quam homines omnem amanti licentiam præstiterunt, ut lex nostra testatur. Si ad ista quæ dicta sunt, respiciamus, præclarissimum quiddam in hac Civitate existimari videbitur amor, quodve amanti amatus indulgeat. Si rursus ea quæ dicam, animadverramus, turpissimum hoc apud nos haberi putabimus. Nam parentes pedagogis filios commendant, qui amatos cum amantibus loqui prohibeant. Socii quoque & æquales quoties tale quid vident, vituperant, eosque dum talia carpunt, se-

lud salariolum exolvebatur. Scin tu quid egisti? Perdidisti me funditus, redegisti Poetam tuum ad ultimam miseriam: accidet mihi, atque utinam fallar, quod olim Plauto tuo, qui perdita pecunia ad molas tru-

sa-

nes non reprehendunt, neque eos quasi errent, corripiunt. Quapropter ita hoc habere se arbitror, ut ipsum secundum se, sicut principio dictum est, neque honestum sit, neque turpe. Neque enim simplex est, sed recte factum honestum, contra, turpe. Turpe quidem est, pravo ac turpiter obsequi. Honestum vero bono, atque honeste. Pravus autem est amator ille vulgaris, qui corpus magis quam animum amat. Neque stabilis est, cum rem sequatur minime stabilem. Nam cum primum corporis species quam cupierat, deflorescit, abit, nihil eorum quæ promiserat, servans. Bonorum vero morum amator, per omnem vitam in amicitia perseverat, utpote qui rem stabilem sectabatur. Hos utique nostra lex diligenter examinare præcipit, & his morem gerere, illos fugere. Et hos quidem sequi jubet, illos fugere, dijudicans & examinans quæ quis amet, & quæ in quovis amentur. Atque ob hanc causam primum facile, citoque capi, turpe censetur, ut tempus intercedat, quod ad examinandos mores exigitur, deinde aut pecuniarum copia, aut magistratuum potentia capi, absurdum, sive timore quodam potius quam voluntate irretiatur, sive acceptis pecuniis, civilibusq; muneribus acquisitis non contemnat. Nihil enim ex iis solidum firmumque esse videtur, præter id quod ab iis amicitia generosa oriri nequit. Una itaque secundum legem nostram via restat, qua amati amantibus jure gratificari possint. Etenim quemadmodum apud nos de amantibus lex illa relata est, qua dicitur, nullum voluntarium amatoris in amatum obsequium, adulatorium & infame putandum: sic & alia quædam secundum legem voluntaria servitus restat, quæ infamiam nullam subit. Hæc autem est quæ circa virtutem versatur. Nam nostris legibus est institutum, siquis velit aliquem colere, putans per illum vel sapientia quadam, vel in alia quavis parte virtutis proficere, hanc rursus voluntariam servitutem neque dedecori servienti fore, neque adulationem vocari debere. Oportet autem has leges in idem conducere, illam scilicet de amatoribus, & hanc de philosophia, aliaque virtute conscriptam, si ulla ratione contingere debet, ut deceat amatos amatoribus obsequi. Quoties enim in idem concurrunt amator atque amatus, utrique legem habentes, hic quidem obsecuturis amatis juste in omnibus ministrare servireque paratus, ille rursus scientiæ morumque præceptori suo juste in singulis pariturus: & hic quidem ad sapientiam, aliasque virtutes conferre potens, ille autem eruditione & sapientia indigens, tunc sane in unum his legibus concurrentibus duntaxat evenit, ut honestum sit amatos amatoribus morem gerere: alias autem nullo modo. In hoc utique falli, turpe non est. In aliis autem omnibus, obsequium hujuscemodi turpe censetur, sive obsequentem fallat opinio, sive non fallat. Siquis enim amatori tanquam diviti divitiarum causa gratificatus, fallitur neque voti compos efficitur, quum pauper sit amator, nihilominus vituperatur. Videtur enim hic servilem animi sui habitum ostendisse, quam pecuniarum gratia in singulis rebus cuivis serviret: quod quidem minime est honestum. Eadem ratione siquis tanquam bono gratificatus, ipse hac consuetudine sperans evadere melior, fallitur, cum ille pravus esse deprehendatur, honesta quædam deceptio est. Nam videtur affectum suum demonstrasse paratum

ſatiles ideſt manuarias redactus eſt, *(a)* o memorabile Mecœnatis nomen, Poetam faciet aſinum molendinarium, *(b)* quanquam aſinus factus ſcripſit tamen ille inter molendum divinas Comœdias: ſi me videas, haud dignoſcas, ex lepido, atque hilari, factus ſum triſtis, inſulſus, & plane ruſticus: credas non hominem, ſed hominis ſimulacrum, abierunt muſæ, abierunt Veneres, abierunt Charites, infelix ego, unde ſperabam beatus effici, a Mecœnate perditus ſum, ſcribam cumulatius, cum a te intellexero cur & quomodo me everteris. Vale calamitas Poetarum,

ad omnia miniſteria virtutis conſequendæ gratia toleranda. Quod ſane præclariſſimum judicatur, hac itaque ratione virtutis aviditate gratificari, atque ſervire ſemper honeſtum. Hic autem eſt ipſius cœleſtis dei amor, cœleſtis & ipſe: qui tam privatim, quam publice pretioſus eſt, & amantem pariter atque amatum virtutis curam ſtudiumque ſuſcipere cogit. Cæteri vero amores Veneris vulgaris ſunt comites. = Liquet inde Amorem ex ſe ſanum ac bonum, pravorum Amatorum nequitia obſcenum poſtea fieri,

(a) Plautinam inopiam a Noſtr. Auct. deſcriptam, Truſatiliumque Molarum naturam apud Joh. Baptiſtam Pium in Vita Plauti ſic legimus: *Varro cum cæteris Poſteritati commendavit, Plautum pecunia omni cum pulviſculo naufragio amiſſa, poſteaquam Romam revenit ob quærendum victum ad circumagendas Molas, quæ Truſatiles appellantur Operam Piſtori locaſſe, in Priſtino Saturionem, & Addictum, & tertiam quandam Fabulam, cujus nomen non legitur ſcripſiſſe. De Molis Truſatilibus his meminit Calphurnius, cum ait:*

Vilia cum ſubigit manualibus
hordea ſaxis.

itemque prodidit Lil. Gyrald. rem apertius his verbis: *Quæſtum quoque in Fabulis feciſſe dictus eſt* (Plautus) *adeo, ut etiam Mercaturam exercere voluerit, quæ quum ei male ceſſiſſet, pecuniaſque omnes perdidiſſet, Romam inops reverſus, ob quærendum victum operam Piſtori locavit, tametſi apud Euſebium Hieronymus id annonæ feciſſe caritate prodiderit,* uberiuſque præ aliis Joh. Philip. Paræus in Diſſertatione De vita, & ſcriptis ejuſdem M. Acci Plauti. = Cæterum inquit, in hac ſua Comœdias ſcribendi ubertate quæſtui dicitur (Plautus) habuiſſe ſuas Fabulas ita ut Mercaturam exercere non dubitarit, quæ cum votis ſuis, & commodis non per omnia reſpondiſſet, omniſque pecuniæ, quam e Fabulis ſuis acquiſiviſſet, jacturam feciſſet non exiguam, Romam, omnibus rebus exhauſtis, venit, ubi ob quærendum victum quotidianum, ſive ut alii malunt, ob Annonæ caritatem ad Molas manuarias, ſeu Truſatiles, quas vocabant exemplo forte commotus Menedemi, Aſclepiadis, Cleanthiſque, trium prudentiſſimorum Philoſophorum, Piſtori ſuam operam locare coactus fuit. Interim tamen in iiſdem Piſtrinis tres Fabulas, quas Commentatus fuerat, Satyrionem, Addictum, & tertiam quamdam ſicut Poeta Nævius duas in carcere, ſpe lucri, vendidit. Atque hinc ortum eſſe exiſtimo, quod aliqui cognomentum Aſinii Plauto attribuerunt, ut ex variis Mſſ. aliiſque antiquitus uſis eſt obſervare.

(b) Jocatur ſecundum inſtitutum aptiſſime Panorm. Noſt.; ac ducto certe a Mola cognomine *Aſinium* Plautum eſſe vocatum oſtendit eleganter Barth. in Adverſ. Comment. libr. VI. cap. I. hæc referens: .... *In manu exaratis libris Langianis Plauto inditum eſt vocabulum Aſinii. quia videlicet rumor erat tradentibus nonnullis priſcis Prædotribis per manus ad Poſteritatem, Plautum ad parti-*

ANTONIUS PANORMITA,
ALOYSIO CAMPO S. P. D.

EPISTOLA SEPTIMA.

Optime de Patria meritis civibus, suæ narraturis legationis seriem, amplissima docet præmia retribuenda.

MOS fuit Romanis illis veteribus, ut si quis civis civis civem in bello servaret, is corona Civica (*a*) donaretur, recte sane cum ad gratitudinem, tum ad virtutis excitamentum, & gloriæ, sed quæso siquis

---

cipandum victum ob egestatem ad molam se se vendidisse. Nam id genus lapideas Machinas veteres Asinos appellaverunt. Catullus:

Et nunc Pristino traderit atque Asino;

Hoc est Saxo Molari, quem molæ lapidem appellat Prudentius:

In præceps fluvio datur,
Suspensum laqueo gerens,
Ingentis lapidem molæ.

Asinis vero etiam molas agebant. ut Apuleii exemplo notissimum. Ovidius.

Hæc ubi ventosas fuerint siccata per auras,
Lenta jube scabra frangat Asella mora.

(*a*) Ornamentum Capitis, præmiumque Virtutis *Civicam Coronam* penes Antiquos fuisse constat præ cæteris ex Gellio V. VI. a quo suam hausit Panormita sententiam ita descriptam: *Civica Corona appellatur, quam Civis Civi, a quo servatus est in prælio, testem vitæ, salutisque perceptæ dat:* Ea sane inter Militares præstantissima sub ætatem Reipublicæ, Civium Romanorum donatos fuisse complures narrant Livius, Dionysius, aliique, eademque *Coronatur* dubio procul rarissimo quodam in Nummo Ducis Arschotani M. Lepidus, insidens Equo, humerisque Trophæum gerens hac Inscriptione: M. LEPIDUS. AN. XV. PR. H. O. C. S. idest: *Annorum XV. Prætextatus, Hostem Occidit, Civem servavit.* Illi, uti scribit Plinius XVI. IV. sunt *additæ leges arctæ, & ideo superbae. quasque conferre libeat cum illa Græcorum summa, quæ sub ipso Jove datur, cuique muros Patria gaudens rumpit: Civem servare, hostem occidere, atque eum locum, in quo sit actum hostis obtineat eo die; utque servatus fateatur: alias Testes nihil prosunt, ut Civis fuerit; Auxilia, quamvis Rege servato, decus id non dant, nec crescit honos idem Imperatore conservato, quoniam Conditores in quocumque Cive summum esse voluere; Accepta licet uti perpetuo: Ludos ineunti semper assurgi, etiam ab Senatu in more est; Sedendi jus in proximo Senatui, Vacatio munerum omnium ipsi, Patrique, & Avo Paterno.* Per quæ hoc *Militum virtutis insigne clarissimam*, juxta Plinium ibidem, tametsi cognoscatur, singulare tamen magis est, ac eximium, quod Civicæ Coronæ, ibi ex ipso Plinio, *cedunt Murales, Vallaresque, & Aureæ, quanquam pretio antecedentes; Cedunt & Rostratæ, quamvis in duobus maxime ad hoc ævi celebres; M. Varrone e Piraticis bellis, dante Magno Pompejo, itemque M. Agrippa tribuente Cæsare, e Siculis.* Florense Republica laudi præcipuæ vertebatur Coronato *Corona Civica* professio illius, qui dedisset, eratque Civis servatus, qui manu propria Servatori *Coronam* rependebat, confirmatque Cicer. pro Plancio: *At id etiam gregarii Milites faciunt*

ſiquis non unum, aut alterum civem, ſed univerſam Remp. prope labefactatam reſtituerit, quo honore, qua prædicatione, qua denique corona dignum exiſtimabis? noſti tu, quippe qui patriam in primis, & amas, & luges, quantum ex decore, quantum ex dignitate, quantum denique ex libertate jam pridem amiſerit noſtra iſta non felix, ſed miſera urbs: neque hactenus inventus fuerit, qui patriam, vel pauxillum curaverit, ne dicam, juverit, aut auxerit, itaque ut mihi quidem videtur, magis magiſque laudandi, ac celebrandi videbuntur, ſi qui nunc proſtratis rebus, ac fere extinctis emerſerint, qui patriam amplectantur, erigant, amplificent. Diis gratia tandem inventi ſunt viri conſtantes, & boni cives noſtri duo Diocles, & Nicocles proxime ad Alphonſum Regem dominum noſtrum legati, vix dici, vix credi poteſt, quo ſtudio, qua induſtria, quibus lateribus contenderint pro ſalute, & reſtauratione Reip. & impetrarunt a gratiſſimo, & juſto Rege quicquid noſtrorum Civium incuria, ne pejus dicam, hactenus neque poſtulatum, neque etiam tentatum fuerat. Fortuna juvit audentes, & ita juvit, ut opinionem expectatio, expectationem induſtria, induſtriam lætitia ſuperatura ſit, hoc quicquid eſt, & eſt ſane decus, & amplitudo civitatis noſtræ, & ab ipſis auctoribus, & ab omnibus hinc quotidie venientibus intelligetis. Tuæ partes ſunt Aloyſi dulciſſime mihi renuntiare, quas laudes, quos honores inſtituerit patria noſtra his viris, qui non unum aliquem civem, ſed univerſos cives ſervaverint, honeſtaverintque, an quaſi vero Philenis illis fratribus Salluſtianis aras gratiſſimi conſecrarint. Vale. Ex Capua,

AN-

---

inviti, ut Coronam dent Civicam, & ſe ab aliquo ſervatos eſſe fateantur. Inſuper Polyb. VI. XXXVII. *Qui ſervati fuerunt, ultro, ſin minus, Tribuno poſt cauſæ cognitionem cogente, ſolent coronare: atque adeo per omnem vitam is qui ſervatus eſt illum pro Parente colit, & omnia ea tenetur præſtare, quæ Filius Patri.* Singula deinde quum in manu eſſent Imperatorum *Civica Corona*, non a ſervato neque ab Excercitus Duce, verum Supremo Jure Militi qui id ſibi decus in acie pepeciſſet, ab Imperatore ipſo tribuebatur, ut ex Tacito Annal. XV. VII. deprehendi poteſt: *Si ſingulis Manipularibus*, inquit Corbulo, *præcipua ſervati Civis Corona Imperatoria manu tribueretur, quod illi, & quantum decus, ubi par eorum numerus adipiſceretur, qui attuliſſent ſalutem, & qui accepiſſent?* Eaque hac erat in re lex Imperatoria, ut Apronius Pro-Conſul ſine Tiberii conſenſu *Civicam Coronam* dare noluerit eodem ex Tacit. Annal. III. XXI. *Quo prælio Rufus Helvius Gregarius Miles ſervati Civis decus retulit, donatuſque eſt ab Apronio torquibus, & haſta: Cæſar addidit Civicam Coronam, quod non eam quoque Apronius jure Pro-Conſulis tribuiſſet queſtus magis, quam offenſus.* Frondeam vero *Civicam Coronam* fuiſſe docemur ex antiquis, ex Ilice primum, poſtea ex Eſculo, poſtremo ex Quercu: De illa ſic Plin. in allato libr. XVI. cap. IV. *Civica iligna primo fuit, poſtea magis placuit ex Eſculo Jovi ſacra: Variatumque, & cum quercu eſt, ac data ubique quæ fuerat, cuſtodito tantum honore Glandis:* Et Gell. ut ſupr. V. VI. *Ea*, inquit, *fiebat e fronde querna: etiam ex Ilice, quod genus ſuperiori proximum eſt, ſicut ſcriptum eſt in quadam Comœdia Cæcilii:*

Advehebantur cum iligna Corona, & Chlamyde.

Conſuetudo tandem invaluit *Civi-*

ANTONIUS PANORMITA;

AURISPÆ V.C. PERSEVERANTIAM;

EPISTOLA OCTAVA,

Aliqua jocose pertractat, ut sibi rescribat magna cum instantia flagitat, meminitque pueri Lisandri.

NEc tu mireris, si pro salute tibi perseverantiam deprecatus sum: nam posteaquam Flamen Plebanus effectus es, missis jocis, ac salibus mecum philosopharis, hortarisque ad bene vivendi viam, recte id quidem Aurispa ne irrideamur, ut Epicurus, qui dum palato quid sit optimum judicat, coeli palatium, (a) ut ait Ennius, non suspexit. Cæte-

---

cam Coronam dandi qualibet ex quercu, dummodo tantum ita ritus vetustæ superstitionis attenderetur; *Ut Glans in ea eligeretur optima, atque grandissima: Nam præter glandem ilicis, quam Homerus Acylon vocat, qua appellatione a communi glande distinguitur. quæ & ipsa est brevior, & gracilior, robori est pauca, cerro tristis.* Quem ad honorem cur evecta sit Quercus pluribus expendit Quæst. Rom. XCI. Plutarchus: Pro complemento nos interea Plinii in cap. IV. ut supra verba subjungimus: *O mores æternos, qui tanta Opera honore solo donaverint: & quum reliquas Coronas auro commendarent, salutem Civis in pretio esse noluerint: clara professione, servari quidem hominem nefas esse lucri caussa.*

(a) Argu t cum Ennio Panorm. Epicurum Palatii cælestis immemorem, perinde ac si neque de Coelo, neque de Coelestibus recte cogitaverit; illudque quam temere manarit in vulgus scribit disertissime Petrus Gassendus Tom. V. lib. IV. cap. III.; cujus hic verba transcribimus.

= Jam, cum elevare aggrediar, quæ Epicuro objiciuntur, absit alia mente id præstem quam exercitationis gratia. Neque enim si ille fuit, ut esse potuit, impius, malignus, aut alia ratione vitiosus, ego is sum, qui patrocinium ipsius mordicus suscipiam, & vel fuco facto, extitisse pium, bonum, temperantem defendam. Quin etiam, si quando perspicuum evadat ea, quæ objiciuntur, calumnias non esse, ac ipsum revera peccasse, neque reprehendi injuria, non ero sane ipse postsemus, qui accusationem instituam, (uti, & instituo in illis doctrinæ capitibus, in quibus perspicue errasse eum constat) cum & jam dumtaxat excusationem texam, quod ille videatur præter fas, & æquum, nisi in rebus omnibus, ac certe in quampluribus, mea sententia reprehendi. Itaque rei veritate salva per me, ac integra explicationes solummodo, atque conjecturas propono, quæ nisi moveant cæteros, mihi tamen bona fide agenti probabilitatem inducunt. Quod spectat sane ad rem præsentem, moveor loco illo Laertii *lib.* 10. quo *affectus pietatis Epicuri erga Deos, ineffabilis fuisse dicitur*: Moveor, quod in ea Civitate, in qua Epicurus incolumis vixit, &, ut adnotavit Divus Augustinus *lib.* 18. *civit. cap.* 41. *gloria etiam floruit*, adeo male mulctarentur quotquot ex Philosophis, vel leviculam impietatis suspicionem exhiberent, ut exemplo esse possunt Anaxagoras, Protagoras, Socrates, & florente jam Epicuro, ipse Aristoteles. Tum ut objectis satisfias, hærendum in eo non opinor, an Epicurus Deum coluerit: id disquirendum potius, an se in cultu naturæ divinæ, exhibendo rite gesserit. Principio vero ne-

terum tu solum memineris, quod Flamini Diali fabam, nec tangere; (a) nec nominare licet, ut Festus refert, quia ea putatur ad mortuos pertinere: siquidem ea vescebare multum, ea gratia, ut arbitror, quod legumina pruritum sedant, sed & ut ei parcas suadet etiam, quod Py-

---

mo dicas exigendum ex ipso cultum, quem solum temporibus illis profitemur verum fuisse, ac legitimum Judæis scilicet præscriptum: siquidem qui exigeret Platonem, Zenonem, cæterosque omneis Epicuro faceret pareis, Quo circa inspiciendum restat quid in communi tam Epicuro, quam cæteris caligine, decuerit magis naturam divinam. Circa hoc porro, vide ut etiam nostris hisce temporibus de pietate philosophemur; & Epicurum præ cæteris, quotquot ipsum reprehendunt, maxime pium forte comperies. Duplicem solemus assignare causam, quare Deum homines colunt: Unam dicimus excellentem, supremamque Dei naturam, quæ se ipsa, & sine ullo ad nostram utilitatem respectu cultus, ac reverentiæ dignissima sit: Alteram, beneficia, quæ Deus, seu bono largiendo, seu a malis avocando, aut contulerit, aut, quod magis movet, collaturus sit. Heinc, si quispiam ad Deum colendum priore causa alliciantur: Hunc se affectu vere filiali componere asserimus; Sin posteriore prorsus servili. Et quamvis honor, amorque servilis non sit omnino improbandus, ac ne præsertim in Benefactorem ingrato simus animo; nemo est tamen qui sustineat filialem non longe præstare, quod is exhibeatur ob ipsummet Deum cujus sane altaria aliunde frigerent si dominante affectu servili, homines nihil ab ipso, (quantumcumque excellens foret) aut acciperent, aut metuerent. Jam cum Cicero Seneca, & alii affectu plane servili ducti fuerint, quid nam aliud Epicuro reliquum fecerunt, quam ut filialis ejus pietas (non illa sane supernaturalis, seu ex gratia justificante secundum quam filii Dei nominamur, & sumus; verum naturalis, & qualem recta ratio suggerit, secundum quam etiam agnoscitur Deus, ut pater) ut, inquam, ejus pietas magis, magisque commendaretur. Cicero *libr. I. de Nat. Deor.* sic instat. *Quid est, cur Deos ab hominibus colendos dicas, cum Dii non modo homines non colant, sed omnino nihil curent?* Pergit *Quæ porro pietas ei debetur, a quo nihil acceperis? Aut quid omnino cujus nullum meritum sit, ei deberi potest?* Agnoscis ut alium quam servilem cultum Cicero non probaverit, aut filialem in Epicuro non probavit ille quidem, sed tamen non ignoravit. Quippe Vellejo pro Epicuro respondente, inter cætera hanc rationem audiit. *Habet venerationem justam quicquid excellit.* Seneca autem *lib. 4. de Benef. cap. 19.* sic quidem urget: *Atqui Deum Epicure Deum vis videri colere, non aliter, quam parentem? grato, ut opinor, animo. Aut, si non vis videri gratus quia nullum habes illius beneficium, sed te atomi, & istæ micæ tuæ forte, ac temere conglobaverunt, cur colis?* Verum cum solam reverentiam servilem Seneca agnoscat, nonne filialem in Epicuro, vel nolens, satis indicat, cum ab ipso Deum, *tanquam parentem* coli dicit? Quid quod Epicurus statim a Seneca loc. cit. inducitur *Deum colere, nulla spe, nullo pretio inductus; sed propter ejus majestatem eximiam, supremamque naturam?* An ne pietas Epicuri fieri poterat commendatior?

(a) Ad mortuos *Faba* quomodo spectet, illiusque usus ad quænam Sacrificia admoveatur, non, obscure docet Ovid. eorumdem Sacrorum ritum exponens libr. V. Fast. v. CCCCXIX.

Scorpius in Coelo, cum cras lucescere Nonas
Dicimus, a media parte notandus erit.
Hinc ubi protulerit formosa ter

thagoræ tui cognata eſt faba. (a) Ea igitur abſtineas, quæſo, ne dum hiſce leguminibus carnem domas, venias contra Flaminterii leges, ac præcepta, cum Samnii illius Patris cognata, nec violanda, nec contaminanda eſt. Ego poſthac non ſolum videndi, ſed quod mones etiam bene vivendi rationem habuero, tu modo ut cœpiſti perge animarum curam habere: ſed fabam illam Flamineam ne obtrecta, contractiunculam vero illam, quam in te jure, ac merito cœperam, depono, & quidem animo libens, eoque ardentius amare te occipio, quia ſiquæ in-

Heſperus ora,
Ter dederint Phœbo ſydera victa locum;
Ritus erit veteris nocturna Lemuria ſacri,
Inferias tacitis Manibus illa dabunt.
Annus erat brevior, nec adhuc pia Februa norat,
Compoſitique Nepos Buſta piabat Avi.
Menſis erat Majus, Majorum nomine dictus
Qui partem priſci nunc quoque moris habet.
Nox ubi jam media eſt, ſomnoque ſilentia præbet,
Et Canis, & variæ conticuiſtis Aves.
Ille memor veteris Ritus, timiduſque Deorum,
Surgit; habent gemini vincula nulla pedes,
Signaque dat digitis medio cum pollice junctis;
Occurrat tacito ne levis Umbra ſibi.
Terque manus pura fortuna proluit unda
Vertitur, & nigras accipit ore Fabas;
Averſuſque jacit; ſed dum jacit, hæc ego mitto,
His, inquit, redimo, meque meoſque Fabis.
Hoc novies dicit, nec reſpicit; Umbra putatur
Colligere, & nullo terga vidente ſequi.
Rurſus aqua tangit; Temeſæaque concrepat æra,
Et rogat, ut tectis exeat Umbra ſuis.
Cum dixit novies; Manes exite Paterni,
Reſpicit, & pure ſacra peracta putat.

Eamque in rem non minus appoſite, tametſi brevius idem Feſtus ex Varrone: *Faba, & lemuralibus jacitur larvis, & Parentalibus adhibetur ſacrificiis, & in flore ejus luctus litteræ apparere videntur;* quin & auctoritate Varronis de Vit. Pop. Rom. habet Nonius: *Quibus temporibus in ſacris Fabam jactant noctu, ac dicunt ſe lemurios domo extra januam ejicere.* Ad Flaminem ut veniamus, ejuſdem Varronis ex fide illum Plinius quoque tradit Faba non veſci, & alias ob candas. *& quoniam in flore ejus litteræ lugubres reperiantur:* Sui autem moris Patronos videntur Ægyptios adoptaſſe Romani, qui teſte Herodoto II *a Fabis abſtinent. Sacerdotes vero illas ne aſpicere ſuſtinent, arbitrantes haud mundum id edulium.* Priſcam itaque conſuetudinem ſequutus Antiquitatem, recte Panorm. adnotavit ex Feſto.

(a) *Fabam Pythagoræ Cognatam* hauſit Panorm. ex Horat. II. Satyr. VI. v. LXIII.

O quando Faba Pythagoræ cognata, ſimulque
Uncta ſatis pingui ponentur oluſcula lardo?

quo in loco irriſorie putatur ſaniorum Interpretum judicio ab Horatio *Faba* vocari *Pythagoræ Cognata*, nempe quod eidem Poetæ ironice videretur accipienda ſententia, quæ homini Coævam, & Conſanguineam Fabam affirmaret, eodem videlicet tempore cum homine natam, quæque in ſanguinem converteretur, ſi Pyxide incluſam vel ſervari, vel infodi contingeret; eaque firmatur Opinio Auctoritate Juvenalis Sat. XV. v. CLXXI.

.... Quid diceret ergo,

inter amantes, ut ait ille, eveniunt hujusmodi iræ, rursus si reventum in gratiam est, amoris vincula conduplicantur, verum ulcera refricare non licet: ut deinceps non de odio, sed de amicitia, non de dolo, sed de lætitia, non de præterito, sed de præsenti inter nos verba habeantur, immo posthac velim ita rescribas, ut Epistolæ efferri, legi, ac probari queant a meo Principe, & a magno atque prudentissimo Mecœnate: sintque familiaritatis nostræ potius quam rixæ, aut inconstantiæ testes. Nam siqua est in te dicendi suavitas, & est meo quidem animo pene incredibilis, nusquam tibi majorem laudem, ac gloriam parturire, quam hic potest apud acerrimos judices, & præclaros Heroas: oblectantur, afficiuntur oratione gravi, & ornata, & filum orationis tuæ jampridem hic nobilitatum, probatumque. Cum ad hæc, ut pollliceris, familiarius, uberiusque responderis, accipies & a me frequentes, & æque prolixas epistolas, tuaque officia veneraberis. Lisander puer aureus & a me & ab Ergotele salvus, & fortis sit, ab eo munusculum perquam avide expectamus; neque hercle beneficium perdet. Tu secum, vale, nosque mutuo amate,

AN-

Vel quo non fugeret, si nunc
hæc monstra videret
Pythagoras? Cunctis animantibus abstinuit qui
Tanquam homine, & ventri indulsit non omne legumen?

quo tamen alii mentem non advertunt, censentque *Fabam Pythagoræ Cognatam* idem prope valere, ac *Amicam*, quod scilicet asserant Pythagoram, & Pythagoricos, qui carnibus vix aut nunquam comedendis fuerint assueti sanitatis, & tragalitatis gratia, Fabis, cæterisque leguminibus, ac Oleribus per nullum tempus abstinuisse: Dubia in re audiatur Thomas Stanlejus ad Pythagoræ Symbola.

= Trigesimi septimi, aliorum nempe Symbolorum fecerat ante mentionem. = *A fabis abstineto*, variæ allegantur rationes: Aristoteles dicit, propterea Pythagoram iis interdixisse, quod *partes pudendas* referrent, vel inferorum portas: vel quod vermes gignant, quos Midas vocant. Vel quoniam naturam referunt hujus Universi, vel quoniam ad Oligarchiam spectant, quippe quarum in suffragiis ferendis sit usus. Hanc ultimam rationem amplectitur Plutarchus, ita illud symbolum explicans: Abstine a suffragiis, quæ fabis olim ferebantur; Porphyrius dicit: Fabis interdixit, quod primum rerum principium atque origo invicem conturbata essent, multaque simul in terra inter se confusa coaluissent, simulque computruissent, ex quibus paulatim singula orta sint, atque discreta. Cumque simul & animalia nascerentur, & plantæ producerentur, tum ex eadem putredine & homines extitisse, & plantas effloruisse, cujus rei manifesta adducebant argumenta. Siquis enim fabam arrodat, dentibusque comminutam, ferventibus solis radiis paulatim exponat, & post exiguum intervallum redeat, humani cruoris odorem in ea percipiet. Præterea, siquis eo tempore, quo faba florem emittunt paululum, aliquid floris jam nigricantis accipiat, & in vas fictile immissum, atque operculo obtectum humi defodiat, atque ita defossum dies XC conservet, tumque effossum rursus promat, atque operculum tollat, loco fabæ aut puerulli caput, aut pudendum muliebre enatum visurum esse. Eandem rationem Zaratum reddidisse dicit Origenes a quo fortassis Pythagoras, discipulus ejus, illam accepit. Huc Plinii spectant ista: Faba Pythagorica sententia est damnata, quoniam mortuorum animæ sint in

ANTONIUS PANORMITA AURISPÆ V. C. S. P. D.

EPISTOLA NONA.

Promissam sibi jamdudum Vitam Homeri, vel convicio efflagitat.

CUm uterque nostrum Florentia decederet, tu Bononiam versus, ego Cajetam, nescio an hoc tibi exciderit, ut pleraque; sed tunc profecto, atque eo loci pollicitus es mihi ex græco in latinum transferre Homeri vitam, quæ esset apud te solum, ut ajebas inter Italicos, atque id perficere intra dies non amplius, xv, a digressu tuo, abii tu ista pollicitatione lætus, ac gestiens, multisque in via Poetarum studiosis renuntiavi promissum tuum, quod summa cum voluptate, parique desiderio, & audierunt, & expectarunt: quin stultior ego Regi ipsi Alphonso rem significavi, ratus Aurispæ verbum perinde ac folium Sybillæ ratum, fixumque fore.

Interea magnum sol circumvolvitur annum,

& Homeri vita nusquam apparet, ob ecro quid in causa est, si ignavia non est? An ingens volumen? Vidi hisce oculis, brevis erat libellus, an occupationes tuæ, quæ nullæ sunt, præterquam cum ungulas purgas, aut ventrem scalpuris? Videas ne Homeri vitam supprimendo, aut protrahendo, tuæ vitæ declares ignaviam, & sane mirum est, cur tantopere a studio abhorreas, laboremque refugias; cum Socrates græcus tuus apud Platonem non quidem ignavis, aut socordibus, sed temperantibus simul, ac litteris insudantibus post hujusce vitæ demigrationem, cœlum repromittat. Sed tu, uti ego arbitror, ex Socrate nihil probas, nihil etiam habes, nisi quod taurine respicis, videre nunc videor, ut mihi succenseas, utque taurine intuearis epistolam, sed heus

---

ea. Et Porphyrius alibi: quoniam plurimum ex natura participant animantium. Sunt nonnulli, in quibus & Cicero, qui ideo Pythagoricis dicunt interdictum, ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam in cibis, tranquillitati mentis, quærenti vera, contrariam. Hinc Porphyrio inquiente, abstinentia ab iis, somnia nobis præstat serena & imperturbata. Agellius ait, rei venereæ proluvium eum intelligere. Plutarchus quoniam ei rei conducant, fabis interdictum dicit. Contra, Clemens Alexandrinus non aliam earum prohibendarum causam esse docet, quam quod steriles reddant feminis, iisdem vescentes. Audiendus insuper est Gyraldus, qui de hoc Pythagoræ Symobolo loquutus, postremo concludit: *Fabæ quoque segetem, ne pedibus calcaret Pythagoras, quum inimici eum insequerentur, deprehensus, occisus est vel, ut alii tradunt, incendio una cum Discipulis consumptus est*. Hæc sibi habeant de *Pythagoræ Cognata Faba* Eruditi Lectores, ancipitem, incertamque sententiam recta deinde mente liberius explicaturi.

heus tu, si cupis alios male non loqui, desine tu prius male aliquid polliceri: hoc est, cum dicacitatis arguis quempiam, desine tu prius levis esse. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

A U R I S P Æ S. P. D.

EPISTOLA DECIMA.

Orat ne sibi jocose scribenti succenseat, narrat secum esse Speciarium, de quo multa proponit, eidemque Homeri Vitam redigit in memoriam.

VEreor ne superioribus litteris tecum nimis familiariter jocatus sim, tuque adeo me tibi familiarem esse non putaveris, ægreque tuleris dicta mea, id si ita est, non mihi, te obsecro, sed patriæ nostræ quod quereris imputabis. Didacula est enim Insula, ut nosti, & dicaces producere, ac nutrire homines consuevit, proinde nobis vel maxime ita vivendum est, ne Siculorum dicteriis locum relinquamus, quod eveniet utique si considerate ad promittendum descenderimus: quod autem semel ipsi promisimus, religiosissime servaverimus, nihil alienius a viro bono, quam promissa mentiri, sed his missis, redeamus aliquando, si placet, ad jucundissimum inter nos illud epistolare certamen, quod diu jam culpa nescio cujus intermissum, mea nunc diligentia, aut potius pietate resumamus, atque ita resumamus, ut a nobis posthac non modo non intermittatur, sed ne remittatur quidem. Hac igitur epistola te provoco, tibi bellum indico, bellum inquam non benevolentiæ minus quam eloquentiæ, sed unde melius initium sumam, quam ab ea re, quam tibi auditu & mihi relatu jucundissimam fore intelligo? Nicolaus Speciarius tuus, immo noster Cajetæ agit, nobiscum lectitat, nobiscum disputat, nobiscum jocatur, superiora illa frequentius: vir gravis est, etiam & suavis, dignusque qui in medio vestræ illius Ætnensis Hyblæ (*a*) natus sit, progignit Hybla mel om-

(*a*) *Hybla* tantum *Ætnensis* mentionem facit hic Panorm.; unam vero non esse duntaxat apud Siculos Hyblam Scriptores affirmarunt cum prisci, tum Recentiores; præ cæteris in Sicula Geographia non mediocriter versatum, proponimus Philippum Cluverium Sicil. Antiq. libr. II. cap. VIII. num X. ita differentem. = Cæterum eodem inter Ætnam montem ac Symethum amnem tractu fuit, Hybla *urbs*, *cognomento Major*; Thucydidi, Livio, Pausaniæ, Ptolemæo, ac Stephano memorata. Apud Pausaniam in Eliacis hæc leguntur: *Prope Gelonis currum stat Jupiter prisci operis, sceptrum tenens. Hyblæorum donum esse ajunt. Fuere autem Hyblæ in Sicilia urbes duæ; quarum altera Gereatis cognomine; altera, ut erat, ita etiam vocabatur Major, retinentque hac etiam ætate prisca nomina, altera eorum in agro Catanensi plane deserta: altera Gereatis, eorumdem Catanensium, ad vici formam redacta est. In hac fanum est, deæ,*

nium optimum, progenuit & virum hunc melli simillimum: magna praeterea in homine humanitas, major benignitas, sed maxima rerum quaruncunque prudentia: ingenium habet ut Siculus & acutum & fertile, ego ex ejus consuetudine incredibilem capio voluptatem ac fructum: tuque in sermonibus nostris saepe incidis, absensque tanquam praesens constitueris. Legit mihi nuper epistolam, quam ex Bononia

ad

quam Hyblaeam vocant, dicatum, Siculorumque celebritate religiosum. Atque ab his praedictum signum Olympiam deportatum arbitror, quippe ostentorum & somniorum interpretes esse, ac caeteros, qui in Sicilia sunt, Barbaros deorum caeremoniis colendis anteire, Philistus, Archomenidis filius, memoriae prodidit. Apud Stephani epitomatorem haec sunt: *Hyblae tres sunt Siciliae Urbes, major, cujus oppidani Hyblaei. parva, cujus oppidani Galeotae, Megarenses, minor vero Hera vocatur. Est & Italiae urbs eo nomine. Hyblam ab Hyblone rege, propterea complureis Siculorum urbium Hyblas esse vocatas, incolas Megarenseis adpellarunt.* Corruptissimum esse locum, & magna verborum parte mutilatum, supra lib. 1. cap. xi., monui, ubi tamen (ingenue enim fatebor) typographorum festinatione praecipitatus, parum feliciter eum restituere conatus sum, sic enim corrigendus erat: *Hyblae tres sunt Siciliae urbes, major, cujus oppidani Hyblaei, parva, cujus opidani Galeotae atque Megarenses, minor vero Heraea vocatur. Parvam Hyblam ab rege Hyblone, ejus vero incolas ...... Megarenseis adpellarunt ....* [desunt multa] *...... ac propterea complureis Siculorum urbium Hyblas esse dictas.* Ex his *Minor*, sive omnium minima, cognomento *Heraea*; erat inter Gelam & Pachynum promontorium; ut suo loco demonstrabitur. *Parva*, & cognomine *Galeotis* erat ea, quae in litore inter Syracusas Leontinosque polita, postea, immigrantibus Graecis Megarensibus, *Megara* dicta est. *Major*, seu maxima omnium, in Catanensi fuit agro, harum duarum tantum meminit dictus Thucydides, lib. iv. De *Majore* ita tradit: *Athenienses, Catanam classe reversi, & illic frumentati, cum omnibus copiis proficiscuntur adversus Centuripa, Siculorum oppidum. Quo quum ex conventione intrassent, abierunt; simul incendentes segetes Inessaeorum atque Hyblaeorum. Reversi Catanam, offendunt equites CCL. ex Athenis advectos.* Alterius autem Hyblae, id est, *Parvae* sive *Galeotidis*, meminit eodem libro antea, inquit, *Post haec reliqui duces Atheniensium in Sicilia, bifariam diviso exercitu, ac sortito imperantes, cum omnibus copiis versus Selinuntem navigant atque Egestam. Ac praeternavigantes a sinistra Siciliam, qua ad Tuscum vergit sinum, Himeram adpulerunt, ubi quum non reciperentur, praetervecti sunt ultra. In praeternavigatione ceperunt Hyccara, oppidulum Sicanicum, id, ab se direptum, Egestanis tradiderunt. Ipsi rursus cum peditatu per Siculos peragrando, Catanam usque pervenere, navibus, quae praedam portubant, circumeuntibus. At Nicias ab Hyccaris protinus Egestam navigavit, ibi quum rebus constituendis operam dedisset, acceptis triginta talentis, exercitui se conjunxit. Tunc circumvectiorum Siculorum, qui socii erant, jubent eos suas copias mittere, cum dimidia vero sui exercitus parte Hyblam Geleatin adgressi, quae hostilis erat, expugnare eam non valuerunt, aestasque excessit. Insequenti statim hieme Athenienses ad invadendas Syracusas sese adparabant: pariterque Syracusani & ipsi, tamquam in illos ituri, qui, quoniam ad primum terrorem atque expectationem non protinus invaserant Athenienses, quotidie*

ad se mittis, illam quidem elegantem, sed aliquanto nescio quomodo elegantiorem factam eo legente: quid vero de te, tuisque fortunis serio & egimus, & quotidie agimus, multaque præterea intelliges mox aliis epistolis. Interim nihil est quod desperes te posse adsequi tali viro procuratore, vel benefactore, puto te hoc nuntio delinitum & mihi reconciliatum esse, siquam ex principio epistolæ contractiunculam

---

magis magisque animis confirmabantur: & quia, dum oram illam præterveberentur, longius ab ipsis ire conspecti erant, profectique adversus Hyblam expugnare eam nequiverant, eo vehementius illos contemnebant: postulabantque a ducibus, ut se Catanam ducerent: quandoquidem hostis in ipsos non iret. Eamdem historiam breviter sic refert Plutarchus in Nicia: *Ac primum, dum litora Siciliæ longissime ab hostibus circumvehitur, animum iis dedit, mox, quod obsederit Hyblam, exiguum oppidulum, & priusquam id ceperit, abscesserit majorem in modum est despectus, tandem Catanam se receperit, nulla re gesta, nisi quod Hyccara, barbaricum oppidulum, excidit.* Patet ex illa historia, maritimam fuisse hanc Hyblam: quam Geleatin, adpellat Thucydides. Maritima autem nulla fuit, nisi quæ, inter Syracusas ac Leuntinos sita, postea etiam Megara adpellata est: ut dicto lib. 1. cap. xi documus. In cognomine ejus auctores, ut supra perspectum, variant, nam Stephano dicitur Γαλεῶτις, Galeotis, Thucydidi Γελεᾶτις, Geleatis, Pausaniæ Γερεᾶτις, Gereatis. Barbarum id quia fuit vocabulum, Græca lingua in eam terminationem formatum; facile crediderim, jam tum ab ipsis incolis variantibus liquidis λ & ρ usurpatum fuisse. In prima autem syllaba usurpatum etiam fuisse α, & in tertia ω, ut Stephani epitomator refert, Ciceronis comprobat auctoritas: apud quem in lib. 1. de Divinatione ita legitur: *Dionysii mater, ejus qui Syracusiorum Tyrannus fuit, ut scriptum apud Philistum est, quum prægnans hunc ipsum Dionysium alvo contineret, somniavit, se peperisse Satyriscum: Huic interpretes portentorum, qui Galeotæ tum in Sicilia nominabantur, responderunt, ut ait Philistus, eum, quem illa peperisset, clarissimum Græciæ diuturna cum fortuna fore.* Hinc ipse quoque Stephani epitomator ait: *Galeotæ, gens quædam in Sicilia, ab Galeo, Apollinis filio, & Themisto, Zabii Hyperboreorum regis filia, orianda. Quidam autem Galeotas vatum genus in Sicilia esse tradunt.* *Hybla* igitur maritima, seu Megarensis, eadem fuit & *Galeatis* sive *Galeotis*, & *Parva* cognominata. *Minor*, sive *Herea*, fuit illa, ut dixi, inter Gelam & Pachynum; de qua plura suo loco dicemus. *Major* in Catanensi fuit agro. Galeatin inscite Pausanias Catanensium vicum sua ætate esse dixit; quum Syracusanorum fuerit: ut supra, lib. 1. cap. xi. ex Itinerario insularum patuit. Utramque ait prisca suo ævo nomina retinuisse, *Majorem* simul & *Galeatin*, quum tamen illam, *in Catanensi agro, omnino desertam*, adfirmet. Sed jam tempus est, situm hujus apud Ætnam Hyblæ indicare. Thucydides loco supra scripto tradit, Athenienseis, a Centuripis Catanam reverteneis, Inessæorum Hyblæorumque incendisse segetes. Inessam eamdem dictam fuisse postea Ætnam, nunc vero locum vocari *Cœnobium S. Nicolai de Arenis*, supra lib. 1. cap. ix. ostensum est. *Hyblam* itaque *Majorem* ego eodem situ fuisse judico, ubi nunc celebre conspicitur oppidum, vulgari vocabulo *Paternò*, ab Hadriano IIII millia passuum, a Catana XVIII circiter dissitum. Atque huc etiam quadrat historia T. Livii, cujus verba lib. XXVI

lam ceperis, alioqui utar ad te placandum placenta mellita, tu tamen nisi erratum castigas, & Homeri vitam in latinum convertis, nunquam persuadebis quantumvis maxima eloquentia, te non errasse, & de Homero, ac Poetis omnibus male meritum non esse. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

ERGOTELI SUO S. P. D.

EPISTOLA VNDECIMA.

Bacillerium, & Masinum in munere gerendo probos vult esse; Fulginatis amicitiam probandam, explodendumque Mediolanensem quemdam Senecam innuit; sua in Plautum Commentariola, suæque vitæ statum explanat; Incitat ut imbuendum Fraterculum ad se mittat; Consilio Flori standum, salutandosque Masinum, Cremonamque asseverat.

PErplures ad me litteras te dedisse significas: ego quidem eas tantum accepi, quas tu pridie kal. Novembreis exarasti: quibus non

ipse

---

hæc sunt: *Post profectionem ex Sicilia Marcelli, Punica classis octo millia peditum, tria Numidarum equitum, exposuit. Ad eos Murgentinæ desciverant terræ, sequutæ defectionem earum Hybla & Magella sunt, & ignobiliores quædam aliæ.* Murgentina quidpe, ut mox ostendetur, haud ita procul ab Hybla sita fuit, circa ostium Symæthi amnis. *Oppidani* ab Hybla ista majore dicuntur Thucydidi, ac Stephano, locis præscriptis, *Hyblæi*: Latinis vero auctoribus, Ciceroni in Verrina III ac Plinio lib. III. cap. VIII. sunt Hyblenses. At quando hæc Hybla, id est, *in totum deserta* facta sit, incertum est, nam Ciceronis ac Plinii Hyblenses utrum Majores sint, an vero Herei, æque in ambiguo est. Apud Ptolemæum, in mediterraneis Siciliæ urbibus legitur, *Hybla*; quæ ex situ cognoscitur esse *Heræa*, præter hanc vero alia illic legitur urbs, variante vocabulo in variis exemplaribus, modo *Hydia* modo, *Hydra* dicta, quibus vocabulis nulla unquam urbs in Sicilia alii memorata fuit auctori. Ego utrumque nomen corruptum esse censuerim ab genuino, quod oppidum illud est, quod modo in Catanensi agro exposuimus, nam tertia illa Galeotis sive Megarensis Hybla, *Megara*, adpellatur Ptolomæo.

ubi vero de melle sermonem esse contigerit, Montem putamus intelligi & *Hyblam* vocatum, teste præ aliis Martial. libr. XIII. v. CV.

Quum dederis Siculos mediis de Collibus Hyblæ
Cecropios dicas tu licet esse favos.

Amœnissimis enim *Pratis*, ex Barth. Adversar. libr. XXI., *laudatissimus est Siciliæ locus*; *Columella libr. X.*

Nunc & odoratæ peregrino munere Plantæ
Sicaniis Croceæ descendant Montibus Hyblæ.

et *Sil. lib. XIV.*

Et quæ nectareis vocat ad certamen Hymettos
Audax Hybla favis.....

postremoque *Lucanus libr. IX.*

.........Sacri mellis Amorem
Gaudet In Hyblæo securus gramine Pastor.

ipse respondeo utique tarde, sed tarde litteras accepi tuas. Primum, ut par est, adhortaris me ut Baccillerio gratuler, quia declaratus sit Prætor urbis Birinozonæ: (a) qua de re gaudes tu quidem in primis, & ego tuum hoc gaudium gaudeo: Baccillerio autem tum demum gratulabor, cum intellexero quonam pacto magistratu uti sciverit. Itaque erit tibi curæ posthac mihi renuntiare non quidem officii salarium aut lucrum, sed quam comiter, quam caste, quam vigilanter, quam juste officium gesserit Pater tuus, idem & meus: licet vero conjectem atque existimem ipsum omnia recte riteque habiturum, tamen quia plerumque magistratus, atque honores homines immutare solent, ut qui animo solicito, anxiusque sim, expecto a te denuo scire de Baccillerio aliquid, quod virtutem potius commendet, quam fortunam prædicet, aut extollat. Idem & de Masino fratre, quod nomen, quam laudem videlicet ex magistratu consequatur, non quam loculos expleat, hoc est quam honeste se gerat, non quam utiliter: de his satis. De Seneca isto miror quid me consulas, quasi hominem non noris: Fulginatis, ut video, amicitiam non magni facis, quem suasi tibi & suadeo ut patris loco venereris, ac serves, a quo si intellexero te probari, probaberis & a me: contra si accepero te vel amari vel laudari a viro aliquo malo, viruperaberis a me, nec amaberis a viris bonis, talem te esse arguent omnes, quales ii sunt, atque erunt, quorum consuetudine delectaberis, si sapis, meque audis Cordubensem Senecam complectere, Mediolanensem abjice, qui ex Seneca præter nomen nihil habet. Commentarioli illi ad Plautum cum cæteris meis libris Panormii sunt, & hi quidem adhuc inemendati: cum emittentur tu eris omnium primus, qui librum habeas, & judicium feras. Interea te obsecro pluris facias laudem meam, quam desiderium tuum, sive tuum sit, sive, ut arbitror, Senecanum. Fortuna mea talis, qualis Philosopho homini satis superque sit, honores aliquanto etiam plures, quam Philosophum deceat, aut Poetam, amamur a Rege plurimum, a quo quotidie & honestor, & amplificor, magis etiam quam expetam, hæc si gaudenda tibi videbuntur, gaudebis. Restat ut tibi respondeam de fraterculo isto tuo, quem Cupidinem appellas, quem si cordi tibi est ad me mittere, nihil differas: malo, tua pace loquar, apud me educetur, quam apud te: reddam tibi illum ex Cupidine Apollinem, & Bononiensibus nostris Civem admirabilem, facit amor ut pollicear indecen-

Nnn ter,

(a) *Birinozonæ Urbis* mentionem fecisse Panorm. ultro fortasse crediderit ex Geographis ille, qui Birinozonam probe noverit; Ea vero, qua sumus ingenuitate, nos credimus huc loci incuria Librariorum Urbem nuperrimam emersisse, quam non ita facile penes Auctores deprehenderis; suam tamen integram relinquentes cuique sententiam animadvertimus breviter ex Nostr. Alphonso a Varrea in Libris, qui inscribuntur: *Universus Terrarum Orbis Scriptorum Calamo Delineatus*, descriptam inveniri *Blandenonam* his verbis: *Blandenona Oppidulum Liguriæ in agro Ticinensi*, Broni *nunc, a Ticino X. M. Pass. Medium fere inter Placentiam ad Ortum & Dertonam ad Occasum ad XX. Mill.* An *Blandenona* pro *Birinozona* sit apponenda non dicimus, Geographicarum rerum peritis libenter ausculaturi.

ter, sed idem amor præstabit, ut quod se auctore promiserim, exolvam, tu modo, ut dixi, ne protrahas rem: tener quidem mollisque perapte instituetur, fingeturque & moribus & litteris: alioqui si semel imbuerit aut mores aut litteras barbaras,

.... Servabit odorem

Testa diu, ...

ut Flaccus ait, (*a*) & tunc ex Cupidine Apollo tibi non restituetur, non etiam ab ipso Apolline. De mittendo puero Florum consule hunc litterarum adlatorem virum doctum, magnificum, & delicium meum: is dimittendi pueri viam inveniet, aderitque Apollini Apollo. Vale cum Masino suavissimo & Cremona muto, & sideribus meis. Cajetæ.

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI S. P. D.

EPISTOLA DUODECIMA.

Jacobum Ferroccum laudibus afficit, & commendatione.

NI mihi satis superque nota, & explorata esset humanitas, & benignitas tua, supersedissem nimirum commendatitias hasce ad te scribere: sed quid ego id verear, cum sciam te quotidie vel indignorum hominum preces exaudire solitum, nec quenquam a te tristem discedere? Jacobus Ferroccus Vir propter singularem industriam statui regio percommodus, ad sublimitatem tuam proficiscens, me rogat, ut se tibi per litteras commendem, causam quidem acturus est apud te, omnium fere opinione honestissimam, speratque meas litteras sibi plurimum profuturas, ego vero, & si scio te non hortatu cujusquam moveri, sed tuapte natura pronum esse ad probitatem, tamen amico, & viro optimo deesse nolui: non in mea eloquentia, quæ nulla est, sed in tua placabilitate, æquitate, qua inter Principes excellis, plurimum sperans, erit nihilominus & hoc ad virtutem & mansue-

(*a*) Utitur Auctoritate Panorm. Nost. Horatii in Epistol. libr. I. II. v LXIX.

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

quem in locum ab Interpretibus animadvertitur raro abire in desuetudinem, quod apud quempiam a prima ætat inolevit: Affertur & a Dionysio Lamb. Platonis Auctoritas in hunc ferme modum: *Sic Plato libr. IV. de Republ. seu de justo ait Tinctores, seu Infectores, ubi lanam purpura inficere volunt, primum lanam sumere candidissimam, deinde eam accurate præparare, ut florem purpuræ quammaxime imbibere possit, & tum denique purpureo colore lanam illam tingere; quo facto purpuram lanæ insitam atque inditam nulla ratione, nullo nitro, nullove lomento, aut sapone abstergi, neque deleri posse*; Qui sane concinnatæ auctoritatis est sensus, ut indicetur rerum imprimi, ac in animis hærere fortius imagines, si a primis, ut Vulgo dicitur, unguiculis, Operi summos Præceptores insudare tota mente, viribusque omnibus, opportune contigerit.

suetudinem pertinens, non solum tua sponte, tuoque ingenio benefecisse, sed etiam litterulis ac precibus meis ostendere aliquid tribuisse. Vale litterarum spes unica.

ANTONIUS PANORMITA ALPHONSO REGI. S. P. D.

EPISTOLA DECIMATERTIA.

Ad Magistratum obtinendum aspirat.

Togam candidam (*a*) competitores officiorum induebant, ut intelligerent ad dignitatis fastigium non sordibus, sed animi candore, & integritate esse perventuros: nam qui pecunia ambiebant officia, ambitus (*b*) damnabantur in exilium. Ego Rex inclyte profiteor

---

(*a*) Sapienter advertit Panorm. usos *Candida Toga* qui ad Magistratus petendos accederent; Ejus rei testem habemus Macrob. Saturnal. l. XVI. his verbis: *Mos fuit Petitoribus, ut sumpta Candida Toga nundinis in Comitium venirent, & in Colle considerent, unde coram possent ab omnibus videri*. Quæ cæteroquin *Toga Candida* vulgo est appellata, eadem fuit albo, non candido colore; Nativus enim lanæ color est albus, candidus vero proprie splendens artis est opus; hinc Polybius aliquot in locis [illegible], hoc est *Splendentem*, neutiquam [illegible], scilicet *Albam* vocare maluit *Petitorum* Togam quod etiam Senecæ placuit, cui tribuitur illud effatum; *Non splendeat Toga nec sordeat quidem*; etenim vel in minimis rebus Naturæ simplicitatem lædere vitiosum est, ac indecorum.

(*b*) De *Ambitu* primoribus tantum labris quod hic Panorm. degustat, Juris-Consultorum elegantissimus Janus Vincent. Gravina uberiore stilo pertractat *De Legibus, & Senatus-Consultis* num. XCVIII. cujus hic verba non oscitanter apponuntur.

> Nihil vero fraudum earum, quæ superioribus legibus coercentur, formidaturi sumus a magistratibus, si ab illorum creatione fraudem omnem amovebimus; ac reipub. gubernacula deferemus ad meliores, justis, liberis, incorruptisque comitiis. Ideo legum omnium utilissimæ sunt leges adversus ambitionem latæ: per quas cavetur, ne in honorum petitione virtus a pecunia, probitas a calliditate, ac meliores a deterioribus, de more superentur, neve dignitates donis obtemperent, ac per largitiones, promissionesque suffragiorum libertas civibus eripiatur. Meritorum enim testimonia, non remuneratio largitionum oportet esse suffragia. Qui Tribus igitur clam divisa pecunia corrupisset, populique voluntatem donis emisset cum pluribus fraudulenter coeundo, & homines conducendo, ut rejecto competitore suo magistratum adipisceretur, lege primum tribunitia Pœtilia, deinde aliis vario tempore usu poscente prodeuntibus, Bæbia nempe, Maria, Fabia, Cornelia, Calfurnia, Tullia, Aufidia, Licinia, Pompeja, & postremo Julia, plectebatur *interdictione aquæ, & ignis*: primo quidem per decennium, postea vero perpetuo: & honos ab reo simul cum tribu, veluti suspicatur Manutius, ad accusatorem transferebatur. Ex quibus tantum Julia conjecta est in libros juris; postquam enim Tiberii tempore suffragiorum jus a populo ad Senatum devenit, ut ab Senatu facilius ad solum principem redigeretur; harum legum auctoritas

teor me ex candidatis (*a*) unum, ſed qui pecunia caream, licet non indigeam: viginti enim annis ita tecum vixi, ut ſemper mihi curæ fuerit cumulandæ potius laudis, quam pecuniæ, a me igitur Alphonſe inclyte longe chariorem gratitudinem expecta, quam pecuniam, tui nominis videlicet laudem & gloriam, ni fallimur, diutiſſime permanſuram, tum ad magiſtratum gerendum tibi polliceor animi integritatem, & judicium incorruptum. Vale.

AN-

---

prorſus concidit: quis enim argueret legibus facta principum? Hinc & de lege Julia ſatis levis mentio eſt in digeſtis. Auctorem habuit non Julium Cæſarem ſolum, ſed & Auguſtum, qui Fabianis, & Scaptienſibus tribulibus ſuis ſingula millia nummum a ſe dividebat comitiorum die, ne quid a candidatis deſiderarent, ut Svetonius tradit atque inter alias pœnas per quinquennium interdixit magiſtratus petitione reis hujus criminis. Ubi vero principes magiſtratus creationem ad curam ſuam revocaverunt, lex ambitus in Urbe ceſſavit, manſitque tantum in municipiis, & municipalibus honoribus; ab honoribus autem urbanis ut hoc vitium abeſſet, ſatis fuit pellere avaritiam ex aula principis, quod conatur Juſtinianus in novella 8. Loco autem interdictionis *aquæ*, & *ignis* ſubjecta eſt *deportatio*, quæ tanquam ex *l. Julia de ambitu*, ex conſtitutionibus principum impendet iis, qui defuncti muneribus ea continuant, aut repetunt ante redditam adminiſtrationis ſuæ rationem. Minor vero ambitus, pœna minori, nempe pecuniaria mulcta centum aureorum, cum infamia, ex S.Cto coercetur: quam incurrit is, qui contra legem ambitus in municipio magiſtratum petierit, aut Sacerdotium. Qua lege damnatus amiſſum gradum repetit, ſi alium ejuſdem criminis in judicio convicerit: quod ex lege Calfurnia deſcendit. S.C. quoque ad hanc legem edito punitur, qui novum vectigal inſtituerit.

Legibus autem Juliis, quæ *judiciariæ* dicuntur, ambitus damnatur accuſator, aut reus, qui domum judicis ingrediatur, conſtituta mulcta centum aureorum fiſco inferendorum: cui adjiciendum ex Dione, iiſdem legibus fuiſſe cautum, ne judices domus alienas introirent.

(*a*) *Canditati* mentio hic apud Panorm. ex vetuſta Romanorum conſuetudine, notaturque ratio vocabuli præſertim a Tertulliano de Idolol. cap. XVIII. eadem prorſus, quæ *Purpuratis* nomen indidit apud Babylonenſes: *Qui familiaritate Regum utebantur*, ait ille, *Purpurati Regum vocabantur, ſicut apud nos a Toga Candida, Candidati*. Candidatis autem juxta nominis ſignificationem erat commune Tribus circumire, per id tempus, quo habebantur Comitia; ſingulorum manus prehendere, tenere, oſculari; erantque idcirco uniuſcujuſque obſervantiſſimi, enixe ſe optare declarantes, ut ſuis, Majorumve ſuorum meritis præmium dignitate rependeretur, cui via ſternebatur non pecunia, muneribuſve, ſed tantum votorum puritate, ac ſinceritate; Tunicas hinc *Candidati* deponebant, ne argentum in ſinu geſtantes ſuffragia redimerent, vel ut aperto pectore vulnera honeſta eoſdem commendarent, & ulterius ſine cingulo procedebant, ut votorum ſinceritatem facilius, meliuſque aperirent; Togæ tantum adhibebatur *Creta*, vel *Gypſum*, aut ſimile quidpiam, ut illa magis ſplendeſceret, ac eniteret, quæ deinde lata lege L. Pinario, ac L. Furio Tribunis Militum Conſulari Poteſtate An ab Urb. Cond. CCCXXII. eſt interdicta narrante T. Livio libr. IV. cap. XXV. *Placet tollendæ Ambitionis cauſſa Tribunos legem promulgare, ne cui album in veſtimentum addere petitionis cauſſa liceret*; Quæ tamen lex ex Auctorum ſenſu diu non eſt obſervata; Plura de *Candidatis* videantur in Lipſ. lib. VI. Antiquar. Lect., & in Bulenger. præſertim de

ANTONIUS PANORMITA.

MARTORELLO SUO S. P. D.

EPISTOLA DECIMAQUARTA.

Enumeratis pluribus Veterum Diis, Alphonsi Regis in fidem per vota se tradit.

OTiosus eras, ac nimium otiosus Martorelle, cum petebas a me num Deos olim Cloacales habuerit antiquitas: idque cum tu non inveneris in commentario scriptum Basaliniano, scire expetis, nunquid ego fortassis hoc ipsum alibi legerim, & tibi illico renuntiem: ego quidem ut breviter quod quæris absolvam, legi apud gravissimos atque doctissimos etiam Christianos viros Deam Cloacinam (*a*) præsidem cloacarum, & spurciora etiam Deorum nomina, ut puta Stercenium, (*b*) qui præsideret stercoribus: hic quoque ideo apud veteres Deus habitus est, quoniam inventor fuerit agrorum stercorandorum,

Ooo ac

Imper. Rom. III. IV., & de Imper. Rom. V. LXX. de *Candidatis* inter Milites, de *Candidatis* Principis plura adnotantur, quæ Lectori perlustranda relinquimus.

(*a*) *Deam Cloacinam* non tantum repetimus in Panorm., verum in priscis quoque Scriptoribus; De ea sermonem instituit Minucius Felix, qui hujus Deæ repetit inventionem a Tatio, inquit enim: *Cloacinam Tatius, & invenit, & coluit*, uberiusque Lactant. I. XX. *Cloacinæ Simulacrum in Cloaca maxima repertum Tatius consecravit, & quia cujus esset effigies ignoraretur, ex loco illi nomen imposuit*; festiveque ad Deæ nomen alludit Tertullian. de Pali. cap. IV. *Quod si tunc locorum Diogenes de dolio latraret, non Cænulentis pedibus, ut Thori Platonici sciunt, sed omnino totum Empedoclem in Adyta Cloacinarum detulisset, ut qui se Cælitem delirarat, Sorores prius suas, dehinc homines Deos salutaret*. Animadvertendum postremo *Cloacinam* a *Cluacina* omnino sejungendam, ut ex Antiquorum Fide tradit Johannes Vives, *Cluacinæ* siquidem nomen est Veneri, ideoque perperam, ab eruditis cæteroquin Viris, usurpari docet promiscue *Cluacinam* pro *Cloacina Dea*, Lil. Gyrald. in Syntagm. Deor. I. & XIII., corruptamque lectionem in Livii lib. III. cap. XLVIII. *Data venia seducit Filiam ac Natricem prope Cloacinæ ad Tabernas, quibus nunc Novis est nomen*, ita restituit: *Data venia seducit Filiam ac Nutricem prope Cluacinæ ad Tabernas*; a *Cloacina* diversam notans *Cluacinam*.

(*b*) Attingit Panorm. stercorandorum agrorum Auctorem, quem *Stercutium* Plinius appellavit lib. XVII. cap. IX. his verbis: *Augeas Rex in Græcia excogitasse traditur, divulgasse vero Hercules in Italia, quæ Regi suo Stercutio Fauni Filio ob hoc inventum immortalitatem tribuit*; Macrobius vero Saturnal. I. VII. fæcunditatem Stercoratione agris comparatam docet a Saturno, qui propterea *Sterculius* est vocatus, itemque de Sterculio Lactant. I. XX. *Colitur & Sterculius, qui stercorandi agri rationem primus induxit*. At Servius in VI. Æneid. de stercorationis institutore sic loquitur: *Picumnus stercorandorum agrorum invenit usum, unde & Sterquilinus est dictus*, isque Picumnus Faunum habuit Patrem; In ejus attamen cultu advertendum Veteres non fecisse Stercori, verum aut Telluri fimo lætatæ, vel Naturæ virtuti, quo Plantæ post fimum in agro

ac proinde Sterconius vocatus, coluerunt item & Lubentinam (*a*) appellatam. Menam (*b*) quoque præfecerunt menstruis fœminarum: & Cuninam (*c*) Deam, quæ tueretur infantium cunas. Numeria (*d*) in primis honorata, quæ numerare doceat, hæc Dea, ni fallor, tibi propitia est: ajunt enim te proxime ad sexcentas uncias numerare docuisse: mihi quidem potius erit propitius & fautor Jugatinus (*e*) Deus, qui conju ges jungit, & cum virgini uxori Zona (*f*) solvitur, invocatur.

---

conspersum, uberiore fructu provenisent.

(*a*) Lubentina jure credita a Panorm. Nostr. Romanorum Dea; hanc & illi vocavere Lubentiam, nomine a *Lubendo* ducto, cujus rei testis est Varro, qui & *Lubentinam* ipsam ac Venerem esse judicavit; Eamdem S. Augustinus censuit dictam esse a Libidine.

(*b*) Utique *Mena* Dea est habita; non tantum Panorm. id auctoritati fatemur, verum aliorum utimur firmiore testimonio; Audiatur S. Augustinus de Civit. Dei IV, XI. ita disserens: *Ipse sit Dea Mena, quam præfecerunt Menstruis Fœminarum*, & hæc in verba Leonardus Coquæus: *Menstruis Mulierum fluoribus præesse putabatur* (Dea Mena) *Jovis filia credita, quæ Græcis μηνη dicitur*, idemque Augustinus de Civit. Dei VII. II. *Sed*, ait, *ibi est & Dea Mena, quæ Menstruis fluoribus præest, quamvis Jovis Filia, tamen ignobilis: Et hanc Provinciam fluorum menstruorum in libris selectorum duorum ipsi Junoni idem auctor* (hoc est Varro) *assignat, quæ in Diis selectis etiam Privigna sua eidem cruori præsidet*, ibidemque Coquæus de Dea Mena: *Hæc Luna est, quæ Græcis Μηνη dicitur, & Σελήνη, quam etiam Persas Divini Numinis loco habuisse constat ex Herodoto libr. II., & Strabone libr. XV.*; Præfuisse autem Lunam *Deæ Menæ* nomine fœminarum Menstruis fluoribus ideo nonnulli sunt rati, vere nec ne an falso, dixerint Eruditi, quod Luna in humorea imperium habet, & menstrua perfluvia temperat, quæ ad ejus rationem vel moventur, vel quiescunt.

(*c*) *Cuninam Deam*, ut habet Panorm. Romani coluerunt, quæ fascinum a puerorum Cunis arceret; Sic dicta Cunina a Lactant. libr. I. cap. XX. *Quæ infantes in Cunis tuetur, ac fascinum submovet*, & in Veteri Inscriptione apud Gruterum legitur:

CUNINÆ. FELICI.
SACR.
CLAUDIA. HELPIS.
D. D.

(*d*) *Numeria*, de qua Panorm., & nota est ex August. libr. de Civit. Dei IV. XI. *Numeria, quæ numerare doceat*, itemque ex Lil. Gyrald. in Deor. Histor. Syntagm. I. *Numeria Dea, quæ numerare docere credebatur, vel ad numeros pertinere*; Illa præterea vocata est Numeria, quæ celeritatem partus adjuvaret, invocareturque a parturientibus: Ita Varr. de Liber. Educ. *Ut qui contra celeriter erant, Nati, fere Numerii prænomine erant, quod qui cito factorum quid se ostendere volebat. dicebat, numero id fore, quod etiam in Partu precabantur Numeriam, quam Deam solent indigitare etiam Pontifices*.

(*e*) Ut cæteros, sic *Jugatinum* ex Antiquis Deum adstruit Panorm., utique ad uniendos Marem, & Fœminam, excogitatum; hinc S. August. De Civit. Dei VI. IX. ait; *Cum mas & fœmina conjunguntur, adhibetur Deus Jugatinus*. Habuere prisci alium *Jugatinum*, quem ut Deum sunt venerati; eum videlicet ex Diis, qui Montium jugis præsideret.

(*f*) *Zona Virgini solvitur*, ac illud magnum est quidpiam; De eo non hic tantum brevissime Panorm., verum & plerique Auctores disertissime; Inter cæteros ad illud Caulli Epigr. II. v. XIII.

Quod *Zonam solvit* diu *ligatam*, erudite sic loquitur M. Anton. Muretus: *Quod Zonam solvit*: Festus: *Cingulo nova Nupta præcingebatur, quod vir in lecto solvebat, factum ex lana Ovis, ut sicut illa, in glomos sublata conjuncta, inter se sit, sic vir suus se-*

tur. Diva Potina *(a)* potionem miniſtrabat: hanc adhuc veneratur Antonius Bova, & Bovarii magni aliquot viri. Diva Edulica *(b)* eſcam præbebat: hæc & ſex millia prætereа Deorum Dearumve nomina, quæ rebus præfecerat ſtulta, & obcæcata gentilitas, non modo a cloacis deducta, quod tibi mirum & obſcœnum videbatur, ſed etiam a fœdioribus ut vidiſti & nominibus & rebus, e multis autem pauca hæc ad te ſcripſiſſe epiſtolarum lex ſua ſit: reliqua coram agemus. Alphonſo triumphatori, & domino meo benefico me iterum, atque iterum commendabis, cui etiam aliquando explicabis cauſam moræ & abſentiæ meæ. Tu Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI S. P. D.

EPISTOLA DECIMAQUINTA.

Jungit cum laude Aretini de Privilegio illius ſubſignando inſtantiam, revocatque ad Urbem Neapolitanam Alphonſum.

QUi tibi aurum & argentum offerunt, hi mihi rem ſupervacuam agere videntur, & velut arenam litori adjicere: contra qui tibi viros doctos præſertim comparant, hi demum Regum neceſſitatem agnoſcere, nam cum cætera tibi ut aliis conferas, a Cœlitibus data ſint, hoc unum a doctis ipſe accipis, ut immortalitati commenderis. Præclare admodum Agaſicles Rex Lacedæmoniorum rerum

---

cum cinctus vinctuſque eſſet. Hoc Herculeo nodo vinctum vir ſolvit, hominis gratia, ut ſic ille felix ſit in ſuſcipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui LXX. reliquit, & paulio infra: *Cinxiæ item Junonis nomen Sanctum habebatur in Nuptiis, quod initio conjugii, ſolutio erat Cinguli, quo nova Nupta erat cincta*. Hæc Feſtus. Catullus alibi:

...... Tibi Virgines
Zonula ſolvunt ſinus.

Idem:

Ne quærendum aliunde feret nervoſius illud,
Quod Zonam ſolvere Virgineam.

Hæc, aliaque nonnuiia Muretus.

(a) Longe ante Panorm. induxere *Potinam* antiqui; ſimulque *Eduſam*, & *Potinam* conjunxit Non: Marcel. his verbis: *Eduſam, & Potinam Deas Præſides vult haberi Puerorum Varro, Cato vel de liberis Educ. Quum primo cibo & potione initiarent pueros ſacrificabantur ab Edulibus Eduſæ, a potione Potinæ nutricis*; & Donat. Phorm. I. I. XV. *Legitur apud Varronem*, inquit, *initiari pueros Eduliæ, & Poticæ, & Cubæ, Divis edendi, & potandi, & cubandi, ubi primum a lacte, & a cunis transierunt*.

(b) Nomine paulifper immutato quam Panorm. vocavit *Edulicam*, *Victuam* dixit Arnobius, inanem antiquorum Religionem ſic irridens lib. III. contra Gent. *Victuam, & Potuam Sanctiſſimas Victui, potuique procurant. O egregia Numinum, & ſingularis interpretatio poteſtatum, niſi poſtes viroram adipuli unguine oblinerentur a Sponſis, niſi virginalia vincula omnia ferventes diſſolverent, atque imminentes mariti niſi potarent, & manderent, homines Dei nomina non haberent*, hactenus Arnobius.

rum ſcriptores cum Patres appellabat, tum ut Patres venerabatur, quod intelligebat res ſuas ab hujuſmodi viris optime celebrari poſſe, quorſum hæc? ut deditum tibi nuper Franciſcum Aretinum & morum ſanctimonia, & doctrina ſingularem virum conſueta in doctos liberalitate complectaris: gratiſſimo hominum conferes beneficium, & qui quicquid contingit, aurum efficiat, cum eo habitant Muſæ, quæ mortalium beneficia perire non ſinunt. Mitto ſublimitati tuæ privilegium, (a) quod pro tua benignitate ei proxime conceſſiſti, ut & legas, & de more ſubſignes. Vale & cum Dianæ te ſatietas cœperit, ad muſas Neapolitanas redi, quod ut facias Venus Regina te etiam atque etiam rogat.

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI S. P. D.

EPISTOLA DECIMASEXTA.

Sui, rerumque ſuarum commendatione perſolvitur.

Accepi litteras tuas, quæ licet inter arma ſcriptæ ſint, plenæ ſunt tamen & eruditionis & elegantiæ, gaudeo itaque te operam non perdidiſſe, quam muſis, & ingenuis artibus dividas, ſed quod per lit-

(a) Privilegii naturam ac proprietates exprimunt paſſim Juris-Conſulti, unus præ aliis audiatur Heineccius Pandect. Libr. I. tit. IV. § CVIII. ita loquutus:

= Vult vero princeps, ut conſti-
= tutiones ſuæ vel ad omnes perti-
= neant; quæ GENERALES adpel-
= lantur: vel uni alterive aliquid in-
= dulgeant imponantve, quæ SPE-
= CIALES vel PRIVILEGIA di-
= cuntur. §. 6. *Inſt. eod. Generales*,
= ſi ad aliorum preces prodeunt,
= RESCRIPTA: ſi cauſſa inter par-
= tes cognita, DECRETA; ſi deni-
= que motu principis proprio, EDI-
= CTA & MANDATA nuncupan-
= tur. *d.* §. 6. *Inſt. & L.* 1. §. 1. *ff b.t.*

Expeditque deinde rem latius ibidem a §. CXV. ad CXX.; medii vero Ævi ſignificatione perſpecta eſſentiam Privilegiorum exponit DuFreſn. in Gloſſar., Principum nempe, Magnatumque affirmans eſſe Diplomata pro Eccleſiis præſertim, quorum formula ſic Papiæ verbis deſcribitur: *Privilegia Summorum Epiſcoporum* (in MS. *Sacerdotum*) *ſunt cujuslibet Eccleſiæ conceſſiones Pontificum, quorum materia hæc eſt, ut dicat Pontifex erogatum cujuslibet digna Perſonæ, vel alia qualicumque ratione Eccleſiæ illi. illa, ſeu illa Pontificali concedere, ſeu roborare dignitate. Anathema ponatur in calce Epiſtolæ. Habent autem, & Privilegia Prologos, ſicuti & cæteræ Epiſtolæ, & Monogrammata hujuſcemodi in fine* BTE *quod eſt* Benevalete. *Signum autem in Privilegii exordio vel Criſmon, vel Crux Dominica, cum Criſmon erit. Criſmon autem ejuſmodi* qua effigiari ſpecie deceat ex aliorum primo, deinde ex ſua ſententia profert idem Papias: poſt illud mox ſubdit: *Conſueverunt præterea in extrema margine Privilegii quoſdam inſignire Orbiculos, Antiſtitis nomen, & paucula quælibet verba continenter in hunc modum &c.* Explicatum hac ratione Privilegium ab Eccleſiis ad Principes ut vocant, Sæculares quoque manavit, illudque hic Panorm. innuere mens fuit.

litteras polliceris te cito alas emissurum, queis vel lapides ipsi queant volare, oro ne diutius differas: res quidem magnæ & memorabiles celeritate perfici consuevere, unum interim vereor ne multi qui hujusmodi alas, quasi famelici canes, a te expectant, mihi per absentiam noceant hoc est ne cum aureæ illæ alæ adfulserint, absenti mihi a præsentibus præripiantur: quod tu ne eveniat pro tua singulari prudentia providebis. Vale & triumpha XXIII. Septem. Neapoli.

ANTONIUS PANORMITA:

ALPHONSO REGI S. P. D.

EPISTOLA DECIMASEPTIMA.

Coram penes illum negotium suum vel citissime agendi est cupidissimus.

NUllas adhuc alias accipio, quanquam a Quæstore mihi in dies promittuntur, nec tamen exhibentur, & sunt illæ quidem valde tenues & exiles, quæque ad tam longum iter dimetiendum mille, scilicet millia passuum, atque eo amplius, nec satis idoneæ neque sufficientes: spero tamen fore, ut cum apud tuam sacrosanctam majestatem adfuero, pro tua singulari beneficentia ampliores mihi alas adfigas, quæ ne plumis careant rationem ostendam, qua honeste poteris pennas illis subministrare. Vale, & triumpha. Ego cum primum alas habuero, ad te primum, deinde quo jusseris, evolabo.

ANTONIUS PANORMITA:

GRILLIO. S. P. D.

EPISTOLA DECIMAOCTAVA.

Eum ad amorem festive provocat.

NOvum tibi bellum indicitur optime adolescens, non quidem eloquentiæ, quod tu fortasse cupis, sed benevolentiæ & amicitiæ puræ, amo te sane singulariter, tuosque suavissimos mores: ingenium ac vitæ sobrietatem exosculor, persuasus cum a pluribus, qui quotidie te laudibus celebrant, tum vel maxime a gravissimo, ac doctissimo homine Jacobo Curulo, cui tantum tribuo, ut quem ille laudet, & ego laude dignum existimem: ejus enim laus ex judicio proficiscitur, neque amat nisi quos antea judicavit, igitur has epistolas mitto quasi Feciales (*a*) quoddam tibi bellum utique benevolentiæ indicturas: in quo

(*a*) Ex antiquitatis fide Panorm. *Nost. Fetiales* refert, Viros nempe apud Romanos legatione ea de caussa perfunctos, ut pacem, bellumque firma-

quidem bello is se victum fateatur oportebit, qui alteri demum in amore & officio concesserit, ingenue pro mea consuetudine loquar, perdurum tibi certamen erit cum milite veterano, quem vincere neutiquam poteris nisi Vulcania arma Dei cujuspiam beneficio capessas: etenim te considerate diligere cœpit, pergetque ut suevit perseveranter, nulla alia ratione cessurus, nisi prius de te triumphum egerit, plurima adjicerem nisi te verbis potius terrefacere, quam revincere viderer. Vale decus adolescentiæ.

ANTONIUS PANORMITA.

ERGOTELI SUO S. P. D.

EPISTOLA DECIMANONA.

Sin præsentia, saltem absentis amore oblectatur, de sua familia plura dicturo litterarum adlatore conticescit.

PUtavi vel fortuna tui Ducis, vel desiderio meo fore, ut ad nos quandoque te conferres: verum adhuc neque fortuna illius, neque desiderium illucescit meum: quodque hactenus voluntate & prudentia factum non est, vereor ne id fiat necessitate, ego utrumque dummodo venias in bonam partem accepturus sum: intelligamque te, quod

rent; *Fetiales*, propterea ex Varr. de Ling. Lat. IV.cap. XV.; *Fidei publicæ inter populos præerant; Per hos enim fiebat, ut justum conciperetur bellum, & ut fædere fides constitueretur. Ex his mittebant antequam conciperetur, qui res repeterent, & per hos etiam nunc fit fœdus.* Id unum de ipsorum origine liquet, vetustissimam habendam esse, ac de illa loquitur Dionysius libr. II., quo praterea auctore munera *Fetialium* itidem sic exponuntur: *Septima legum sacrarum pars dicata erat Collegio Fetialium*, illorumque Ordinem, institutionemque subinde aperit: *hi sunt selecti e præstantissimis Familiis, funguntur que per omnem vitam eo Sacerdotio, primo Numa hujus sacri Magistratus auctore*; & paullo infra: *Longum autem esset recensere omnia Fetialium Officia, sed in summa sunt hæc: Dare operam ne Romani ulli fœderatæ Civitati injustum bellum inferant, quod siqua prior contra fœderis conditiones aliquid commiserit, Legatos agere, & verbis primo suum jus repetere, quod si dedignetur facere postulata, tum vero bellum indicere; Iisdem siqui illatam sibi contra fœdus querantur injuriam, caussam eorum cognoscere, & comperto crimine sontes comprehensos læsis dedere; judicare item de Legatorum injuriis, & dare operam ut serventur conditiones fœderum, pacem etiam conficere, aut si parum legitime facta videatur irritam reddere, præterea siquid Imperatores contra jusjurandum peccaverint, cognoscere, atque expiare.* De *Fetialibus* eadem ferme Plutarchus in Numa, Livius, Cicero, aliique permulti; Mentio vero præcipua *Fetialium* in antiquo marmore, cujus fragmentum in Aldi Manutii Orthographia:

P. CORNELIO. LENTULO.
SCIPIONI.
COS.PRÆF.ÆRARI LEGATO.
TI. CÆSARIS. AUG. LEG.
LEG. VIII. HISPANICI.
FETIALI.
D. D.

quod ajunt, passus non perdidisse. Interim te vehementer amo, etiam absens absentem, quanquam vera amicitia absens esse non potest. De me, deque familia omni mea intelliges ab hoc suavissimo litterarum adlatore: vicini sumus, & quod majus est, haud vulgari familiaritate devincti. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

PLATAMONIO S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMA.

Muneris in administratione qualis esse debeat, admonet, brevi ad Regem se est collaturus.

HErculem (*a*) ferunt cœlum humeris sustinere, quam ego Poetarum fictionem, pace multorum, ita interpretari solitus sum, Herculem fuisse virum aliquem prudentia atque eloquentia excellentem, cujus consilio & opera uteretur Rex suus: statumque & ditionem illius sapientiæ permitteret gubernandam, hoc est illius humeris acquiesceret. Hercules tu igitur, ut perhibent, qui quotidie ad nos abs te ve-

(*a*) Cœlum qui humeris sustinere veterum opinione sit creditus Atlas Mauritaniæ Rex fuit Japeti Filius; id vero traditum est accidisse, quod Perseo Jovis ex Danae Filio hospitium negasset, a Themide monitus, ne quem ex Jovis progenie natum hospitio exciperet, si hortum vellet, in quo poma erant aurea, custodiri; Perseum itaque totis quem viribus cursu defatigatum propellebat, Gorgonis caput detegentem ferre non valens, subito horrore perculsus in montem conversus est ingentem adeo, sublimemque, ut fulcimento a priscis ipsi Cœlo sit datus; Rei testis est præ aliis Ovidius Metamorphos. IV. v. DCXX.

Inde per immensum ventis discordibus actus
Nunc huc, nunc illuc, exemplo nubis aquosæ,
Fertur, & ex alto seductas æthere longe
Despectat terras, totumque supervolat orbem.
Ter gelidas Arctos, ter Cancri brachia vidit:
Sæpe sub occasus, sæpe est ablatus in ortus.
Jamque cadente die veritus se credere nocti
Constitit Hesperio, Regnis Atlantis, in orbe;
Exiguamque petit requiem, dum Lucifer ignes
Evocet Auroræ; currus Aurora diurnos.
Hic hominum cunctos ingenti corpore præstans
Japetionides Atlas fuit, ultima tellus
Rege sub hoc, & pontus erat, qui Solis anhelis
Æquora subdit equis, & fessos excipit axes.
Mille greges illi, totidemque armenta per herbas
Errabant: & humum vicinia nulla premebant.
Arboreæ frondes, auro radiante virentes,
Ex auro ramos, ex auro poma tegebant.
Hospes, ait Perseus illi, seu gloria tangit
Te generis magni; generis mihi Juppiter auctor:
Sive es mirator rerum; mirabere nostras.

veniunt, effectus es, cœlum tangis, & Herculea clava (a) omnia moderaris, qua de re incredibiliter gaudeo, sed & te hortor ut fortunam serves, quæris quomodo? iisdem artibus quibus illam adsecutus es, humanitate, mansuetudine, diligentia, & gratitudine sis gratus Principi, qui te erexit ad cœlum: sis diligens negotiis, quibus ille te proposuit, sis mansuetus ad omnia, benignus in omnes, denique, quod facis, fac laudem & Regis gratiam præponas omnibus rebus, ego adhuc impensa illa nuptiali oppressus jaceo, quam primum extricabor, ad Regem perpetuo de nobis benemerentem advolabo. Vale.



AN-

Hospitium requiemque peto, memor ille vetustæ
Sortis erat: (Themis hanc dederat Parnasia sortem)
Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro
Arbor, & hunc prædæ titulum Jove natus habebit.
Id metuens, solidis pomaria clauserat Atlas
Mœnibus, & vasto dederat servanda draconi:
Arcebatque suis externos finibus omnes.
Huic quoque, Vade procul, ne longe gloria rerum
Quas mentiris, ait, longe tibi Juppiter absit.
Vimque minis addit: foribusque expellere tentat
Cunctantem, & placidis miscentem fortia dictis.
Viribus inferior, (quis enim par esset Atlanti
Viribus?) At quoniam parvi tibi gratia nostra est;
Accipe munus, ait, lævaque a parte Medusæ
Ipse retroversus squallentia prodidit ora.
Quantus erat, mons factus Atlas, jam barba comæque
In silvas abeunt: juga sunt humerique manusque.
Quod caput ante fuit, summo est in monte cacumen.
Ossa lapis fiunt, tum partes auctus in omnes
Crevit in immensum, (sic Di statuistis) & omne
Cum tot sideribus Cœlum requievit in illo.

Sensusque communiter est Fabulæ Cœli molem humeris Atlantis innixam, quod præsertim omnium ille primus Solis, Lunæ, siderumque omnium cursu deprehenso, invenerit Astrologiam, Sphæramque construxerit: Planum inde fit, perspectumque, quid sit de Auct. Nostr. judicandum, cum *Herculem Cœlum humeris sustinere* non dubius affirmat.

(a) *Omnia Herculeam Clavam* recte moderari, non otiose asserit Panorm. pro lege quidem olim habitam ab iis, qui Herculem Philosophum credidere, docet expresse Histor. Deor. Syntagm. X. Lil. Gyrald. his verbis: *Alii Philosophum Herculem putavere, & idcirco illi Clavam assignant, per quam Philosophia significatur, & Leonis pellem, per quam prudent a..., quibus rebus Hercules animi monstra edomuit, & cogitationes vanas, quibus de certaminibus scripsisse Cleanthem, ait Phurnutus, nec ideo ubique Senem delirum, ac nugacem fuisse.*

ANTONIUS PANORMITA

ERGOTELI SUO. S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAPRIMA.

Ejus, quem gratum novit Philippo Duci, litterarum aviditate inflammatur; de se nonnulla, Amicorumque salutationem adjungit.

AUdio non quidem a te tua diligentia, sed ab aliis studio meo te valere gratumque esse Philippo Duci Domino nostro, postremum hoc maxime gaudeo, argumentum enim virtutis est, & quidem maximum placere summo, ac sapientissimo Principi, sed cum placere dicimus, interpreteris perplacere, hoc est ad finem usque placere: nam placere, ne erres, fortunæ est, perplacere probitatis: atque eo pacto non decides, si quibus artibus gratiam iniisti, iisdem eam serves fide, simplicitate, amore, diligentia, & liberalitate, has animi virtutes in te exosculatur optimus & ipse Princeps, a quibus si defeceris eades a gratia: sin custodieris, placebis ac perplacebis, verum hac de re scripsimus tibi alias prolixe satis, tu tamen nihil respondes, fortasse ægre fers monitus meos, aut quod malim credere, occupatus perarduis negotiis, perarduis hercle negotiis, si illorum gratia me postponis, quem unice unum ex omnibus amare consuescis. Ego quidem, si de me vel audire tuæ te curæ non impediunt, valeo: Alphonso sapientissimo Regi admodum carus, sunt & mihi negotia, nec tamen impediunt, quominus te amem, ad te scribam, de te loquar, de te audiam summa etiam cum animi voluptate, hæc homini muto satis superque sunt. Vale tu, beneque valeat Marinus frater, & Cupido: Barbavarios, Feruffinos, Piccininos a me plurimum saluta. Cajetæ.

ANTONIUS PANORMITA

UGOLINO PARMENSI S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMASECUNDA.

Exilit gaudio ex ipsius adventu, & quibusdam narratis totum se illi despondet.

MIrifice gaudeo te Capuam advenisse, eo animo, ut audio, ut Alphonso Regi nostro inservias. Principem quidem nactus es tua virtute, tuoque ingenio dignum, litteratos colit, fovetque: & quod tu magni facies, a vulgi judicio incredibiliter abhorret: a se sapit, a se pendet, a se bonus & beneficus est: sed de eo plura coram agemus. Tu quid veneris, & quorsum, nimis velim, quoad licet, a

te metipso intelligere, ita me Deus amet, cum hodie tuum adventum accepi, mihi visus sum somniare: neque credidero, nisi tuis litteris certior fiam. Ugoline mel gentium venisti.

Jam veniam subito, nec quis praenuntiet ante.
Sed videar Caelo missus adesse tibi.

Ego in praesentia Cajetae ago, brevi fortassis bona cum Regis venia Panormium petiturus, statimque rediturus. Interea loci siquid a me quod possim, vis, jube, ut nosti, tuus sum: tarde quidem, sed perseveranter amo. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI. S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMATERTIA.

Facium, ejusdemque lucubrationes commendatione apud Alphonsum notat.

FAcius, qui tuas res gestas monumentis tradit, ad te it, deferens secum, quos videas, sudores & lucubrationes suas: ad triumphum usque Neapolitanum opus absolutum est, mea quidem sententia elegans, purum, suave, & pervenustum, genus eloquentiae Caesaris secutus est: quo nihil candidius, nihil sincerius legimus in lingua latina. Vaticinor opus diutissime permansurum, & cum summa tui laude per ora mortalium, atque immortalium volitaturum. Erunt itaque partes tuae virum hunc, ut suevisti litteratos, & sapientes, perbumaniter excipere, & de te tam benemeritum honestare, & immortali ac pari aliquo beneficio prosequi: quod, si te novi, facies certo scio: gratissimus quidem Principum omnium & es, & haberis. Vale, & triumpha.

ANTONIUS PANORMITA.

BAPTISTÆ PLATAMONIO. V. C. S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMAQUARTA.

Facio, ejusque libris Patrocinium quaerit.

FAcius noster Vir diligentissimus absolvit jam rerum gestarum Alphonsi libros octo, meo quidem judicio Rege, ac Regis immortalitate praedignos: leges tu quidem illos, & si te, tuumque judicium novi, nihil adhuc jucundius, nihil tersius, nihil splendidius te legisse profiteberis. Defert ad Alphonsum opus evigilatissimum, sperans a gratissimo Rege laboris laudem, & immortale aliquod praemium vicissim consequi, nam si ei, qui equum sibi aut canem aliquando dono dat, gratias agit, quid faciat huic, qui tribuit immortalitatem? opera & suf-

& suffragstione tua siqua Facius indigebit, memineris hunc esse alterum Panormitam, tui observantissimum, hominem omnium quos terra nutriat gratissimum. Vale.

FRANCISCUS BARBARUS ELOQUENTISSIMO

F A C I O. S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMA QUINTA.

Scriptori Vitæ Alphonsi Regis congratulatur, ipsiusque docet conscribendæ rationem.

CLarissimus Vir Antonius Panormita legatus Alphonsi Regis ad inclytum Senatum nostrum, cum de studiis humanitatis & doctrinæ pro nostra consuetudine loqueremur, significavit mihi curam tibi publice datam esse scribendi vitam illius Regis, qui per se tam illustris est domi & foris, pace belloque: ut tibi merito congratulandum sit extra ordinem eam tibi causam oblatam esse, in qua nemini deesse oratio possit, nam cum ingenio excellas, & ut audio, facultate & copia ad veterum scriptorum laudem proxime accedas: gratulor tibi, vereque gratulor te designatum esse ad ornandum excellentissimum Regem, qui suis institutis & artibus & gloria rerum gestarum non se ipsum solum, sed etiam scriptores rerum suarum illustrare possit ad memoriam posteritatis. Quam amplum & honorificum fuerit artificibus illis Alexandri Macedonis decretum satis constat (*a*) cum ab Apelle se potissimum pingi, a Lysippo fingi, a Pyrgotele ex ære duci jussit: tum quia illorum artem etiam sibi gloriæ fore declaravit, tum quia neminem ejus imaginem pro dignitate exprimere posse censuit, nisi qui tantum in illo genere profecisset, ut alios omnes sine ulla dubitatione superaret. Quare tibi non minus gloriari licet, qui tanti Principis judicio & testimonio non corporis simulachrum, ut illi, sed effigiem animi, & consilii sui, ac virtutis dignus habitus es, ut ita dicam, consecrare memoriæ sempiternæ. Aristoteles Philosophus, ut nosti, Protogeni suasit ut Alexandrum Magnum pingeret, (*b*) si commemorationem sui nominis cum omni posteritate adæquandam esse judicaret.

(*a*) Quod hic narratur Plinium habet Auctorem, qui lib. VII. cap. XXXVII. id plane tradit his verbis: *Idem hic Imperator*, videlicet Alexander, *edixit, nequis ipsum alius, quam Apelles pingeret, quam Pyrgoteles sculperet, quam Lysippus ex ære duceret, quæ artes pluribus inclaruere exemplis.*

(*b*) Suasio Aristotelis hic recensetur ex Plinio, inter cætera de Protogene libr. XXXV. cap. X. ista perscribentis: *Fecit*, Protogenes nempe, *& Cydippen Tlepolemon, Philiscum Tragœdiarum Scriptorem meditantem, & Athletam, & Antigonum Regem, & imaginem Matris Aristotelis Philosophi, qui etiam suadebat, ut Alexandri Magni opera pingeret propter æternitatem rerum*, pictumque ab eodem Protogene Alexandrum ipse Plinius mox ita recitat: *Novissime pinxit*, sane Protogenes, *Alexandrum, ac Pana.*

ret. Quapropter eum ultra decora ac insignia regia fere omnia in Alphonso plena sint laudis & gloriæ, nullum prope honorificentius tibi scribendi argumentum proponi potuisset, in quo ornando, ac amplificando, sicut Phidias in Minerva, (*a*) nomen tuum apud Posteros commendares, cæterum quia Rex ipse quodammodo decus esse videtur seculi nostri, pro suis meritis, & pro studiis litterarum, quæ sunt apud eum in magno honore, & in magna auctoritate, quantum licet, & integrum est, laudi suæ favendum puto. Ideoque te hortor, ut non sicut Apelles Veneris caput summa arte perfecit, (*b*) reliquam autem corporis partem, sicut scriptum est, inchoatam reliquit, sed ita mores illius Principis, & actiones explices, sic casus adversos cum secundis rebus conjungas, ut temporum varietates, vicissitudinesque fortunæ non tam delectare, quam docere nos possint res humanas mille casibus subjectas esse; nec parum profecisse te putes si statua hæc litteraria, ut ita loquar, togata & militaris eleganter scriptis illustretur ac celebretur tuis: quæ ad lætitiam animi & ad memoriæ dignitatem tantum habet in se splendoris, ut fere nulla honoris insignia, nulla monimenta virtutis sibi conferri possint: illam enim nulla obscuratura est oblivio: hæc autem postrema interire possunt tempestate, vi, vetustate. Quæ cum ita sint, nihil prætermittendum est diligentiæ, ut dicendo immortalitatem quodammodo dare, & accipere posse videaris, ad quam rem recte & ordine perficiendam matnrandum, non festinandum est: quia, ut Octavii Cæsaris verbis utar. Non fit sero, quod fit bene: Zeusis quoque pictor ille nobilissimus dicere solebat, licet multo tempore pingeret, nunquam se tarde pingere putabat, quando summa arte faciebat opera, quæ semper duratura esse judicaret. Plura forte scripsi, quam debui, sed ea in bonam partem accipies; quia licet nulla inter nos familiaritas intercedat, hæc tamen gratulatio historiæ tuæ, testis erit sententiæ nostræ, & meæ erga te voluntatis. Vale, & ad illustrandum Alphonsum Regem non alios solum, sed te ipsum vince. Venetiis XV. calendas Septemb. M. CCCC. LI.

AN-

(*a*) *Phidiæ* hic *Minerva* proponitur ipsa ex Auctoritate Plinii, qui non semel quidem, verum iterato a Phidia confectam esse Minervam libr. XXXIV. cap. VIII. sic affirmat: *Phidias præter Jovem Olympium, quem nemo æmulatur fecit & ex ebore æqua Minervam Athenis, quæ est in Parthenone adstans. Ex ære vero præter Amazonem supra dictam, Minervam tam eximiæ pulcbritudinis, ut a forma cognomen acceperit. Fecit & Cliduchum, & aliam Minervam, quam Romæ Æmilius Paullus ad Ædem Fortunæ dedicavit.*

(*b*) De imagine Veneris sermonem esse comperimus, quæ nota est ex Plinii lib. XXXV. cap. XI. hæc habentis: *Illud vero perquam rarum, ac memoria dignum, etiam suprema opera Artificum, imperfectasque Tabulas, sicut Irin Aristidis, Tyndaridas Nicomachi, Medeam Timomachi, & quam diximus Venerem Apellis in majori admiratione esse quam perfecta*: Dixerat autem de Venere Apellis idem Plin. ibidem cap. X. *Venerem exeuntem a mari D. Augustus dicavit in Delubro Patris Cæsaris, quæ Anadyomene vocatur, versibus Græcis tali opere, dum laudatur victo, sed illustrato. Hujus inferiorem partem corruptam qui reficeret, non potuit reperiri. Verum ipsa injuria cessit in gloriam Artificis. Consenuit hæc Tabula carie, aliamque pro ea Nero Principatu substituit suo Dorothei manu.*

BARTHOLOMEUS FACIUS

FRANCISCO BARBARO.
Viro Præclarissimo S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMASEXTA.

Apud illum inita gratia per Panormitam, hilarescit; cætera sunt de historica sua lucubratione.

MUlta sunt Antonii Panormitæ in me officia, mihi quidem gratissima, & acceptissima: sed nullum profecto jucundius, quam quod is Venetiis rediens tuam mihi amicitiam reportavit, quæ mihi quidem erat optatissima, nam cum singularem eruditionem, atque eloquentiam cum summa probitate conjunctam, tum ex multorum sermonibus, tum ex scriptis tuis illustribus, quæ cum tua summa gloria non modo per Italiam, verum etiam per omnem terrarum orbem circumferuntur, & lectitantur, in te inesse jam diu accepissem, vehementer profecto cupiebam aliquam mihi opportunitatem dari conciliandæ mihi benevolentiæ, & amicitiæ tuæ: nosti enim in rebus humanis nullam rem æque atque virtutem amabilem esse, nullam quæ magis hominum mentes ad diligendum moveat, atque impellat. Sed sane quamvis nulla esset inter nos amicitia, te tamen diligebam, tuoque nomini & gloriæ in omni sermone meo favebam, Italiæ nostræ congratulans, quæ tales viros tam disertos, tam eruditos hac nostra tempestate Dei benignitate peperisset, dices fortasse, cur non me prior in amicitiam per litteras tuas provocabas? certe id sæpe aggredi volui, sed tenuit me pudor quidam meus pene subrusticus; veritus sum ego adolescentior hominem senem summa gravitate, auctoritate & gloria præditum provocare, itaque & Panormitæ gratias habeo, qui amicitiæ nostræ fundamenta jecit, & tibi qui quasi præcurrens me officio antevenisti: tibique illud de me polliceor, quod unum & polliceri & præstare possum, ut nullo unquam tempore tuo honori, dignitati, & gloriæ defuturus sim, cæterum vereor ne multo plus de me tibi persuadeas ex Antonii sermone, qui in amicorum laudes solet esse profusior, quam præstare ipse valeam: quod si contigerit non mihi vitio sed ejus in me amori assignabis: is enim ut multum me amat nescio qua de me opinione, quod putet se aliquid in me videre, quod ipse non agnosco, nec video, ita in omni ejus sermone me multum extollit ac prædicat. Quod mihi ob id gratularis, quia mihi datum sit negotium scribendi res ab Alphonso Rege gestas, quoniam illum exornans me ipse exornem, ejusque nomen immortalitati commendans, nomen meum immortale redditurus sim, facis amice, fateor quidem id, quod ipse scribis, Apelli, Lysippo, Pyrgoteli, atque Protogeni summis artificibus permagno honori fuisse, quod Alexandrum illum Magnum eorum operibus posteritati notum fecerint: nec mihi proponi potuisse

materiam, in qua mihi minus deesse posset oratio. Nec præterea sum nescius Q. Curtium non minus fere nobilitatum esse, quod Alexandri res gestas litteris mandavit, quam ipsum Alexandrum, qui illius scriptis commendatus ac celebratus est. Nec minus Livium Po.Ro. rerum scriptione gestarum, quam Po. Ro. ejus viri laudibus ac præconiis, summaque eloquentia illustratum esse. Cæterum ii tantum in sua quisque arte, & facultate præstiterunt, ut nihil iis de alieno judicio timendum videatur: tantam enim erant in eo genere auctoritatem consecuti propter alia multa, quæ prius ediderant, ut eorum opera in medium proferre dubitare non possent, sed cum rei mihi injectæ pondus, cum historiæ dignitatem, majestatemque animadverto, fit ut multorum virorum, quos eruditissimos hæc ætas tulit, judicia pertimescam: neque enim opus meum hujusmodi esse agnosco, ut quasi Minerva illa Phidiæ in arce, ut inquit Cicero, poni possit: quoque magis rerum gestarum magnitudinem animadverto hujus inclyti Regis, hoc magis magisque ne tanto muneri non satisfaciam metuo, quanquam gravissimum Antonii judicium aliquam partem hujus timiditatis meæ mihi adimit, qui me hortatus est, ut ipsum in lucem proferam: quod scio pro ejus in me amore haud mihi suasisset, si mihi dedecori fore ejus editionem existimasset: ego tamen, quod hactenus feci, conari posthac non desinam, quantum ingenii vires suppeditabunt, Regem hunc de me optime meritum æternitati consecrare, in quo si fortasse defecero, non sibi voluntatem meam, sed ingenii vim potius defuisse testabor. Quod siquis est, qui se hæc elegantius litteris mandare posse confidat, hanc mihi saltem habere debebit gratiam, quod sibi iter, ut ajunt, per quod ei eundum sit, patefecero. Sed quoniam videris putare Regis vitam a me scribi, meque ob id hortaris ne tantum vitam, & mores ejus, sed multo magis facta conscribam: ne faciam sicut Apelles ille, qui Veneris caput, reliqua corporis parte prætermissa, summa arte pinxit: scito me non vitam ejus, sed res a se gestas scribere proposuisse: ubi tamen incidunt aliqua de ejus laudibus, eos locos exornare, ac amplificare studeo: vita vero & laudatio, quæ duo genera a rerum gestarum narratione separata scis, vel alterius hominis fuerint, vel certe alterius temporis. Quod autem in postrema epistolæ tuæ parte benevolo & paterno animo me hortaris ne festinem ad operis editionem, sapienter mones: sed ita tempora tulere, ut mihi integrum non fuerit, quod mihi ipse proposueram, sciebam quidem festinationem improvidam esse & cæcam, ut inquit apud Livium Fabius, & Horatium præcepisse, ut opus nonum in annum prematur: (a) non po-

(a) Locus hic indicatur ab Horat. expressus in Art. Poet. v. CCCLXXXVI.

.... Siquid tamen olim
Scripseris, in Metii descendat Judicis aures,
Et Patris, & nostras, *nonumque prematur in annum*.

quos expendit versus præ aliis Jas. de Nores illustri hac animadversione.
" Perfectum esse novenarium nu-
" merum veteres existimaverunt:
" cum ab impari primo quadratus,
" & impariter impar in tres triadas
" distribuatur, quarum item quæli-
" bet in tres dividatur unitates, at-
" que ideo a veteribus pro multitu-

potui mihi obtemperare, itaque libros septem jam edidi, quibus continentur quæ Rex gessit a primo ejus in Italiam adventu, usque ad eum diem, quo triumphum egit. Nunc bellum Picenum in manu est, post Florentinum aggrediar: quæ vellem posses videre, quoniam ipsius Regis laudum cupidissimus per litteras tuas mihi es visus: quas aliquando Regi ostendam, ut intelligat quantum is tibi debeat, quantumque ab eo amandus sis, a quo tantis laudibus afficiatur. Vale, meque tuum habe, atque ab Antonio nostro tui amantissimo salve. Ex Neapoli XXVI. Septemb. M. CCCC. LI.

ANTONIUS PANORMITA.

AURISPÆ V. C. S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMASEPTIMA.

Ejus litterarum, librorumq; est valde cupidus; de se, suoq; de statu sermonem instituit eum fortasse invisurus.

AUdio te Romam tandem pervenisse, verum id quidem non abs te, sed amicorum quorundam diligentia intelligo, quibus gratissimus mihi esse existimatur adventus tuus, recte quidem illi & sentiunt, & mihi de te gratificantur, quippe qui norint singularem erga te amorem & desiderium meum. Dii igitur illis, & officiosis omnibus benefaciant: verum tu usque adeo negotiis districtus es, vel beneficiis intentus, ut amici veteris oblitus sis: præsertim ita propior factus, ut si te loqui non tædeat, vox a me propemodum exaudiri possit. Erit igitur officii tui purgare te quam ocissime, non utique excusando, aut causando aliquid, ut plerunque fit, sed litteris prolixioribus, quibus intelligam tui hujus adventus in Romanam curiam consilium, remanendi, redeundive propositum, & an nos fortassis petiturus, an patriam aliquando repetiturus sis, an, quod abominor, Siciliam nostram prorsus ex animo deleveris, deniq; rationem omnem vitæ tuæ perscribere: & maxime quo animo senectutem feras: quæ jam, si bene supputo, septuagesimum, aut eo amplius annum amplexa est. Egovero, ut de me non ab aliis, sed a me ipso aliquid sentias, cum Laura uxore singularis exempli Fœmina jucundissime dego, de qua filiolam jam suscepi, peramabilem, pulcherrimamque nomine Catherinam Panthiam, & de-

= dine qualibet positus est: ut apud = Homerum Eustathius annotavit = in novem præconibus, & in novem = bellatoribus Hectori objectis, at= que ideo hoc in loco Horatius ve= terum de novenario numero ra= tionem secutus posuit eum pro = quolibet numero, sunt qui deci= mum legunt, & interpretantur, = quod maxime probatur, quia sci= licet, perfectissimum omnium nu= merorum, & plenum existimat = denarium numerum Aristoteles, = quem & frequentissime usurpat = Horatius pro quolibet numero.

& dego quidem hic bona cum Regis venia, utorque illa vacatione, quæ novis sponsis (a), ut nosti, etiam lege veteris testamenti conceditur. Scriberem tibi verbosius aliquid de uxoria voluptate, ni surdo fabulam narraturus essem, & ab hujusmodi beatitate penitus abhorrenti. Si diutius Romæ commoraturus es, te fortassis invisam in via Regem aditurus. Et de libris, siqui recenter emerserint, etiam rescribas. Vale. Neapoli.

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI S. P. D.

EISPTOLA VIGESIMAOCTAVA.

Hilaris est de Villa dono sibi data, tristisque ex causa per Johannem Ixaritanum Regi enarranda.

EX multis, atque immortalibus tuis erga me beneficiis, Alphonse Rex, nullum mihi jucundius, ac naturæ tuæ convenientius elargitus es, quam quod proxime in me contulisti, villam videlicet, cui nomen est Sisiæ: est ea quidem, supra quam credi potest, amœna & delectabilis, ac musarum quasi proprium domicilium, ibi statuo cogitationes meas, siquæ modo cogitationes meæ sunt, litteris, monumentisque mandare, tuumque nomen pro virili mea immortalitati consecrare: atque eo modo tibi non solum habere gratias tot quotidie beneficiorum, sed aliquando etiam referre, sic divus Augustus Poetarum studiosus Virgilio suo commodissimum Poetæ donum, villam

(a) Servandæ vacationis usum, & modum novi Sponsi docentur imprimis Librorum Divinorum Auctoritate Tob. vi. VV. xvi., & xvii. *Tunc Angelus Raphael dixit ei*, Tobiæ sane Juniori: *Audi me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus prævalere potest Dæmonium: Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut Equus & Mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmonium super eos*, locum dilucide sic exponente August. Calmet. = Græcus, & Hebraici duo nihil habent simile hoc in loco: Græcus tantum Tobiæ ait, ne illi Dæmon negotium facessat, neque vereatur accipere Saram conjugem suam, quæ ipsi hac eadem nocte nuptui tradetur: *Tantum possunt Dæmones*, ait August. Libr. 2. de Civit. Dei, *quantum secreto Dei arbitrio permittuntur*: Si illi esset integrum, quomodocumque vellet, iram suam evomere, quisnam illi posset obsistere? At plerumque Summus Judex eos Infernali huic deserit Potestati, qui semet illi per summum nefas, per flagitia, nequitiasque tradidere: *Quod enim facere inique appetit, hoc Deus fieri nonnisi juste permittit*, inquit D. Gregor. M. Libr. 2. Moral. = Ne itaque Caco-Dæmonibus sit in novos Sponsos ulla potestas, ab impudenti libidine *vacatio* præscribitur: aliud vero diversum *vacationi* genus addictum ex Panorm. Nostr. hic, siqui fortasse solertius inquirant, consulant Sacrarum Scripturarum Interpretes, plura hac in re, si inveniantur, uberius exponentes.

lam dedit prope Baias in amoenissimo orbis terrarum loco *(a)*, sic Horatio Flacco villam Samnam habitatam quinque focis *(b)* : sic & Messala suo Tibullo nil acceptius quam villam dedit *(c)* & recte sane: nam, ut ait Flaccus,

Silva placet musis, urbs est inimica Poetis.

Ego quoque Rex maxime tuo hoc munere vehementer gaudeo : jamque & Sisiam cogito, Sisiam somnio, Sisia, musisque vanis imaginibus fruor : itaque delector, licet absens, ut vel hac imaginaria voluptate mihi perbeatus esse videar, sed tantæ huic lætitiæ scrupulus nuper injectus est, fitque, quod ait Plato, ut voluptatis comes sit dolor : scrupuli vero & doloris causam commisimus tuæ Majestati referendam Joanni Ixaritano viro magno : quem cum audieris, si quidem honesta narrabit, te oro, atque obsecro etiam ut exaudias, nec permittas divitum opes ac factiones plus valere, quam Poetarum simplicitatem,

---

(*a*) Ex Veterum sententia, ut Panorm. Nost. existimat, Campaniæ secessum jucundissimum profecto, nec non amœnissimum, tametsi Virgilius amaverit, diutiusque incoluerit, non per omne tamen vitæ suæ tempus illic delituisse putandus, qui & alibi non raro est diversatus, quin ad Siculos etiam mediocri non sine voluptate trajecit; rusticæ cæteroquin vitæ studiosissimus semper, animo exhilarando, instaurandisque hac ratione, confirmandisque viribus maximo intentus opere.

(*b*) Horatiana Villa, a Panorm. commemorata, ea dubio procul censenda, quam describit Horatius ipse Epist. Libr. 1. Epist. XIV. sub initium:

Villice Silvarum & mihi me reddentis agelli,
Quem tu fastidis habitatum quinque focis, &
Quinque bonos solitum *Barjam* dimittere Patres;

quod & alii diverse legunt.

Quinque bonos solitum *Varjam*, dimittere Patres,
Certemus, spinas animone ego fortius, an tu
Evellas agro, & melior sit Horatius, an res.

Num vero *Barjam*, num *Varjam* sanius legere sit opus, res dubietatis est plena, acriusque disputatur penes Interpretes, quos inter Lambinus allata carmina declarans hæc habet: „Intellige autem ex hoc agro Horatiano, in quo quinque foci essent, „quinque homines grandes natu in „Oppidum Sabinorum *Barjam* „convenire solitos, tamquam Senatores, qui consultarent, & „sententiam dicerent de Re Sabinorum communi, & publica: „Nonnulli arbitrantur eo vocari solitos esse, ut ibi gererent „Magistratum; alii annotant *Barjam* locum esse in Sabinis, ad „quem soliti essent transire ad causas agendas; Ego de *Barja* nihil „habeo dicere, præterquam quod, „ajunt omnes fuisse Oppidum in „Sabinis aliquando frequentissimum, „ac celeberrimum: Hoc etiam Lectori testificabor, in omnibus fere „libris MSS., & Vaticanis, & aliis, „legi *Varjam*, non *Barjam*, *Varja* autem, cui *Appula* cognomen „est, longe admodum distat a Sabinis. „Veruntamen sive ad *Barjam*, seu ad *Varjam* Horatianæ Villæ fuerit sedes, illa utique fuit *Quinque focis* consita, Agellus plane dulcis Horatio, quo Urbe relicta est delectatus.

(*c*) Recte sentit de Tibullo Panorm. Nost., agrestem nempe lepidissimo Poetæ vitam arrisisse, quod vel ipse docet præ cæteris Tibullus Elegiar. Libr. I. v. XLI.

Non ego divitias Patrum, fructusque requiro,
Quos tulit antiquo condita Messis Avo.
Parva seges satis est; satis est requiescere lecto,
Si licet, & solito membra levare Toro.

& musarum harmoniam. Regum principumque virorum cibus est gloria, qua non locupletes divitiis, quæ & fluxæ sunt, & Reges ipsi non indigent, sed Poetæ versibus dare consueverunt. Vale musarum spes.

PRO JOANNE IXARITANO.

JOANNES IXANENSIS PETRO RAIMO V. C. S. P. D.

EPISTOLA VIGESIMANONA.

Cur Regi ad Hispanos non sit redeundum, disputatur.

TUis hisce ad me gravibus & ornatis epistolis, quibus abeuntem prosecutus es, facile intellexi tuam erga me illam peculiarem benevolentiam, nec minus in Alphonsum Regem & Dominum nostrum incredibile studium ac pietatem, utrumque mihi maxime gratum: nam & a te amari, qui prius judicas quem amas, laus est illa quidem eximia: & quod Regem, nosque omnes de reditu in Hispaniam admones, e re est, & utilitate communi, ita quidem & ipse tecum sentiebam, dum essem in Hispania, abjens etiam in via proposito perstabam: applicans vero, videns, audiens, sciscitans, propositum magna ex parte mutavi: non quod locus animum mutaverit, sed consilium. Nam cum hac in re, ut ego arbitror, duo nobis maxime proponantur, utilitas redeundi, & honestas remorandi, quis honestatem non præferat utilitati? conflato bello, coacto exercitu, prolatis signis, acie instructa, dato signo, milite victoriam sperante, deserat Dux, deserat Rex noster incœptum? oportuit bellum potius non suscipere, quam susceptum per dedecus deserere, quod si utilitatem æstimas, est nobis cum hoste non de gloria solum, sed etiam de regno certamen, ut sit non modo turpis, sed inutilis quoque belli desertio: ac si quispiam contra sentiat, contendatque de reditu cum Rege, scin tu quid faciet, impetum quidem retardabit fortasse, profuturum propositum neutique flectet, & ait Poeta *dum furor in cursu est, furori cedendum esse*. Expectandum igitur mea sententia tempus tuo immo nostro desiderio aptum magis, dum hæc belli rabies desæviat, dum satietas rerum Italicarum eum capiat, dum parta, quod Diis bene juvantibus spero fore, victoria, illi etiam cum dignitate suaderi possit ut redeat. Vale ex Cajeta. XV. Augusti.

AN-

ANTONIUS PANORMITA.

AURISPÆ V. C. S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMA.

Expectatos a se Julii Cæsaris Commentarios, initam a Rege gratiam per litteras, & Mariam Regis Filiam a Ferrariensibus, & Venetis magnifice exceptam narrantes, & disciplinæ militaris lucubrationem attingentes; Modum illam transcribendi, Librarium sibi, Livium, Commentariosque Donati procurandos; Suam ad Panormitanos profectionem, indeque regressum, singillatim declarat.

BInis tui nunc litteris respondeo, breviter quidem ac tumultuarie, ut qui rebus publicis, hoc est regiis, rebusque privatis, hoc est uxoriis obstrictus, nihil prolixius, nihil accuratius aut per otium queam. Igitur C. Cæsaris commentarios expectatissimos quidem adhuc non accepi, nondum enim se recepit Salernitanus Princeps Cæsaris, meæque unicæ voluptatis adlator, speramus tamen eum propediem adfuturum, utinam satisfacturum. Quinterniones duos scribit Tuscanella noster ad codicem deesse, seque procuraturum uti exscribantur, & ad te Romam, inde facilius ad me dimittantur: quod tu pro virili ac diligentia tua accelerabis, quo tuum munus non duobus veluti pedibus mutilatum, sed integrum & te dignum adveniat: de libro hactenus. Mariam Filiam & a Venetis in via, & Ferrariæ a viro tam liberaliter, ac magnifice exceptam Alphonsus Rex idem & Pater perquam libenter audivit, tibique etiam gratias habuit, qui fere omnium rem nobis ordine renuntiaveris: litteras quidem tuas illas semel iterumque perlegit: sed & majores aliquanto tibi gratias habet, quod militarem illam disciplinam traducere aggressus es: ad quam quidem rem, quod demiraberis, me quotidie quasi traductorem ipsum solicitat: ferens præ se nihil antiquius sibi futurum, quam militare hujusmodi opus absolutum videre, jam vides qualem provinciam susceperis, sed & qualem commendationem ac gratiam. Galli istius litteram manumque perspexit, nec satis placuit: quippe Joannem Theutonicum cupit, efflagitatque: tantumque pollicitationibus tuis tribuit, ut speret, immo expectet, in primis Diogenem valde vult; quicquid enim vult, valde vult. Ego membranis chartis ideo non indigeo, quia librarium seu scriptorem in præsentia nullum habeo: si ad me unum aliquem scriptorem miseris vel Gallum, vel Gallinam, sic de chartis demum agere poterimus, habeat, si tibi quoque videbitur, Rex Theutonicum, ego Gallum. Procurabis subinde T. Livium ex Florentia, libri dominio satisfaciet Petrus de Galiano. Item procurabis, si me amas,

amas, si a me amari vis, Commentarios Donati ad Terentium extorquere ab Aretino tuo, olim meo. Profectio mea Panormum adhuc suspenditur, singulis quidem diebus una cum Rege legimus, quo sibi nihil jucundius est in vita, expecto ut castra adeat, atque moveat, ut & ego quoque e portu solvam, hanc unam duntaxat occasionem nactus, extemplo tamen Diis ducibus rediturus, & ad Regem ubicunque fuerit aditurus. Interim tu; quod facis, me litteris pulsa, & audacter gaude, nam Rex te quidem unice amat, ac prædicat, ego valeo. Vale. Neapoli.

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMAPRIMA.

Panormitanis Oratoribus reliqua compofituris, obsecrat Regem, ne sui obliviscatur, meminitque Epistolæ, illius nomine, a se ad Collegium Cardinalium datæ.

JAm novit sublimitas tua Oratores Panormitanæ Urbis advenisse, ut errata Civium suorum tecum componant, ac redimant: sperantque a benignitate ac clementia tua impetrare quod cupiunt: ego, utcunque res cessura est, meminerit, oro, Majestas tua portiunculæ meæ: quod pretium est laudis, ac gloriæ tuæ, & exemplum singularis ac immortalis beneficentiæ. Epistolam ad Collegium Cardinalium, quam a me per Matthæum Joannem Secretarium (*a*) petiisti, per eundem ad te misi recorrigendam, & emendandam peracri judicio, ac prudentia tua, ego quidem, uti ille tuo nomine mandavit, informavitque,

(*a*) *Secretarius* hic Panorm. Minister est Regi familiarissimus, qui nempe secretos animi sensus cognoscat a Rege per litteras exaratos; *Secretarii* vocabulo ex Antiquioribus usus est Vopiscus in Aureliano *Secretorum Notarium* indicaturus, Ævoque postea citeriore *Secretarius* est in latinitatem illatus muneri designando hominis Regiorum Secretorum gnari; quin & *Secretarius* interdum dictus fuit *Apocrisiarius*, *Referendarius*, *Cancellarius*, quod probavit his verbis Joh. de Janua: *Apocrisiarius*, *Secretarius*, paulloque infra *Cancellarius*, *quia ipse est Secretarius Regis*, *vel Imperatoris*, *& ejus secreta scit*; ejusque propterea manebat in custodia Annulus Regius, ex Honor. Augustodun. Lib. I. Cap. CLXXXV. quod scilicet ad illum Diplomata, & Regia præcepta subsignanda remitterentur; *Secretarius* ut latine denotaretur, nonnulli vocem *A-Secreta* usurparunt a Græcis barbaris ductum Α'σηκρῆτι latino sensu *A-Secretis*, nimirum *Secretorum Ministrum*, illudque legere est in Petr. Diac. Chron. Casin. Libr. IV. Cap. LXIII. *Postquam A-Secretis efficitur*, *Logothetam illum Imperii statuit*; *Ad Secretarium*, Virum scilicet Regis intelligentem Secreta,

vitque, ita mentem tuam verbis protinus explicare conatus sum: si vero præsentia mea super ea re, vel alia ex causa opus fuerit, non gravabor ad te, cui omnia officia debeo, vel nudis pedibus accedere. Interim tu ad feras venaberis, ego quotidie in tuas laudes, & tuam perpetuitatem aliquid venor. Vale, & triumpha.

ANTONIUS PANORMITA

ALPHONSO REGI S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMASECUNDA.

Vinum sibi pro Salario Vectigale, curat ut sit aliquanto Fructuosius.

EGO Rex benignissime id solum intelligo, quod scilicet mihi de salario satisfiat; quod si ex eo vectigali, quam vini Gabellam (a) appellant, Panormii exolvatur, id ea lege fiat, ut qui vectigal per-

 cipit,

Secretarii notio videtur adjungenda, hoc est loci a cæteris sejuncti cujus generis memoratur ab Apul. de Mundo disserentis: *Ignes, qui terræ* Secretariis *continentur*: Ut plurimum vero appellatur *Secretarium* locus ille, ubi frequenter aguntur Conventus ad rem gravis momenti perficiendam, itaque locus, *in quo Senatus collectus est* Anastas. Bibliothec. in Collectaneis vocatur *Secretarium*, dictusque est Ammiano libr. xv. *Secretarium Judiciale* locus ubi Judices considere consueverunt; frequentius autem *Secretarium* sacrum est nomen, *Ædiculam* significans, seu *Cameram vice Exedræ, Templo, seu Ædi sacræ adjunctam, in qua sacra Ecclesiæ Ministeria recoduntur, vasa, vel vestes sacræ*, inde quoque tempore opportuno educenda, Teste Paulin. Epist. xii. ad Severum.

Hic locus est veneranda Penus, qua conditur, & qua
Ponitur Alma sacri Pompa Ministerii.

In Ecclesiarum *Secretariis* Episcopos, & Sacerdotes de maximis negotiis deliberaturos constitisse multis liquet, illud præsertim Guillelm. Bibliothec. in Hadriano II. Summo Pontif. de Legatis Basilii Imperat, assertur: *Huic Sanctissimo Papæ Hadriano cum Episcopis, & Proceribus in* Secretario *Sanctæ Mariæ Majoris, juxta morem Sanctæ Sedis Apostolicæ residenti, se satis humiliter præsentarunt*. Coactorum ibidem Conciliorum per Pontifices non rara est mentio in Conciliis, & Synodis, illudque argumento est plane non exiguo, ea fuisse Ecclesiarum *Secretaria* amplitudine, ut ad ipsa divertendi non tantum, verum & manendi Sacerdotibus copia fieret, ut libr. III. de Sancti Martini Vita Fortunatus confirmat:

Mansio forte fuit Martino prætereunti,
Ecclesiæ Domini qua Secretaria pollent.

Quæ quidem singula de *Secretarii* loco, & dignitate, ea mente sunt dicta, ut intelligatur ex verbo *Secerno*, nomineque adjectivo *Secretus* latinis familiares, manasse penes Auctores barbaræ latinitatis, quæ ad *Secreta* propius revocarentur.

(a) *Gabellam Vini* præter Auctorem Nostr. uberius recenset, ac exactius Gobelinus Persona in Cosmodromio Ætate VI. cap. LXXVIII.

cipit, ideſt Gabellotus, (*a*) mihi tamen de mea quantitate reſpondeat, & non Secreto (*b*) aut cuivis alteri Officiali: alioqui, quod duobus annis expertus ſum, omnis aſſignatio eſt irrita & ſine effectu, & ita res toleratu gravis, ut ſtatuam potius cum inopia & fame certare, quam cum duriſſimis illis Officialibus (*c*) amplius agere: neque minori beneficio adſcribant, ſi me ab illorum manibus exemeris, quam ſalarium ipſum. Quid prodeſt mihi beneficium, ſi Cajetæ datum, Panormii intercipitur? quid tua benevola & benigna mens, ſi ab Officialibus illis tuis non exauditur, ſed opprimitur, ſed contaminatur? Gratias, ut noſti, ſolutis tunicis fingunt, quod ſignificat beneficium alligatum non eſſe debere, non adſtrictum, non impeditum. Conſueverunt Reges præceptoribus ſuis aut Poetis dare, & aſſignare vel prædia aliqua, vel oppidula: credo tum aliis rationibus, tum maxime ne ſalarium, ſi quod daretur, petentes repetenteſque moleſti eſſent, hoc ego ſummnpere procuro ſcilicet ne moleſtus ſim: ſed mea hæc procuratio vel diligentia quid mihi aut tibi profutura eſt, niſi tute illam, Rex optime,

---

Gabellum, inquiens, *in Vulgo dicitur certa quota quæ datur de certis vasis, vel menſuris vini vendendi Domino Terræ, vel communi Civitatis*; per quæ ad vini naturam quod ſpectat nota *Gabella*, ab alia deinde ſignificanda traducitur, ut habet in Gloſſar. Du-Freſn; ex quo ſuperioris etiam Auctoritatis verba deſcripſimus, deterioris Ævi vocabulum exponentes.

(*a*) Unde *Gabella* Panorm., inde *Gabellotus*, cujus apud ipſum Du-Freſn. in Gloſſar. occurrit appellatio penes Fridericum Siciliæ Regem Anno MCCXCVIII. ex Rocc. Pirro in Archiep., Meſſan. & clarius pro Mercatoribus Majoricenſibus deſcribitur Ann. MCCCV. in Charta ejuſdem Regis MS. *Quilibet Mercator ſolvat tantummodo* Gabellatis, *ſeu Credenteriis Dohanarum Maris, Terrarum, locorum, ejuſdem Inſulæ Siciliæ*; Ita latinis barbaris ſonant *Gabelloti*, qui Joh. Villaneo Lib. X. Cap. CXCVI. Lib. XII. Cap. XCI. Italica explicatione *Gabellieri* communiter declarantur.

(*b*) Revertimur cum Panorm. ad vocem *Secretum* barbare acceptam, non adjective quidem, verum ſubſtantive; *Secretus* enim hic dicitur, qui Regius ſit Vectigalium Miniſter, ac vulgo *Dohanarum Regiarum qui curam gerat*; Paſſim exinde Siculis ex Conſtitut. pleriſque in locis Regios inter Miniſtros, & Officiales *Secreti Dohanæ* recenſentur, & in Diplomat. Siciliæ Regum occurrunt aliquando: *Juſtitiarii, Secreti, & Officiales alii Aprutii*.

(*c*) Obiter hic Panorm. de *Officialibus*, quos latinus expreſſos recitat potiſſimum Lex I. Cod. Th. de Habitu, quo uti oportet intra Urbem: Officiales, *per quos ſtatuta complentur, ac neceſſaria peraguntur*, & in Caracalla Spartian. *Non ignorantibus Martio Agrippa, qui Claſſi præerat, & præterea pleriſque* Officialium *impulſu Martialis*; Quotuplicis vero ſint generis *Officiales*, præ aliis docet, Zaſius in L. *Principaliter. ſi cert. pet.* his verbis: *Sunt enim Rectores Provinciarum, ſunt Præſides, ſunt Gubernatores, Prodomini, ſive ut vulgo vocantur, Vicedomini, Adminiſtratores ſine juriſdictione, & cum juriſdictione; Sunt & Aulici, quos Palatinos nominant; Sunt & multa alia genera. Officiales* inſuper, eorumque munera, & ordines, diligenter expendit in Gloſſ. Du-Freſn. quo etiam Auctore comperimus Gallis proprie eoſdem eſſe *Officiales*, ac *Judices Epiſcopales*, ſeu *Epiſcoporum*, in quos Epiſt. XXV. acrius Petr. Bleſenſis invehitur.

me, aut juveris, aut dixeris? quod igitur molestus, aut jucundus sim, totum ex te pendet, si feceris ut salarium, quod mihi das, certo aliquo loco viaque habeam, perpetuo tibi jucundus ero: sin minus, coget me mala necessitas ut molestus sim. Postremo unum illud rogo, obsecro, supplico, quod super hac re facturus es, cito ut explices: mora quidem inficit beneficium. Vale Regum humanissime & triumpha.

ANTONIUS PANORMITA.

AURISPÆ VIRO CLARISSIMO S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMATERTIA.

Ad se, atque ad Regem illum vocat instanter, cui, ubi velit ille, in Abbatia Sicula, Blaccum Specialem designat Successorem.

SCribis te mature quidem ad nos profecturum Regis ac mei visendi gratia: facis si modo proposito perstare potes, rem tibi valde utilem, ac dignam grato viro, omnia quidem officia Regi benemerenti debes; tum glebæ Ferrariensi in perpetuum adscriptus esse non debes, hic etenim capitis tegmen me auctore confestim mutabis: & jam mutasses, si vir esses, & voluptates istas Ferrarienses quantaslibet posses relinquere. Cogita ætatem tuam jam grandem, ac prope decrepitam: cogita quo in loco, quam procul a patria degas.

Nudus in ignota Palinure (a) jacebis arena:

& quibus tua bona, tuam bibliothecam diripiendam relinquas: saltem hoc munus patriæ debebas, & gloriæ tuæ. Hic, Diis gratia, bene ac salubriter agitur, nec decretum illud contra advenientes ex locis pestilentibus te comprehendet: dabitur tibi ad pauculos dies, cum adfueris, diversorium in villa aliqua mea instructa simul, & peramœna, & denique, ut huic literarum parti finem faciam, a Rege humanissimo quo-

(a) Adducit Panorm. locum Virgilianum ex V. Æneid. vers. ult., quo Æneas preponitur casum Palinuri in undas prolapsi animi commiseratione prosequutus:

Multa gemens casuque animum concussus Amici:
O nimium Cœlo, & pelago confise sereno
Nudus in ignota, Palinure, jacebis arena.

Qui autem navis fuit Gubernator inter Trojanos, Italico Promontorio nomen fecit, de quo ex Geographorum sensu Alphonsus Nost. a Varea ita scribit: *Palinurum Promontor. italiæ in Lucania, nunc* il Capo Palinuro, *in Prov. Principatus Citer. in ora Maris Tyrrheni,* 17. *Mil. a Policastro in Occas,* & 26. *a Pesti ruderibus in Merid. inter sinus Paestanum, & Laum, prope Veliam.*

quotidie optaris, & quidem desiderio constantissimo. Quod sequitur te rogo, ut si Abbatiam, quam in nostra Sicilia obtines, locare aut transferre constituis, illam loces, & transferas Domino Blacco Speciali viro generoso, & abunde spectato, qua de re primum Deo ipsi, deinde Regi, postremo mihi rem gratissimam facies, a Deo quidem tibi gratiæ referentur, a Rege laudes, a me vero versiculi fortasse non illepidi. Vale cum Aversano nostro jucundissimo. Neapoli.

ANTONIUS PANORMITA.

AURISPÆ VIRO CLARISSIMO.

EPISTOLA TRIGESIMAQUARTA.

Ad Theodorum nonnulla, ad maturandum ejus adventum complura, ad Apicium, & Julii iter spectant postrema.

Theodorum tuum, quem mihi tantopere commendas, scito apud Alphonsum Regem, ut cupis, magnifice collocatum: mihi vero ea in re quas gratias habeat, si gratus est, ipse renuntiabit, certe nos desiderium tuum explevimus, & quidem eo ipso die, quo Theodorus applicuit, ut duplici nobis officio obligetur, & quod bene, & quod cito fuerit expeditus: verum hæc, ut diximus, ipse scribet, tu vero si me audis, Regem repete, qui te diligit, & tibi meliuscule esse cupit: etenim ii maxime colendi & observandi sunt, qui quod cupiunt exequi possunt: cooptaberis, mihi credas, ad amplissimas dignitates, si huc ad nos veneris: nec temere hæc tibi suadeo, sed ex oraculo Apollinis depromo, ac foliis mando, novi multa, quæ te possunt etiam per tenebras huc pellicere, verum ea coram: nam nisi delirare incipis, maturabis: immo, ut Catullus ait, *viam vorabis*, veniens vero fac tecum deferas Apicium Coquinarium, & Cæsaris iter nuperrime, ut refert Theodorus tuus, nunc jam meus, inventus, Romamque perductus. Laura vero quid de te speret, ex præterito conjecturam facit, Catherina Panthia deliciæ meæ te vehementer expectant. Vises præterea Antonium Panormitam ocellum aureum: denique mentior, nisi hic repuerasces, atque adeo aliam ætatem vivere incipies. Vale. Quæ tibi de Cæsaris itinere scripsimus, ita accipe, ut nisi versibus compositum est, Juli iter non sit, sed Antonini: hic enim prosa oratione iter edidit, Julius carmine: Antonini vero iter jam pridem & verum habemus. Item vale. Neapoli.

AN-

ANTONIUS PANORMITA.

MARTORELLO SUO S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMAQUINTA:

Ubi nunc gentium agit multa in laudem Regis excogitat, illum vel obvius visurus in via, vel in Urbe expectaturus.

ACcincto mihi, iterque arripere volenti renuntiatum est universam Rempublicam Neapolitanorum ad Cæsarem nostrum legatos mittere oratum ut ad aliquot dies Neapolim se recipiat: subest etenim causam reversionis & quidem probabilem: itaque nobilitatem omnem sperare, breviterque expectare Cæsaris adventum. Quare mihi persuasere primores civitatis, ut saltem expectarem legatorum responsum, interim cogitarem ego Epigramma ad arcum triumphalem, quem in honorem Alphonsi Cæsaris construere sumptuosissime intendunt. Item adornant currum quadrigis albis auro coopertum, & multa id genus in memoriam ac triumphum victoris nostri. Ego nihilominus auribus arrectis, & simul ac sensero vos Calabriam, inde Siciliam petere, & jam ex Trano, Apuliaque movisse, digrediar vobis obviam Consentiam. Non decet ut Cyclopas (*a*) adeatis omisso Po-

[*a*] Panormitæ *Cyclopas* hic nota ad eas referendos esse Gentes, quæ vel omnium primæ Siciliam tenuerunt, vel proprio nomine omnium primæ ad nos usque manarunt; Cujus autem generis illæ fuerint, vel unde migrarint ad Siculos, nostrum haud judicamus asserere, monemus tantum plurimas inter sententiarum ambages rem diligenter expendisse Historicorum Siculorum hac ætate facile Principem V. Cl. Joh. Baptistam Caruso ejusdem Siculæ Historiæ Part. I. sub initium Libr. I., Quin etiam Siciliæ Accolas Cyclopas legimus Æneid Libr.I. v.CCIV.

Vos & Scyllaam rabiem, penitusque sonantes
Accestis scopulos, vos & Cyclopia saxa
Experti........

Libr. III. subinde v. DCLXXVII. expressius *Cyclopum* deprehendimus sedes:

Cernimus astantes, nequidquam lumine torvo
Ætnæos Fratres, Cœlo capita alta ferentes.

Eam videlicet incoluisse partem Siciliæ *Cyclopas* docet Virgilius, ubi Ætna, Leontinusque Ager jacebant; qua in sententia Adverf. XXIV. X. non placet Adriano Turnebo, *ab Homero, ad cujus speculum* in cæteris *se totum fingit, atque componit*, Virgilium *recessisse*; Per Homerum enim *Cyclopes* Insulæ *non sunt, sed* Continentis *habitatores*, de quorum certa statione in Continentis Oris, *si redivivus ab Inferis Homerus excitatus rogaretur; se nihil*, ait Turneb. ibidem, *pro testimonio, juratumque scripsisse, ut opinor, responderet, narrationemque se potius jucundam ad homines delectandos, quam Historiam, & incorruptam veri memoriam contexuisse diceret.*

Polyphemo. (*a*) Sed si quæsieris quid agam per hæc tempora Neapoli, cogito, excudoque aliquid, quod in gloriam Alphonsi benefactoris exuperet arcum Neapolitanorum, nec sit obnoxium aquæ, pluviæ, neque tonitruis, neque vetustati. (*b*) Intelliget aliquando Cæsar, qui magis suæ laudi & immortalitati consuluerit, vos ne qui castra armati sequimini, an ego qui vitam, ut vobis videtur, per inertiam atque ignaviam traduco. Valeat ipse, vincat, triumphet. Tu quamprimum potes ocissime rescribe, num forsitan Neapolitanorum legatio flexerit Alphonsi profectionem. Calen. Decemb.

AN-

---

[a] Ad *Cyclopas* adjungit hic Panorm. Polyphemum, Cyclopum horrendissimum, ac immanissimum. Notus est ex Homero Polyphemus, de cujus vastitate libr. XVII. cap. III. hos ex Lucillio, Crinit. versus producit:

> Multa hominum portenta in Homero verificata
> Monstra patent; quorum in primis Polyphemu' ducentos
> Cyclops longu' pedes; huic porro maju' bacillum
> Malus maximu' sit quam in navi, & Corbita in illa.

Homerumque ducem sequutus. describit exinde Virgilius Polyphemum excætus, ac pressus Æneid. III. v. DCLXV.

> Vix ea fatus erat, summo quum monte videmus
> Ipsum inter pecudes, vasta se mole moventem
> Pastorem Polyphemum, & littora nota petentem.
> *Monstrum horrendum, informe, ingens*, cui lumen ademptum.
> Trunca manus pinum regit, & vestigia firmat.
> Lanigeræ comitantur Oves, ea sola voluptas,
> Solamenque mali, de Collo fistula pendet.

In quem locum ita Jac. Pontanus: = Lepidissima narratio est Magii Libr. I. cap. IV. in quo de Gigantum proceritate, & magnitudine disserit: Ex Bocatio igitur Libr. IV. Geneal. sic refert, Bocatius sua ætate Rusticos quosdam in Sicilia, non procul a Drepano fodientes, maximum adinvenisse antrum scribit, in quo sedens esset Gigantis Cadaver, quod læva contum cujusvis Navis malo majorem teneret; Quo in Cineres, ut vetustissimis Cadaveribus usuvenit, statim soluto, plumbum, quod conto inerat, plusquam mille, & quinquaginta libras excessisse; Dentes libras novenas, Cranei vero partes multos frumenti modios excepisse, atque idem Bocatius, facta supputatione Gigantem illum proceritate ultra ducentos Cubitos processisse, unde Polyphemum fuisse creditum sit. = Nimia hæc, atque immoderata Polyphemi magnitudo viris doctis fabulam sapit, quemadmodum & ipsis fabulosa videtur proceritas, quæ supra hominum cæteros assurgat plus æquo; Quamobrem de ingenti mole Gigantea quæ ab aliquibus circumferuntur; vel nulla sunt, vel incerta, nam siqui forte producantur in medium; *Quid aliud*, Macrob. ait Saturn. I. XX., *Gigantes fuisse credendum est, quam hominum quamdam impiam Gentem, Deos pellere de Cœlesti sede voluisse*. De Gigantibus autem nostrum non est agere, plura tamen fatemur de illa edoctos nos esse a Viro Eruditissimo, nostrique Amantissimo Fratre Joh. Baptistæ Francisco Caruso, quem boni sospitent diu superi, in lucubratione *de Primis Siciliæ Incolis*, quam veritatis amore publici fieri juris optamus ex animo.

(*b*) Locutus est hic Panorm. ex mente Ovidii in Peroratione Metamorphos.

> Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,

ANTONIUS PANORMITA.

JANNOTIO MANETTO V. C S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMASEXTA.

In ejus librum, ejusque mores bonum Regis animum amplificat.

Liber tuus de hominis excellentia Alphonso Regi tam gratus fuit, quam esse debuit res singularis: atque eo gratior fuit, quod elegantiæ ac copiæ dicendi auctoris ipsius probitas ac sanctitas accedebat. Te quidem, si nescis, non solum ob ingenii claritudinem, sed etiam ob animi ornamenta, ac morum sobrietatem prolixe diligit, & perseveranter amat, siqua igitur laus est a sapientissimo Rege diligi, & observari, tu vel in primis gaude & triumpha. Nec fuit opus rem verbis extollere, affatim se ipsa commendat, ut cui grata, & accepta non fuerit; omnibus esse possit ingratus. Vale tu mea musa.

ANTONIUS PANORMITA.

GASPARI SUAVISSIMO BARBARO S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMASEPTIMA.

Cavet, ne rebus suis fiat Rege molestus.

SI me audis, cave Regi mea causa molestus sis, si intellexeris illum meas litteras gravate manu sua exaraturum, exemplum litterarum quod penes te est, dilacerato, debemus Regem de nobis benemerentem perarduis negotiis pressum levare potius, quam illi molesti esse. Dispereant privilegia, rescripta, litteræ denique omnes, priusquam illi vel graves, vel importuni simus. Vale.

AN-

Nec poterunt ferrum, nec edax abolere vetustas,
Cum volet illa dies, quæ nil nisi Corporis hujus
Jus habet, incerti spatium mihi finiet ævi:
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum;
Quaque patet domitis Romana potentia Terris,
Ore legar Populi, perque omnia sæcula, fama,
Siquid habent veri vatum præsagia, vivam.

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMAOCTAVA.

Brevi rediturus cum Livii Historia moræ caussas, & vota nectit pro Salariolo Panormi recipiendo.

NON potui quantacunque diligentia me hactenus expedire, ut cum hac triremi, quod summe cupiebam, advolarem ad pedes Majestatis tuæ, fuit in caussa & in mora non quidem patria, aut propinqui: quæ omnia, quanquam suavia, & jucunda, præ te tamen & sordescunt, & nihili penduntur a me: sed illud fuit, quod in rebus pernecessariis hactenus expeditus non sum, & quod expecto ex Messana libellum Macedonicum, quem librum statim habiturus sum: mox qualitercumque expeditus, vel etiam non expeditus, ad te iturus sum, viamque voraturus, vel cum cymba amyclea, (a) deferens mecum Patrem historiæ Romanæ T. Livium, quem in castris summa cum voluptate & utilitate legamus. Interim peto, obsecro, obtestor, & per divinum amorem tuum tibi supplico, non feras, ut Joan. Marchio me excludat a salariolo meo, quod pro tua liberalitate, & beneficentia ex vestigalibus Panormii exponitur: quod

(a) *Amycleam Cymbam* hic intelligas e Panormi, quæ *Amycleorum Fratrum* omine auspicato per mare feratur: Dicuntur vero *Fratres Amiclæi* Castor & Pollux ab Amyclis Urbe Laconiæ, cujus sunt Alumni: Ita Statius Thebaid. V. v. CDXII.

Vidit *Amyclæos* (facinus!) concurrere *Fratres*.

Amyclæus etiam vocatus est Apollo propter fanum illi Amyclis in Laconia dedicatum, quod narrat Strabo VIII. Geographic. his verbis: *Infra Taygetum in Mediterraneis Sparta jacet, & Amyclæ, ubi simulacrum est Apollinis, ac Pharis*: Amyclæ proinde ipsæ nominantur Apollineæ ex ipso Stat. Thebaid. IV. v. CCXIII.

Hujus Apollineæ currum comitantur Amyclæ.

Amycleos præterea Canes præstantiores cæteris laudat Virgil. Georg. III. v. CCCXLV.

Armaque, Amyclæumque Canem, cressamque pharetram.

Meminit *Amyclæi Oloris* idem Stat. Sylv. l. II. v. CXLII.

..... *Amyclæos* ad fræna citavit *Olores*;

Amyclæamque Plumam, nempe *Cycneam* refert Mart. Epigr. Libr. XIV. CLXI.

Lassus *Amyclæa* poteris requiescere *Pluma*,

Interior Cycni quam tibi lana dedit.

Per quæ ad eum alludit Olorem, sub cujus specie Leda a Jove compressa, vel unum ex nonnullis, vel duo ex plerisque Ova concepit, duorum postea Filiorum Parens, Castoris videlicet, ac Pollucis, quibus deinceps *Amyclæis Fratribus* nomen fuit.

quod mihi sæpe jam ut benignus es, pollicitus es augere, atque amplificare, super eodem vectigali multi locupletes redditus habent, qui aliunde vivere etiam ad voluptatem possunt: at ego, ut nosti, nihil omnino possideo nisi tuum hoc salariolum, & liberalitas in pauperes laus est & virtus, in divites vitium, ego vero ita in tua justitia in omnes, in tua beneficentia in litteratos, in tua pietate in Poetas, in tua observantia in præceptorem, & spero, & speravi semper, ut nullo modo adducar ut credam a quoquam vel potentissimo dejici posse, atque injuria affici. Vale spes unica Poetarum. Panormii.

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI. S. P. D.

EPISTOLA TRIGESIMANONA.

Obsecratoria est pro dono ab illo Agathæ filiæ suæ reddendo.

QUoniam brevi e Neapoli recessurus es, oro atque obsecro, memineris polliciti tui in nuptias Agathes filio'æ meæ, illud, si sapis, nequaquam parvi faciens, quod pro parvo dono ingens & immortale a me recepturus es. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI. S. P. D.

EPISTOLA QUADRAGESIMA.

Legatione perfunctus, orat, ut ad Uxorem redeundi detur sibi copia.

PEracta sunt jam omnia, ni fallor, cum fide & diligentia, quæ Venetiis, & alibi a me effici debuerunt ex mandato Celsitudinis tuæ. Perstat quidem Princeps iste & Senatus in proposito suo, pacemque expetunt potius, quam bellum: quæ res, ut plenius novit Majestas tua, Romæ apud summum Pontificem transigenda est, interim hic otiosi sumus: quodque me maxime angit, Laura uxor mariti absentis, & ejusdem senis desiderium ferre diutius non potest, meque flebilibus litteris quotidie pulsat, ac revocat: ostendens plane verum esse, quod Catullus Poeta scribit.

. . . . *Amantes*
Non longe a caro corpore abesse volunt, (a)

 Me-

(a) Locum profert ex Catull. Carm. LXVII. inscripto *De Coma Bere-*

Merito redamatur a me puella, etiam supra modum: non sum cæcus, non sum ferreus, satisque intelligo verissimnm esse & illud Catonis dictum. *Amantium animas in alieno corpore vivere*, quare si satisfactum est in præsens mandatis tuis, si desiderium puellæ honestissimum est, te peto, atque oro mihi concedas, ut bona cum venia revertar ad animulam meam, sic Venus Regina tibi propitia sit, Rex piissime. Vale, & triumpha. Venetiis. XXV. Junii.

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI S. P. D.

EPISTOLA QUADRAGESIMAPRIMA.

Oratiunculæ suæ Regem Patronum adscicit.

ORatiunculam, quam apud Fridericum Imperatorem habituri sumus, per Martorellum mitto Celsitudini tuæ, quam singularis prudentiæ & judicii tui lima perpolias atque emendes, scio fore ut correcta per te & edi tutius, & proterri audacius queat, finita quidem adhuc non est; sed quæ deficiunt audies a litterarum adlatore viro jucundissimo, cui referenda commisi vivis affatibus potius, quam epistolæ mandare ausus sim. Vale, & triumpha.

FRANCISCUS BARBARUS.

LUDOVICO POGGIO,

ET ANTONIO PANORMITÆ LEGATIS REGIIS.

EPISTOLA QUADRAGESIMASECUNDA.

Remittit Libros de Re Bellica pertractantes.

PUrgarem silentium meum, nisi res ipsa satis pro me loqueretur: quia cum Flavius Forliviensis eloquentissimus vir ad me vestro nomine complures libros græcos de re militari detulisset, omnes subito percurri, sicut ipse testis est: & confestim summam rei sicut potui & scriptores ac auctores collegi, qui multum accurate & copiose tractave-

---

vices, ubi Callimacho Poetæ adhærens, Latio donat Catullus, quæ in assentationem Regis Ptolomæi a Græco vate Græce fuerant exarata, de Amore Berenicis Reginæ in Virum Regem Ptolomæum, pro cujus incolumi reditu comam obtruncatam in Templo Veneris Arsinoes voti damnata suspenderat.

verunt de rebus bellicis. Cæterum cum apud Romanum Pontificem crederetur de concordia agendum esse, & magnitudo animi, & satietas gloriæ, ficut de P. Scipione Africano legitur, Sereniſſimum Aragonum Regem, & inclytum Senatum noſtrum inclinaſſet ad dandam Italiæ pacem: ut omnes intelligerent eos ſuæ potius clementiæ, quam alienæ culpæ rationem habere velle, libros iſtos militares quaſi belli conſiliarios, & adminiſtros mecum in æde muſarum, ut ita dicam, vinctos continui: ne ſpe victoriæ, quam ſe daturos eſſe pollicentur, ſignum proponerent pugnæ, & otium ac tranquillitatem turbarent cum magno motu totius Italiæ. Quare cum ad vos legatos provocaverint, & jus legationis liberum ſit, & regios omnes regie a noſtris hominibus, & græcos a barbaris hic benigne tractari debere contenderint: e Republica cenſui legibus parendum eſſe, ne in hac Civitate noſtra bene inſtituta privati carceris infamia locum habeat, & a viris illuſtribus ac ſapientiſſimis non ſine quadam ignominia apud nos libertas (*a*) ac æqualitas juris conſideretur: cum ideo, ſicut a Patribus accepimus, legum ſervi ſimus, ut liberi eſſe poſſimus. Quapropter cum relegationi, ut ita dicam, ſuæ finis imponendus ſit, cum bona veſtra venia revertentur ad Magnificentias (*b*) veſtras, ſi prius caverint ſe fore memores rerum humanarum, quæ mille caſibus ſubjectæ ſunt: nec un-

(*a*) *Venetorum libertas* hic notanda proponitur in omni ætate ampliſſimæ Reipublicæ præſidium, ac decus; Primus inde fluxit Civium honos, Patrumque nobiliſſimorum ſingularis dignitas hinc emanavit; nata eſt quippe ex libertate, & libertatis jure adolevit res Veneta, quæ altiſſimis defixam radicibus libertatem ob oculos ſemper habuit, & ab omni ſervitutis periculo immunem alacrius conſervavit; factum eſt propterea, ut Venetis *omnibus*, ait Paul. Jovius Hiſtor. Libr. I. *Quum idem ſit conſervandæ libertatis, & augendi Imperii incredibile ſtudium in Senatu libere, & ſæpius acerrime ſententias dicunt*. Liberos præterea Venetos ſub Caroli M. tempus profert ex Sigonio de Reg. Italiæ Libr. IV. Auct. Adnotat. in Donat. Jannot. *Nicephorus*, inquiens, *Imperio inito, rebus pariter conducere ſuis arbitratus, pacem cum Carolo habere, legatos ad Carolum, ad Solam amnem caſtra habentem, de feriendo fœdere miſit. Eos Carolus non benigne ſolum excepit, ſed etiam fœdere icto cum literis domum remiſit, in eo fœdere illud nominatim expreſſum, ut Veneti inter utrumque Imperium poſiti, liberi, atque immunes, & ab utroque ſecuri viverent, & ſine moleſtia res ſuas in Regno Italico poſſiderent*; Quo certe monumento, nulla vi, armiſque nullis labefactata, *Venetorum libertas*, jamdiu firma, conſtanſque perſeverat.

(*b*) Satis equidem longe a vero ſenſu latinitatis uſurpavit hic Panorm. *Magnificentiæ* vocabulum, quo enim ſunt uſi Auctores latini ad ſignificandum quidpiam vel *ſplendide dictum*, ut ex Cicer. de Amicit. *Magnificentia verborum*, vel *ſplendide factum*, ut ex eodem Tull. in Orat. *Magnificentia Epularum* eſt nominata, numeri, nec non elocutionis facta immutatione, hoc in loco ſunt explicati honorarii Tituli, quo *Medium Ævum*, ut vocant, aliquando Reges, nonnumquam Privatos inſignes dignitate demonſtravit; Uberiora de his, ex Du-Freſn. in Gloſſ. in Ep. Childeberti Tom. I. Hiſt Fr. alibique, præſertim vero in Briſſon. de Formul. Lectori pervolvenda ſuppeditantur.

unquam dubia pro certis habituros, nec fortunam potius quam rationem secuturos. Vadibus igitur datis illos dimittam ea lege, atque conditione, ut neminem deinceps hortentur ad bellum, nisi necessitas ipsa pia induat arma, aut socii nominis dignitas cogat vim vi repellere ad bene beateque vivendum, sed quid ago? satis vobiscum de libris istis græcis jocatus sum: ut excusationem meam, quæ vix sine quadam negligentia defendi potest, probabiliorem facerem, & ut joco facile veniam impetrarem, quam serio fortasse impetrare non potuissem. Bene & feliciter valete sicut opto. Venetiis. VII. Idus Junias M.CCCC.LI.

Index Librorum Græcorum.

Helianus de re militari.
Onosander ad Q. Veranium de re Imperatoria.
Mauritius de re Imperatoria.
Athenæus de machinis, & instrumentis bellicis cum pictura expressis.
Hiero de jaculis, quæ cum manu projiciuntur.
Apollodorus de Urbibus obsidendis.
Philo ad Aristonem.
Julius Africanus de cestis.
Digressiones de Imperatoriis institutis.
Qualem oportet esse ducem exercitus.
Epitoma Cyri Nicophori Regis.
Epitoma Leonis Imperatoris de re militari.

LUDOVICUS POGGIUS,

ET ANTONIUS PANORMITA.

REGII LEGATI FRANCISCO BARBARO

Viro Illustri S. P. D.

EPISTOLA QUADRAGESIMATERTIA.

Laudat illum pacis Auctorem, laudaturus impensius, ubi litteras edat, Regique simul inscribat.

NON tu Barbare omnium humanissimus, atque officiosissimus es? qui quamlibet acri morbo implicitus, nihilominus faceto simul & graviter nobiscum per litteras jocaris in Græcos illos, qui de re militari, atque imperatoria scripserunt: eos quidem ipsos, ut primum a nobis commodato accepisti, in vincula conjecisse significas, veritus ne cum

cum scientia sua, quæ victoriam polliceri videatur, pacem Italiæ, de qua in præsentia agitur, liberi vagique perturbent. Recte tu quidem illos & vinctos tenes, & priusquam dissolvas, agis ut caveant, præstentque rem aliquam certam: nam victoria res nimirum incerta est, & ut inquit Homerus, alterna, quæve complures mortales, dum sese in sinu illam tenere arbitrantur, falsos habuerit, egeritque præcipites. Hinc infinitam multitudinem admodum paucos profligasse legimus, ut intelligamus victoriam non præceptis Philosophorum constare, sed Deorum benignitate ac providentia concedi. Magna profecto res est, ac major quam ut hominum prudentia, aut spes, aut virtus, aut potentia sibi repromittere valeat. Quis igitur nisi qui temeritati fortunæ subjectus esse studeat, pacem victoriæ præsertim futuræ non præferat? Eo maxime, quod victoriæ ipsius fructus omnis est pax. Nobis quoque præclare dicere visus est, quicunque dixerit pacem esse summum bonum, ac certe summo bono pacem inesse, de pace igitur & concordia, ut vides, tecum sentimus, nec patrocinari hoc debet Græculis illis, quod nos appellaverint, quod jus gentium imploraverint, non sunt jure gentium digni, qui contra gentes aliquid moliuntur, aut grassantur: hique ipsi sunt, qui victoriæ, qua nihil incertius est, spe bellum suadentes, postea in calamitates ac miserias gentes impellant, his igitur meliorem mentem Dii dederint: te vero, quem per ægritudinem tam suaviter scribentem videmus, quales epistolas edidisse credendum est in bona & integra valetudine, & ætatis flore? Hoc eo spectat ut epistolas a te olim præscriptas, quas nunc in corpus redigis, regio munere dignas putes, hoc est Alphonso nostro triumphatori dedices, quod illi, si bene eum novimus, tam gratum acceptumque futurum conjectamus, quam benefactorum, & nominis sui famam, & immortalitatem. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

COSMO VIRO INCLYTO. S. P. D.

EPISTOLA QUADRAGESIMAQUARTA.

Nuncupatum ei librum *De Dictis, & Factis Alphonsi Regis*, cum Poggio mandat comunicandum.

CUM proximis diebus Alphonsi rerum memoria dignarum librum absolvissem, opportune, mihi cupienti occasio oblata est, id librorum tibi potissimum dedicandi, nam reconciliato nuper Sfortia tuo Viro ac Duce præstantissimo cum Alphonso Rege, par fuit, ut tu quoque, qui illorum dissensionibus alienam fortasse mentem a Rege aliquandiu gessisti, redieris in gratiam, fieresque benevolentiæ particeps. Idque, cum ita cecidisset, Alphonso etiam gratum admodum me facturum existimavi, si ejus dicta ac facta tibi viro gravissimo, atque probatissimo præcensenda exhiberem, quæ cum tibi probarentur, ea

omnibus magnis ac sapientibus viris probatum iri non dubitaret. Donec igitur licebit vos coram invicem videre, ac vivas audire voces, & reddere, leges tu quidem interim hos libellos, qui tibi vivum, ni fallor, repræsentabunt Alphonsum, & jam nunc tuum: ac quantum in eo olim vel temporum iniquitate, vel fatorum inclementia perdideris, statim intelliges: simulque, si te pulchre novi, tempus amissum amoris exuberantia, beneficiorumque frequentia recuperabis. Jamque id tibi de hujusmodi amore eventurum vaticinor, quod de vino plerisque aliis solet, qui diutius aqua usi sunt, ut siquando postea in vinum incidant, expleri nullo modo eo posse videantur, sed de hoc alias. Nunc Alphonsum legas, aut audias, potius plura dicentem, quæ ad gravitatis, justitiæ, magnanimitatis, clementiæ, urbanitatis, ac pene innumerabilium virtutum exempla pertineant, cumque eum perlegeris, communices velim cum Clarissimo, atque eruditissimo viro Poggio nostro, cujus etiam judicium super his Commentariolis vehementer expecto. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI S. P. D.

EPISTOLA QUADRAGESIMAQUINTA.

Livii laudator, Liviani Codicis ardore laborat.

Significasti mihi nuper ex Florentia extare T. Livii Opera venalia, litteris pulcherrimis, libri pretium esse CXX. aureos. Quare Majestatem tuam oro, ut Livium, quem Regem librorum appellare consuevimus, emi meo nomine, ac deferri ad nos facias, interim ego pecuniam procurabo, quam pro libri pretio tradam. Sed & illud a prudentia tua scire desidero, uter ego, an Poggius melius fecerit, is ut villam Florentiæ emeret, Livium vendidit, quem sua manu pulcherrime scripserat: ego ut Livium emam, fundum proscripsi, hæc ut familiariter a te peterem, suasit humanitas, & modestia tua. Vale, & triumpha.

AN-

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI. S. P. D.

EPISTOLA QUADRAGESIMASEXTA.

Instruendæ Classis Gratia, in aliud tempus reservandam Expeditionem contra Turcas, remque per Oratorem Summo Pontifici docet esse nunciandam.

Optavi vehementer his diebus, Rex amplissime, Majestatem tuam adloqui super profectione Reverendissimi ac præstantissimi Patris Patriarchæ (*a*) Legati Pontificii: quod quia agere coram per otium non potui propter occupationes tuas, nunc per epistolam agere constitui. Primo igitur hujus honestissimæ expeditionis in Turcas a Pontifice Maximo degnatus cum sis, & Dux & Imperator, te maxime Reip. Christianæ saluti, ac dignitati prospicere oportere existimo, ne quid, quantum consilio atque auxilio valeas, detrimenti capiat: deinde non sum nescius, quam valde affecta sit Majestas tua huic præclarissimo Legato propter ejus summas, ac singulares virtutes, ac summam in te observantiam, atque benevolentiam: & ob eam rem mihi persuadeo Majestatem tuam omnia cupere, quæ illi honori, gloriæque cedant. Nescio quonam modo patiare ut hic tantus vir, tantopere tibi affectus, quem tot, tantisque beneficiis & honoribus exornasti, qui & tuum se prædicet, quemque tuum esse omnes existimant, cum tam pau-

(*a*) Quorsum hic *Patriarcha*? Nempe ut intelligatur ex Græca versione, quasi *Gentis Primas*; id quidem honoris primum apud Hebræos locum habuit, quos inter unusquisque in Familia sua, tametsi exigua, fuisse *Patriarcha*, & idem *Patriarchatum* gessisse, cum aliqua Imperii potestate visus est; Abrahamus propterea Isaacco, etiam Primogenito, & suis, Isaaccus Esauo, & Jacobo, aliisque alii fuere *Patriarchæ*, seu *Principes*; Quod vero Primogenitus quisque Sacerdos foret, ante Moysis ætatem, hinc & Patriarchæ erat ipsum obire munus; eaque de caussa ut *Regimen Patriarchale*, seu *Regium* imperandi, exercendi, sententias ferendi, cæterisque Jurisdictionis actibus continebatur, ita *Patriarchale Sacerdotium* in quacumque sacri muneris administratione, cultu solemni, ac ritu versabatur; Quo nonnumquam factum est, ut pro *Sacerdote* ex Hebræa Versione a nonnullis *Princeps Territorii* sit usurpatus; Plura tamen legere est in Selden. de Synedr. Vet. Hebr. Libr. I. cap. ult. Post *Patriarchas* Hebræos, a Christo Reparatore nato floruerunt in Catholica Religione *Patriarchæ*, sub prima quidem Evangelicæ Fidei tempora iidem ac *Metropolitæ*, *Archiepiscopi*, & *Primates*; deinde cum Provinciarum pleræque a Constantino in unam essent Diœcesin redactæ, tres per excellentiam vocati sunt in Ecclesia Patriarchæ, *Alexandrinus*, *Antiochenus*, & *Romanus*; horumque postremus insignis summa Ecclesiastica Potestate, in Occidente fuit uni-

paucis navibus, nec satis instructis, quarum præfectis quantum fidei haberi possit, tu ipse nosti, contra Turcarum potentiam proficiscatur. Quid enim detrimenti, quid incommodi inferre poterit cum tanta & navium & militum paucitate, communi Christianorum hosti? qui ipse & terrestribus & maritimis copiis tantum valeat, ut omnibus Christianis terrori sit. Nonne vides Rex consultissime hunc in manifestum periculum mitti? cum quidem hostis ipse uno, si velit, die multo majores mari copias parare possit, quibus si hic velit obviam ire, haud dubie in illius potestatem perventurus sit, quod si accideret, quod Superi avertant, hoc onus, atque hæc ignominiæ labes in Majestatem tuam profecto reflecteretur: quoniam auxilium tuum, in quo spes ejus sita est, exiguum fuisset, & adversus talem hostem invalidum. Ad hæc Christianæ potentiæ auctoritas apud Barbaros longe profecto imminueretur, si hunc tantum Ducem & Imperatorem cum tam parva classe profectum intuerentur. Quam nunc classem paratam habes, qua hic satis tutus contra Turcarum classes ac vires eat? At præter opem tuam nihil est in præsentia sive in Italia, sive extra Italiam, quod sperare, aut expectare valeat, ex quo si quid ei adversi contingeret, ut dixi, quoniam tuo auxilio fretus, tuoque consilio ductus, tantam rem aggressus videretur, multi sane forent, qui id tibi vel culpæ, vel negligentiæ verterent, quod in re amici, & hominis tui deditissimi minus fortasse quam debuisses, considerasses. Quanto satius, atque opportunius fuerit hoc tuum auxilium, quod conferre in animo habes, in aliud tempus differre: quo majores copias maritimas paratas habeas, quam sinere hunc clarissimum virum, optime de te meritum, in manifestissimum discrimen proficisci. Si a me quæris Rex humanissime quid agendum censeam, dicam, etsi tu es, qui consilio abundas, & prudentia, differendam primum censeo hanc profectionem, & scribendum, vel potius Oratorem mittendum quam ocissime Pontifici Maximo, apud quem scio vales auctoritate & gratia, significatum, esse te eo animo circa expeditionem contra Turcas, quo esse dudum cœpisti, non habere te paratam eam classem, quæ digna sit tanto Duce, quan-

---

cus semper, & præcipuus Patriarcha, ex Morino, eumque *Romani Patriarchæ* nomine compellat Theodosius in Epist. Concil. Calcedonensi præfixis: Ad tres allatos, Politicæ dignitatis ex Ordine, duo alii postea accesserunt Patriarchæ, *Constantinopolitanus*, & *Hierosolymitanus*, procedente præterea ætate minore, Præfecturæ suos habuere singulæ *Patriarchas*, ac reliquis prætermissis, *Gradensis*, nunc temporis Venetus, & *Aquilejensis* recensentur ab Ughell. in Italia Sacra, Allat. de Concord. utriusque Eccles., aliisq; permultis: nomenque etiam *Patriarchæ* sortiti sunt Abbates, ut patet ex Vita S. Nili Junioris; majorem scilicet ob reverentiam ita perhonorifice compellati, eo enim Patriarchæ semper fuerunt in pretio, ut, adversus Casaubonum, honorem istum nunquam ad Gentiles migrasse Salmasius pro certo habeat, de quo tamen judicent Eruditi Lectores, nam citra disputationem id unum affirmamus, quod nemo negaverit, dignitate nempe singulari supra cæteros *Patriarcham* eminere.

quantus est hic excellentissimus legatus ejus, cum quo tuto in Græciam proficisci posse videatur, & propterea videri tibi sanius consilium, hujus viri profectionem in aliud tempus differre, quod speres haud longum fore, quo majore triremum numero a te juvari poterit, tantum virum, & si is paratissimo animo videatur, vel cum vitæ periculo ad exequendum imperium Sanctitatis suæ, non esse tamen temere periculo exponendum, sed in tempus commodius reservandum. His & hujusmodi verbis, quæ ipse longe melius invenire scies quam ego, facile, ut arbitror, poteris Sanctitatem suam a proposito revocare, ac per hunc modum saluti ac dignitati hominis tui observantissimi, atque amantissimi consulere, quæ a me velim scripta & cogitata putes eodem animo, eadem simplicitate, qua uti in his, quæ ad dignitatem tuam pertinent, soleo. Vale.

ANTONIUS PANORMITA:

MARTORELLO. S. P. D.

EPISTOLA QUADRAGESIMASEPTIMA.

Illo utitur Deprecatore, Pecuniæ Accessionem in Nuptiis impetraturus a Rege.

SCripsimus heri ad Alphonsum Regem munificentissimum, & ut audio visa est illi pecunia fortassis gravior, quod utique verum est, si me respectat: sin se, erit admodum pauca. Itur ad nuptias, & quidem præclaras, ibitur sine vestibus, & apparatu nuptiali. Mihi emendi sunt equi XX. totidem homines vestiendi, iter longissimum. Cum me misit Rex ad Venetos, dedit mihi aureos Alphonseos DCC. & item postea in eadem legatione CL. Erimus nunc in deteriore conditione ad nuptias profecturi? Primum te rogo, si tamen vales, *fac ut transeat a me calix iste*, senex sum, hyems est, iter, ut dixi, perlongum: sin vero effici non potest, nam Regi omnia debemus, etiam vitam, fac saltem ut honori meo, immo regio consulatur. Vale.

CAROLO NAVARIÆ PRINCIPI;

EPISTOLA QUADRAGESIMAOCTAVA.

Illi devotus, cætera jubet eum audire ex litterarum adlatore.

CUm tua virtus ac probitas cum fortuna luctatur, ego incertus agitor, tamen expectans, ut cum Deus pro sua benignitate sedem tibi statuat, & virtuti præmium reddat, ego tunc quid mihi faciundum

ſit ſciam, ſiquid interim de me conſtituis, impera. Reliqua intelliget Sublimitas tua a Canione litterarum adlatore. Vale Princeps Principum.

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI S. P. D.

EPISTOLA QUADRAGESIMANONA.

Pro libris redditis alio non deferendis ſolvendam pecuniam, ſibi pro littera venationem cenſet eſſe retribuendam.

PRæclara illa volumina habita, & locata ſunt jam in arce tua illa inclyta & memorabili, Emptor ad te ſe conferet, veritus ne pecuniam perdat: nam probe intelligit furtum aut rectius ſacrilegium commiſſum, erit humanitatis tuæ ſuam illi pecuniam reddere: ſed & erit prudentiæ, libros continere, neque in alienam regionem exportari ſinere, optimo enim titulo id potes, in monaſterium enim, ex quo furto ſubtracti ſunt, jus patronatus (a) geris, ſatius eſt aurum ex regno, quam

(a) *Jus Patronatus* hoc in loco ad *Canonicum*, ut vocant, *Jus* eſt referendum, jus nempe dicendum ex Canonicis legibus, quod quis Clericus, vel Laicus habet in Eccleſia, quam ædificavit, vel fundavit. C. *Nobis* 25. X. de Jure Patron. alibique: ſita vero juris hujus eſt ratio in conſtituendis idoneis Eccleſiarum Rectoribus, præſentandis Epiſcopo, & potiſſimum præſentandi ſunt ab Inſtitutore Beneficii ad Beneficium vacans ii qui ad Beneficium aſſumuntur Gl. I. Can. Piæ Ment. 16. q. 7. cap. 1. §. Ædificatoris, & alibi, Laicoque Patrono quatuor tantum menſes ad præſentandum, a Vacationis tempore, conceduntur, & indulgentur Can. *cum propter* X. de *Jur. Patron.* contra vero ſex menſes Collegio, ſive Clericis tribuuntur Can. *nulla X. de Conceſſ. pr.* fit inde, ut Laicus (cui minus temporis eſt datum) ſuo jure præſentandi non excidat, ſi præſentet indignum, cum e contrario jus præſentandi adimatur Clerico indignum præſentanti, vel eligenti C. cum vos X. de off. Jud. Ord.; *Jus Patronatus* fundatione ipſamet acquiritur, tametſi id ſibi Patronus non reſervaverit, modo illud non remiſerit C. *nobis ibi*, jura enim pro iis vigilant, qui ſibi non vigilant; Id etiam *Patrono*, ſeu Eccleſiæ Fundatori debetur, ut juvetur, alatur, ſuſtentetur Eccleſiæ Opibus, ſi ad inopiam fuerit redactus, unde Verſiculi

Patrono debetur honos, onus, emolumentum,
Præſentet, præſit, defendat, alatur egenus.

Hauſiſſe autem originem *Jus Patronatus* ab Antiquis Patronis affirmat præ aliis Gregor. Toloſ. *Syntagm.* Libr. XVII. cap. IV., multique cum illo, & de Veteri quidem *Jure Patronatus* præter Gell. Plutarch., Dyoniſ. Roſin. Antiquit. Roman. Libr. I. cap. XVI., ac Dempſter. in Paralipom. ibidem, agit deinde expreſſe J. Vincent. Gravina *De Jur. Naturali Gentium*

quam libros, veros Regum consiliarios extrahi permittere, de libris hactenus: Sextam epistolam ad te mitto verbosiorem fortassis, quam consueverim, sed ita magis profuturam arbitratus sum: utrum vero placuerit, ita demum intelligam, si partem mihi feceris venationum tuarum. Vale, & triumpha.

ANTONIUS PANORMITA,

ANGELO CARAZULO S. P. D.

EPISTOLA QUINQUAGESIMA.

De valetudine interrogatum, ubi, & a se quid agatur, edocet,

TU quid agas per hæc tempora scire cupio, ego vero pestis tempestate jactatus modo huc, modo illuc vagus, palansque erro. Primo Pomponianum, dein Granianum, postea Stabias, postremo Nuceriæ petram devectus sum, sed Dei benignitate familia incolumi, ubi loci id maxime jucundum fuit, quod te vicinum intellexi Sarni Præsidem, inter Nymphas, & lymphas fontis limpidissimi agentem. Igitur, ut Comicus dicit, flos veteris vini meis naribus objectus est, & te visendi sitis incredibilis. Scire itaque non ab aliis, sed a te velim, an sanus & fortis sis, an cœlum isthic salubre, an valens familia? Hoc enim velut mei erroris solatium expecto. Vale.

AN-

& XII. Tabularum num. XXVII. *Jus Patronatus* tandem habuerunt Sancti Viri *Patroni* locorum appellari ex Aimoin. de Miracul. S. Benedicti cap. XV. *Erant autem, quæ ferebantur cum* Patrocinio *S. Benedicti pretiosissimæ Reliquiæ Beatorum Confessorum Eucherii, & Verani*. Plura hac in re Du-Fresn. in Glossar., quo Auctore derivatum ex *Jure Patronatus*, *Patrocinium* varias, ac multas denotat Patronorum tutelas.

ANTONIUS PANORMITA.

EPISCOPO STABIENSI. S. P. D.

EPISTOLA QUINQUAGESIMAPRIMA.

Sanus ipse, sanis Rege, Episcopoque est gavisurus.

EX tuis litteris incredibilem capio voluptatem: eo enim loci devectus sum, ubi non audiam, nec videam nisi cursus astrorum, tuum igitur officium est, quotidie, ut facis, mihi renuntiare Alphonsi Regum Regis valetudinem, & tuam: & siqua nova accidunt, mecum communicare. Vale humanissime Antistes, ego Dei benignitate cum familia valeo.

ANTONIUS PANORMITA.

ALPHONSO REGI. S. P. D.

EPISTOLA QUINQUAGESIMASECUNDA.

Animo est sollicito de ejus vel reditu, vel profectione, ac de Privilegio Francisci Oratoris subsignando.

QUi quotidie a te veniunt, partim te cito rediturum Neapolim, partim te Apuliam petiturum affirmant: ego quidem, ut qui id vehementer velim, cum illis sentio, qui te rediturum dicunt: nam si per hæc infecta tempora Apuliam affectas, nihil aliud agis, quam amicis & beneficiariis tuis committere, ut Averuncum deprecentur, ut a te pericula avertat, Si licet igitur, pro tua mansuetudine significabis, an pestem sine probabili causa aditurus sis, an Neapolim, id est ad Insulas beatorum reversurus. Aveto, & privilegium Francisci Oratoris, si gloriam diligis, subsignato.

AN-

ANTONIUS PANORMITA.

NICOCLI SUO. S. P. D.

EPISTOLA QUINQUAGESIMATERTIA.

Habet quædam a Rege Sulmonæ in laude Ovidii patrata.

ADeram ego quidem Sulmonæ, cum magnopere Alphonsus Rex Sulmonenses laudaret, quod in eorum insignibus instar Romanorum inscriberent S. M. P.E. hoc est:

Sulmo mihi Patria est,

hujusmodi videlicet Titulum in laudem Ovidii sui Civis referentes. Ibidem etiam vidimus Regem ipsum, utpote Poetarum illustrium studiosum, quotidie aliquos ducere ad visendum ipsius Poetæ domus ruinas, hujusmodi ruinis vel saxis numen nescio quomodo inesse videri existimantem. Hæc mi Nicocles, quoniam tantopere Ovidii cultor, & æmulator es, tibi nota esse volui: ut cum Ovidio Regis etiam observantiam in Poetas suspiceres, ac mandares versibus. Vale.

ANTONIUS PANORMITA.

NICOCLI. S. P. D.

EPISTOLA QUINQUAGESIMAQUARTA.

Recitatione cujusdam rei ab Alphonso præclare gestæ Epistolarum Campanarum librum concludit.

QUoniam tu quidem admirator & prædicator es non modo rerum gestarum Alphonsi, sed etiam virtutum, & humanitatis ejus accipe, & litteris ut soles, manda, quod proxime de illo admiratu dignum accepimus. Alphonso itaque e Stabiis Neapolim redeunti, cum renuntiaretur Joannem Cajetam præsidiis de se benemeriti commilitonis filium adolescentem, Cauponi famulantem, sordidam vitam degere, novitate rei Regem substitisse ajunt: accersitumque adolescentem interrogasse quid tam turpi ministerio se addixisset, cum ille respondisset Aulici cujusdam contumelia affectum, e paterna domo

ANTONII PANORMITÆ EPISTOLARUM

INDEX.

Ac primo Epistolarum Ineditarum.

Epi-

EPISTOLA V.

MARCOLINO FRANCISCO PICCININO, ET DOMINICO ADOLESCENTIBUS.

Repetit a se corrigendos Plauti Quinterniones, & a Gasparino Grammatico omnem obscuritatem docet esse tollendam. 7.

EPISTOLA VI.

FRANCISCO BARBARO, ET ALOYSIO CROTO VIRIS ILLUSTRIBUS.

Illis gratus, ac in Divum Cæsarem observantissimus, ei servire non valens, sua gaudet libertate. 7.



EPI-

EPISTOLARUM GALLICARUM

LIBRI QUATUOR.

EPISTOLARUM GALLICARUM

LIBER PRIMUS.

Epi-

EPISTOLA XII.

ANTONIO CREMONÆ.

EPISTOLA XIII.

ANTONIO CREMONÆ.

EPISTOLA XIV.

ANTONIO CREMONÆ.

EPISTOLA XV.

ANTONIO CREMONÆ.

EPISTOLA XVI.

ANTONIO CREMONÆ.

EPISTOLA XVII.

ANTONIO CREMONÆ.

EPISTOLA XVIII.

ANTONIO CREMONÆ.

Enixe obtestatur ut Amico jacenti succurrat, pro quo & ipse levando non mediocriter angitur. f. 54.

EPISTOLA XIX.

ANTONIO CREMONÆ.

De temperantiæ usu, Ferussini gratia, cum illo agit, domum locatam alteri dicit, seque a Piccinino litteras accepisse nuntiat. f. 55.

EPISTOLA XX.

ANTONIO CREMONÆ.

Nonnulla ad vinum dono acceptum jocose referuntur, de illius ad se adventu sollicitudinem nonnulla declarat. f. 57.

EPISTOLA XXI.

ANTONIO CREMONÆ.

De litteris ad illum datis sermonem habet, eique maturandum ad se adventum suadet. f. 58.

EPISTOLA XXII.

ANTONIO CREMONÆ.

Juvenem litterarum adlatorem illi commendat. f. 60.

EPISTOLA XXIII.

ANTONIO CREMONÆ.

Illius adventum expectat, Gaudentiumque ipsius fidei committit. f. 61.

EPISTOLA XXIV.

ANTONIO CREMONÆ.

Ad commendationem ejus litterarum plurima, ad conducendam domum reliqua pertinent. f. 62.

Epi-

Epi-

EPISTOLA XXXVIII.

ANTONIO CREMONÆ.

In clientelam, & fidem Catonem Sperono commendat, itemque Columnulæ meminit. 74.

EPISTOLA XXXIX.

ANTONIO CREMONÆ.

Plura de Oratione Gerardi Pontificis ad illum missa, aliqua de Plauto, reliqua de versibus agunt. 75.

EPISTOLA XL.

ANTONIO MERCURIO CREMONÆ.

Percontatur de Beccariæ domo, illi quanto futurus sit ad viam incitamento Gaudentius, quantique sit habendus, declarat. 75.

EPISTOLA XLI.

ANTONIO CREMONÆ.

A se litteris ad Palatium, & ad illum datis, ejus silentium accusat, accepto Varrone de codice vocabulorum est solicitus. 76.

EPISTOLA XLII.

ANTONIO CREMONÆ.

Una cum illius Epistola, utilitatem Epistolarum plurimum laudat, Mercurino, Dominico, Francisco, in quorum commendatione totus est; suo nomine salutem nuntiari vult, expectatque tres Codices. 77.

EPISTOLA XLIII.

ANTONIO CREMONÆ.

Epigramma in laudem Ambrosiæ mittit, de quo, quid illa sensura sit, exquirit. 78.

Epi-

Epi-

EPISTOLA XIX.

GUASCO SUO.

EPISTOLA XX.

ANTONIO THEOLOGO.

EPISTOLA XXI.

BARTHOLOMÆO SENENSI.

EPISTOLA XXII.

BARTHOLOMÆO PONTIFICI.

EPISTOLA XXIII.

BARTHOLOMÆO PONTIFICI.

EPISTOLA XXIV.

BARTHOLOMÆO PONTIFICI MEDIOLANENSI.

EPISTOLA XXV.

BARTHOLOMÆO PONTIFICI.

EPISTOLA XXXIII.

NICOLAO QUÆSTORI.

EPISTOLA XXXIV.

ALOYSIO CROTTO.

LIBER TERTIUS.

EPISTOLA I.

CAMBIO ZAMBICCARIO VIRO ILLUSTRI.

EPISTOLA II.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI.

EPISTOLA III.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI.

EPISTOLA IV.

CAMBIO VIRO ILLUSTRI.

Epi-

Epi-

EPISTOLA XXV.

BARTHOLOMÆO PONTIFICI.

EPISTOLA XXVI.

XANTHIO.

EPISTOLA XXVII.

XANTHIO SUO.

EPISTOLA XXVIII.

DAVIDI VIRO CLARISSIMO.

EPISTOLA XXIX.

VITERBIONI.

EPISTOLA XXX.

JACOBO ABBATI.

EPISTOLA XXXI.

RICCARDO SUAVISSIMO.

Epi-

Epi-

EPISTOLA XVI.

CAROLO ARETINO VIRO CLARISSIMO.

Servit commendationi Faccii, cujus asserit desideria esse perspecta Nicolao, & Tuscanellæ. *f.* 195.

EPISTOLA XVII.

NICOLAO NICOCLI VIRO CLARISSIMO.

Insistit, ut Faccius, de quo plura ad Tuscanellam, collocetur, de sua peregrinatione nonnihil, & aliquid de Guasco Rhetorem Cherii agente, salutationemq; Monachi adjicit. 195.

EPISTOLA XVIII.

NICOCLI SUO.

Per otium responsurus est litteris sibi allatis. 196.

EPISTOLA XIX.

NICOCLI.

Silentii sui excusationem prætexit. 197.

EPISTOLA XX.

ANTONIO PETRUCCIO EQUITI CLARISSIMO.

Cum amoris confirmatione Lampognini commendationem conjungit, a quo multa de Andrea sunt illi nuncianda. 198.

EPISTOLA XXI.

ANTONIO PETRUCCIO.

In illum officiorum observantissimus ei Cremonam de meliore nota commendat, salutatque Andreoccium cum domo Petruccia. 199.

EPISTOLA XXII.

FRANCISCO BARBAVARIÆ VIRO INCLYTO.

De Papiensi ad Bononiensem Episcopatum transeundi cupidus, qui fieri possit, ut Franciscus Pontifex transferatur, exequitur. 200.

EPI-

EPISTOLARUM CAMPANARUM

L I B E R.

Epi-

EPISTOLA VII.

ALOYSIO CAMPO.

EPISTOLA VIII.

AURISPÆ V. C. PERSEVERANTIAM.

EPISTOLA IX.

AURISPÆ V. C.

EPISTOLA X.

AURISPÆ.

EPISTOLA XI.

ERGOTELI SUO.

EPISTOLA XII.

ALPHONSO REGI.

Epi-

Epi-

Epi-

Epi-

EPISTOLA XLVI.

ALPHONSO REGI.

EPISTOLA XLVII.

MARTORELLO.

EPISTOLA XLVIII.

CAROLO NAVARIÆ PRINCIPI.

EPISTOLA XLIX.

ALPHONSO REGI.

EPISTOLA L.

ANGELO CARAZULO.

EPISTOLA LI.

EPISCOPO STABIENSI.

EPISTOLA LII.

ALPHONSO REGI.

FINIS.



INDEX
RERUM AC VERBORUM

In primis sex Epistolis per numerum Epistolarum, in aliis vero per numerum Librorum, Epistolarumque, accurate distinctus.

A

B

* va-

C

D

De

E

F

G

H

4

I

L

M

Me-

N

O

P

** Ple-

Q

R

S

T

Ti-

V

X

Z

F I N I S.



